GREGORII
MAJANSII,
GENEROSI
ET ANTECESSORIS VALENTINI,
EPISTOLARUM
LIBRI SEX.



CONSERV. ACAD. BIBLIOT. REG.

Veneunt,

LUGDUNI,

Apud DEVILLE FRATRES & L. CHALMETTE.

MDCCXXXIII.



TYPIS SEX

EPISTOLARUM

ET ANTECESSORIS ANCENTANI

CENEROSI

MANLIANI

CERERONII

EMINENTISSIMO VIRO

D. D. ANDREÆ HERCULI

FLEURY,

S. R. E. CARDINALI

ſapientiſsimo,

ET REGIS CHRISTIANISSIMI

Adminiſtro Principi, integerrimo,

vigilantiſsimoque,

Greg. Majanſius, Generoſus Valentinus,

S. P. D.



TSI Pariſios mittere Libros perinde ſit ac Noctuas Athenas; tamen exiſtimo, imprudentia me non peccare, qui Librum proficiſci jubeo ab hac Urbe, unde ad iſtam tanquam ad literarium Emporium

tot ivere viri Literariæ Reipublicæ clarisſima lumina & ornamenta , *Andreas Straneus* , *Joannes Gelida* , *Joannes Ludovicus Vives* , *Petrus Joannes Nunneſius*, & quamplurimi alii

Magnanimi heroës nati melioribus annis.

Quorum aliqui inter egregios iſtius Academiæ Anteceſſores locum obtinuere conſpicuum , & in hominum memoria retinebunt ſemper. Sed o tempora ! o mores ! Valentini qui quondam celeberrimas Orbis Academias peragrabant , vel ut diſcerent, vel ut docerent ; nunc , veluti cochleæ , extra domum ſuam , extra Regni ſcilicet fines pedem efferre non audent ; præmiorumne deſperatione , an animorum demiſsione , non eſt hujus loci neque temporis diſputare. Certe ego qui jam annum nonum Jus Civile profiteor , non dicam præmium aliquod vigiliarum mearum nactus ſum ; ſed neque obtinendi aliquod ſpem ullam video. Adeo mearum rerum ſum ego immemor,

aliique mei. Quare, cum amici aliqui hanc meam inertiam caſtigant, ita in incertum adigor, ut quid conſilii capiam, omnino neſciam.

Nec quid agam invenio, nec quid
nolimve velimve:
Nec ſatis utilitas eſt mea nota —
mihi.

Ab una parte Anteceſſoris munus (quod utinam nunquam ſuſcepiſſem) in hac Urbe, licet meritis meis ingratiſsima, detinet me, ſcholaſticorum profectu tanquam Sirenum cantu delinitum; ab alia autem fruſtra impenſi tot tantique ſumtus ſtudiorum gratia, domeſticam quietem amplectendam admonent; hortanturque me ad conſervandas majorum meorum facultates, injuria temporum valde deminutas attritaſque: quas reparare velle iis artibus, quibus uti cœpi, laborando, vigilando, juventutem inſtituendo, ut pulchrum, ita difficile. Igitur dum meus animus in deliberando diſtrahitur, meos

in-

interea Libros (pene dixi liberos , & re vera ſunt mentis meæ filioli) adjuvare volo , ſufficiens eis viaticum honeſtum, ut iter arripiant ad *Mœcenatem* aliquem, qui & illis ſit ornamento , & mihi gloriæ : etiamſi ad felicitatem hanc adipiſcendam opus ſit pertranſire Pyrenæos; quò cum noſtratum libri perveniunt, præ nimio frigore ſolent rigeſcere : ideoque loca illa prærupta penetrare nequeunt. Quem vero Patronum ego eligam , niſi Te , Eminentiſsime CLAUDI FLORIDE , qui, (ut præteream nunc pietatem tuam , liberalitatem , humanitatem , prudentiam, Regni vaſtiſsimi adminiſtrandi ſcientiam, felicitatemque pene divinam) ſapientiſſimus es ; ideoque , & literatos , & literarum ſtudioſos amas , tueris , ornas. Ut igitur ſcias , quam late pateat tuarum fama virtutum , accipe *Sex* iſtos *Epiſtolarum Libellos* ab homine extero , & quo magis mirere, Latine conſcriptos ab Hiſpano, nec omnino barbare , niſi me fallit animus.

Ne

Ne vero, ut ille *Apollinis* Sacerdos, Tu non ſolum *Muſarum*, hoc eſt, Scientiarum omnium egregius cultor, ſed & veræ Religionis Presbyter ampliſsimus, jure poſsis dicere,

Quicquid id eſt, timeo Hiſpanos *& dona ferentes;*

Tibi cauſſas aperiam conſilii mei. Primùm, extra Hiſpaniam electurus Patronum, talem debui eligere, cujus eximias virtutes univerſus Orbis ſuſpiciat, admiretur, celebret. Deinde eum, qui & doctiſsimus ſit, & literarum ſtudioſos diligat, protegat, foveatque. Poſtremo talem, qui, ſi occupationibus relaxari nequiverit, ut in cenſuram revocet ſcripta ſibi dedicata; eis tamen legenda tradat, qui ſciant illa optime retegere, argumentorum delectum ac diſpoſitionem notare, decôri obſervationem animadvertere, ſtili varietatem pro rerum varietate diſtinguere. Uno verbo. Ne Hiſpani, præſertim ii de quibus ego conſtantiſsime benemereri ſtudui, jure

mi-

mihi ſuccenſeant; unum CLAUDIUM FLORIDUM cumulatum omnibus virtutibus, poſitumque extra omnem invidiæ aleam, eligere debui Patronum. Solum igitur ſupereſt ut nunc declarem candide, meoque more, cur primùm manum injecerim in Epiſtolas, non in alia Opera elaborata jam, & utcunque a me perfecta, quibus elucubrandis adhibui majorem diligentiam. Poſſum ego ſperare, ut inter tuas maximas occupationes, unam, aut alteram Epiſtolam legas, non vero Librum. Deinde ejuſmodi eſt hoc ſcribendi genus, quo Tu maxime delectaris; utpote prudentiſsimus peritiſsimuſque Epiſtolarum artifex, gaudebis, aut judicium exercere tuum in erratis meis animadvertendis, aut laudes in aliorum Epiſtolis probandis. Denique, ſi Epiſtola animi ſpeculum eſt, qualis noſter ſit, intuebere. In Epiſtolis enim maxime detegitur quod quiſque habet ingenium, cum affectus nequeant occultari in ſubita illa & ſæpe calida ſcriptione.

Deſque della pagina 418.
esta lo ſi re ſigue.

GREGORIUS MAJANSIUS
Lectori ſuo S.D.

SÆpe ego mecum cogitavi, inter ſcribendi genera nullum eſſe frequentius, quàm Epiſtolas componere, quamplurimas illarum collectiones factas a viris ingenio doctrinaque præſtantiſsimis; & in tanto numero pauciſsimas eſſe, quæ Criticorum ſuffragia liberali manu meruerint: cum tamen in quolibet alio ſcriptionis genere abſolutiſsima opera occurrant paſsim. Hujuſce rei cauſſas cum inveſtigarem, hæ mihi venerunt in mentem. Qui de aliquo ſcribit argumento, ſi prudens eſt, illud eligit plerumque in quo regnare poſsit, aut cum laude ſaltem verſari

..... *& quæ*
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.

Sumit materiam viribus ſuis æquam, diuque animo verſat

..... *quid ferre recuſent,*
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

At qui Epiſtolam ſcribit, plerumque non quæſito, ſed oblato utitur argumento. Meditationi aliquando nullus locus; cum officia noſtra quæ per literas ſignificanda ſunt, fortaſſe conſiſtant in articulo temporis. Præterea, ut aliquod otium nactus ſis, non es æque cunctabundus ac *Paullus Manutius*, qui, ſi *Gaſpar Scioppius* vera narrat, (1) menſes aliquot uni epiſtolæ interdum impendebat. Multum etiam auget Epiſtolarum difficultatem difficillima illa ſtili facilitas, ipſarum propria. Sunt enim Epiſtolæ contentæ ſimplici argumento ſimplicique ſtilo. Unde ſcitiſsime *Cicero Papirio Pæto*, homini lepidiſsimo ſcripſit: (2) *Quid tibi ego in epiſtolis videor? Nonne plebejo ſermone agere tecum?* Et paullo poſt: *Epiſtolas quotidianis verbis texere ſolemus.* Hinc fit, ut quamplurimi

**

ſti-

(1) *Apud Moroſ. in Polyhiſt.* (2) *Epiſt. lib. 9. cap. 21.*

ſtilo tenui ſtudentes, inſerviant humili: ut taceam eos, qui abjecte ſcribunt, quia nequeunt aliter. Equidem Epiſtola conſuetudinem fere quotidiani ſermonis imitari debet, cum inter abſentes calamus linguæ, ſcriptura vocis ſubeat vicem. Præclare *Seneca* noſter. (3) *Qualis*, inquit, *ſermo meus eſſet, ſi unà ſederemus, aut ambularemus; illaboratus & facilis: tales eſſe epiſtolas meas volo, quæ nihil habeant accercitum, nec fictum.* Non tamen aſſentior *Symmacho* præcipienti (4) in familiaribus ſcriptis negligentiam quandam debere nos imitari; & multo minus *Ennodio*, qui ab eo edoctus ait, (5) *legem eſſe in epiſtolis negligentiam.* Iſtæ ſunt voces excuſationem præparantium negligentiæ ſuæ, ut hæc illis non ſolum condonetur, ſed & laudi vertatur, tamquam ex arte profecta. At ego negligentiam, ſi alicubi reperio, facile condono, ſed minime laudo. Potius igitur aſſentior *Artemoni*, qui *Ariſtotelis* Epiſtolas collegit, ac in lucem protulit. Is eodem modo Dialogum ac Epiſtolas oportere ſcribere aſſerit. (6) Quin & *Demetrio Phalereo* docenti (7) Epiſtolam paullo magis quam Dialogum exornandam. Jure merito. Sententias enim graviores quam ſermo, & majorem elegantiam debet admittere, quia ſtudio, curaque majori ſcribimus, quàm loquimur, non ſolum quia calamus lingua pigrior eſt, ac proinde ſcripturam major meditatio, quam locutionem antecedit; ſed quia cautius proferimus quæ diutius manſura ſunt, & noſtri judicii teſtimonia futura, pene dixerim ſempiterna. Talis igitur debet eſſe epiſtolarum ſtilus, qualis eſſe ſolet ſermo cordatorum hominum. Nec nimium accuratus, qualem damnaſſe *Seneca* videtur ut putidum (8) nec ſine cura ingenua. Alter familiaris & jocoſus: alter ſeverus & gravis. Artificium itaque proxime ad naturam debet accedere,

..... *ut ſibi quivis*
Speret idem: ſudet multum, fruſtraque laboret
Auſus idem.

Ta-

(3) *Epiſt.* 75. (4) *Epiſt. lib.* 7. *ep.* 9. (5) *Epiſt. lib.* 2. *ep.* 3. (6) *Apud Demetrium vulgo cognominatum* Phalereum, *in egregio libello* De interpretatione. (7) *Ibidem.* (8) *Epiſt.* 75.

Talis,inquam,debet esse Epistolarum stilus, qualis *Plauti*, atque *Terentii*, quos linguæ Latinæ canones appellare possumus. Sed in his etiam imitandis magna & diligens cautio adhibenda est. Non pauci enim, ut in eorum lectione se versatissimos ostentent, ita scribunt epistolas, quasi Histriones agant: eorum orationis structuram imitantur, quasi metri necessitati inserviant: & eorundem verba a vetustate repetita fastidiose affectant. An, quia, uti *Quinctilianus* docuit, (9) *afferunt orationi majestatem aliquam, non sine delectatione? nam & auctoritatem antiquitatis habent: & quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant.* At memoria etiam retinere deberent quod idem subjicit. *Sed opus est modo, ut neque crebra sint hæc, neque manifesta: quia nihil est odiosius affectatione.* Præterea passim inculcant sales illos *Plautinos*, frigidiusculos interdum, atque etiam scurriles, quos *Q. Horatius* acerrimi judicii vir ajebat (10) Romanos proavos nimium stulte, aut nimium patienter miratos fuisse.

Tantundem aliqui peccant in proverbiis cumulandis. Neque sibi viderentur recte scribere Epistolam, nisi prius consulerent *Erasmi Roterodami* Adagia, aut *Zenobii*, vel *Diogeniani*, vel *Suidæ*, vel *Michaelis Apostolii* Proverbia, unde *Desiderius Erasmus* hausit sua. Nimirum homines lepidissimi Epistolis suis conciliare volunt illam gratiam, quam inter earum dotes enumeravit sanctissimus & eloquentissimus vir *Gregorius Nazianzenus*. (11) Sed cur eam non quærunt, ut ille docet? *Hanc porro* (inquit de gratia loquens) (12) *servabimus, si neque sicca prorsus & invenusta scribamus, & illepida, & inornata, & inculta, quod dicitur, & sine sententiis & proverbiis, & dictis, & salibus, & reconditis jocis, quibus sermo conditur; neque valde his abusi esse videamur. Alterum enim agreste, alterum verò cum satietate. Hæc autem eatenus utenda, quatenus & purpuris in textilibus. Figuras autem recipiemus quidem & paucas, & has non impudentes. Antitheta verò, & æqualia, & similiter desinentia Rhetoribus dimittemus,*

(9) *De instit. orat. lib. 1. cap. 6.* (10) *In Epist. ad Pisones, v. 270.* (11) *Nicobulo Epist. 209.* (12) *Ibidem.*

mus: ſicubi autem aſſumamus, tanquam jocantes potius, hoc faciamus, quam ſerio agentes. Hactenus ille oris cœleſtis vir. Quod ſi hæc quæ vitanda docet vir ſapientiſsimus, in familiari Epiſtola non licent; quanto minus in ea, quæ viro alicui gravi, aut Principi, aut Reipublicæ mittitur, aut cuilibet homini cordato, in negotio ſerio? Tunc certe omnia pro dignitate ſcribentis, ejus cui ſcribitur, aut rei qua de agitur, dicenda ſunt; & prout argumentum poſtulabit, modo leniter oratio fluet, modo magnifice. Tempus, perſonarum dignitas, res ipſa, quæ optima conſultrix eſt, quouſque progredi liceat, oſtendent. Prudentia hæc omnia moderabitur. Unde *M. Tullius* optimus ſcribendi, non modo magiſter, ſed etiam artifex, cum hæc omnia conſideraret, ſcripſiſſetque ei *Papirius Pætus*, inſanire ſibi videri, quod imitaretur verborum *Tullianorum* fulmina; ſic ei reſcripſit (13) (lubet enim allegatam ſupra ſententiam referre integram). *Quid tibi ego in epiſtolis videor? Nonne plebejo ſermone agere tecum? nec enim ſemper eodem modo. Quid enim ſimile habet epiſtola aut judicio, aut concioni? Quin ipſa judicia non ſolemus omnia tractare uno modo. Privatas cauſſas & eas tenuis agimus ſubtilius: capitis aut famæ, ſcilicet ornatius. Epiſtolas vero quotidianis verbis texere ſolemus.* Ita igitur *Cicero* loquutus eſt, quaſi dixerit, licere in Epiſtolis, ſicut in judiciis variare ſtilum: ita ut hæ plerumque quotidianis verbis texi ſoleant. Quanquam aliquando accedit, ut tapetibus principum cubicula ornaturis, orationis filum illuſtrius: &, ut proprius loquar, dicendi genus quoddam oratorio proximum, vehemens ſcilicet, &, ut *Papirius Pætus* loqueretur, *fulmineum*, prout res poſtulabit. Quî aliter, cum & varia ſint argumenta, & inter ſe omnino diſcrepantia? in quorum ſingulis ii animi motus excitari debent, quos Pathologia dictat, id orationis debet artificium adhiberi, ea cultura, quam res qua de agitur, requirit, & Oratoria præſcribit. Quod ut manifeſtius pateat, cogitatione perpende, num aliquis unquam cujus in corde humanitas reſideat, repertus ſit, qui vel in negotiis ſedatiſsimis non

(13) *Epiſt. lib. 9. epiſt. 21.*

non utamur Pathopoeia aliqua? Quis enim, cum ei aliquid gerendum committitur, ſi negotium ſuſcipere non vult, ſe quantum poteſt, non excuſat? voluntatem non oſtentat? Si autem vult ſuſcipere, quantam manifeſtat rei perficiendæ cupiditatem? Quantam ad ea quæ reſtant, curam ac diligentiam pollicetur? Quis, aut confecto negotio non lætatur maxime, & alterius gratiam captat? aut eo deſperato non dolet? aut non vult videri vehementer dolere? quæ interdum grati animi; humanitatis ſemper ſigna ſunt æſtimabilia. Eſto itaque negotii exp oſitio, brevis, dilucida, non inornata, ſed nec affectate ornata;

Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus.

At Epiſtolæ ingreſſus, quem jure faciem appellaveris; eſto, ut placeat, gratus; finis, ut officium conſtet, jucundus. Omnis denique Epiſtola ita ſibi cohærens;

Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Uno verbo. Epiſtolæ tales eſſe debent, quales *Cicero* laudat (14) a *Tito Pomponio Attico* conſcriptas: *Quæ pure loquuntur cum humanitatis ſparſæ ſale, tum inſignes amoris notis.* Quod ſi hæc in negotialibus ſcriptis præſtanda ſunt; quanto plura in iis in quibus officio tantum ſatisfacere volumus? In quibus nihil humile, nihil abjectum reperiri debet. Quantus ibi uſus Philoſophiæ? Quantus Pathologiæ? Quantus etiam verborum ſplendor adhiberi debet? Ipſa argumentorum recenſio id aperte demonſtrabit.

Laudamus magnifice & ſplendide, virtutes illas celebrando, quæ laudari merentur; præſertim quæ gratiſsimæ ſunt ei cui ſcribimus; ut homini probo integritas, philoſopho ingenium perſpicax & multarum diſciplinarum cognitio; Senatori prudentia & benevolentia erga cives, Imperatori fortitudo & res geſtæ.

Gratias agimus, beneficium ita accipientes, ut ejus magnitudinem, aut ſaltem opportunitatem, tum intelligere, tum in magno pretio habere videamur: adeoque profitemur gratum animum.

Gra-

(14) *Lib. 1. epiſt. ad Attic. epiſt. 13.*

Gratulamur, voluptatem præcipue noſtram ſignificantes ex proſpero alterius ſucceſſu, virtutibus ejus præclariſque meritis debito : noſtræ lætitiæ cauſſas exponimus : reliqua optamus proſpera.

Lamentamur, vividis coloribus exponendo malum, magnitudinem ejus exaggerando, malevolis odium excitando commemoratione actionum inimiciter adverſantium bono quod ille cui ſcribitur amat, ut quies, ſtudium, libertas, aut magni & imminentis periculi metum incutiendo, cui avertendo, opem, cum opus eſt, ab eo qui præſtare poteſt, ſuppliciter imploramus.

Monemus, caſtigando vitia ſuaviter, & caſtigationis offenſam prudenter effugiendo : quod facile conſequimur, amici officio expoſito, tum dolore noſtro de imminuta alterius opinione ob factum minime reſpondens ante actæ vitæ, aut animi dotibus præclaris. Delicti culpam conjicimus in ætatem, aut inconſiderantiam ; in aliorum convictum forte derivamus : facilitatem correctionis indicamus. Oppoſitæ virtutis amorem gignimus. Ad laudem hortamur, ab honeſto, utili, glorioſo.

Commendamus, laudando alicujus probitatem, fidem, humanitatem, negotiorum gerendorum dexteritatem, eruditionem, genus, merita erga eum cui commendamus, ſaltem egregiam voluntatem, & benemerendi ſtudium, fortaſſe etiam & facultatem, alia. Ea tamen cautione, ut judicium noſtrum non videatur ex nimio amore, aut utilitate propria (quanquam aliquando convenit hanc fateri ingenue) ſed ex ejus, quem laudamus merito profectum. Qui ſi vitia virtutibus habet admixta, ita caute debemus laudare illas, ut aliena peccata aliquando pudorem non incutiant nobis.

Concitamus aliquem, atrocem injuriam quantum fieri poteſt ob ejus oculos ponendo. Cujus magnitudo cognoſcitur ex innocentia, virtute, dignitate, vel conditione læſi, ex malitia & indignitate lædentis, ex loco, tempore, aliiſque circunſtantiis. Quanquam aliquando ne privato odio adducti,

ti, modum omnem in exaggerando crimine videamur excedere; non adeo anxie laboramus de amplificanda injuria: ſed contenti ſumus oratione ſimplici, etſi tali, quæ atrocis injuriæ ſigna tanquam argumentorum graviſsimorum ſemina paſsim interſerat. Nam ita & rem dicimus; & credimus tamen veritati ſtudere, non affectui indulgere.

Conciliamus nobis aut alteri alicujus favorem, inaffectatam fiduciam, & honeſtas cauſſas alienæ benevolentiæ conciliandæ proponendo, & ſimul oſtendendo aliquam illius benevolentiæ utilitatem fructumve, ſaltem humanitatis alterius, & obſequii noſtri.

Adhortamur aliquem, eum quantum poſſumus inflammando, ductis argumentis ab honeſto, utili, neceſſario.

Dehortamur, ardorem illum animi quaſi ingeſta frigida extinguendo. Quod conſequimur, ſi oſtendamus rem eſſe malam, aut vilem, aut vires excedentem, vel ſaltem laborioſam, incertique exitus: qui, ut ſuccedat, parum tamen utilis futurus. Adeoque ſpei vanitatem ridemus, animi credulitatem culpamus, adverſariorum veteratorium ingenium perſtringimus, dolos ac fraudes detegimus, periculorum metum incutimus.

Conſolamur, omnia illa coacervando, quæ animum mœrentis reddere poſſunt tranquillum, neceſsitatem ſcilicet illius mali communis omnibus, veluti infirma valetudo, mors, ſimilia; levitatem incommodi, ejus brevitatem, ſpei cauſſas prudentes, Dei providentiam, patientiæ meritum, voluntatem ſcilicet humanam divinæ conformem, quæ optimum omnium malorum remedium eſt, ac medicina ſaluberrima.

Præterea aut nobis aliquid *Petimus*, aut pro aliis *Intercedimus*. Tumque meritum noſtrum, aut aliornm modeſte allegamus, aut leviter indicamus. Quod ſi nullum, aut exiguum eſt, honeſtatem petitionis exponimus, dantis humanitatem appellamus; interdum etiam, ſi conceſsio difficilis, modum & facilitatem concedendi indicamus.

Invehimur ita, ut in eo quem exagitamus, tum pudor facti, tum metus ignominiæ, aut pœnæ excitetur; aut apud

alios

alios concitetur indignatio, irrisio, affectusve alii.

Objurgamus alterius delictum reprehendendo; sed ita ut ejus emendationem consequi possimus. Cui rei est necessarium cognoscere ejus qui objurgatur ingenium, quod si pertinax est, graviter & fortiter; si timidum, minaciter cum eo agendum est.

Expostulamus, levi vel magna accepta injuria. Si levem acceperimus, cum laudis, vel joci, vel dissimulationis temperamento. Ac factum quidem improbamus; voluntatem, nisi malitia manifesta, quantum licet, excusamus. Nisi forte summæ autoritatis apud alterum simus, ut pater in filium, dominus in servum, princeps in subditum. Si gravem autem accepimus injuriam, ita orationem instituere debemus, ut non videamur moveri levibus de caussis, nec injuriam nimis exaggerare amore proprio correpti; sed potius credamur multo plura tulisse, quæ silentio hactenus presserimus; donec malum ultra dissimulari non possit; præsertim cum majora etiam timeantur. Scilicet querimoniæ fidem adstruit animus patiens, cuique solum necessitas videtur posse verba extorquere. Ideoque opera danda præsertim personæ gravi, ne quid abjectum ac muliebre ejus oratio habeat. Attamen afflictis atque oppressis miserabili oratione uti licet apud superiores & omnes quorum in manu eorum salus sita est. Longe aliter si æqualibus scribamus; nec eum de quo querimur, perditum ire volumus, sed ad saniorem mentem revocare.

Exprobramus ingratis oblivionem beneficii nostri, cui pro gratia maleficium præter meritum relatum est, vel ipsa adversarii conscientia id improbante.

Deprecamur, si gratia & autoritate pollemus, quocumque tempore; sin minus, opportuno. Quanquam ipia miseria ac luctus cuilibet misero ac luctuoso facit animum deprecandi. Atque ut crimen avertamus, aut minuamus; non ex contemtu, sed vel ira, vel casu, inconsiderate, & sine malitia commissum demonstramus: aut, si manifesta fuit, de ea, nihil dicentes, ingenue, culpam fatemur, clementiam implo-

ploramus; & ad eam obtinendam, anteactæ vitæ innocentiam modeſte proponimus, merita noſtra præterita, humanæ conditionis fragilitatem, cui ſumus omnes obnoxii; delicti pœnitentiam quæ illud abolet; ignoſcendi gloriam; denique alterius generoſitatem, cui ſalutem, incolumitatem, exiſtimationemque noſtram nos debituros confidimus.

Hæc omnia paſsim in Epiſtolis agenda occurrunt; quibus pertractandis, licet à Philoſophis ac Rhetoribus præclariſsima præcepta tradita ſint, & in promtu habeas; fruſtra tamen eris, niſi prudentiam habeas eximiam, & uſu rerum partam dexteritatem quandam hiſce verſandis idoneam.

Sed quid ego iſta recenſeo, quaſi Artem Epiſtolarem, ac non potius Epiſtolas publicaturus ſim? Nimirum indicare volui, quam arduum ſit, non dicam plures Epiſtolas, ſed unam tantum bene ſcribere.

His omnibus adde ingenuam illam pulchritudinem, quam debet habere Epiſtola, de qua cum verba faceret vir excellentis & elegantiſsimi ingenii, *Greg. Nazianzenus*, ita lepidiſsime ſcripſit. (15) *Summa hæc eſt: quod ab eloquente quodam homine de aquila accepi, cum diceret: quo tempore aves de principatu diſceptabant, & aliæ aliter exornatæ venerunt, in aquila formoſiſsimum id fuiſſe, quod nihil formoſum eſſe putaretur. Hoc in Epiſtolis maxime obſervandum, ut minime ſint elaboratæ: quod proxime ad naturam accedit.* Atque hinc colligi poteſt, cur eruditiſsimorum virorum Epiſtolæ eximiam laudem non ſint promeritæ. Videlicet lucernam olere ſolent. Epiſtolarum igitur librum ſcribere non poteſt niſi homo omnium horarum, qui ſcire ſcribat amicis & familiaribus ſuaviter atque jucunde, doctis erudite & ſine faſtidio, verſipellibus caute, potentibus reverenter; in argumentis neceſſariis perſpicue & graviter; in voluntariis diſerte & amœne; ubique prudenter & eleganter. Quæ quam ſint difficilia, quantum ingenium, judicium, ac dex-

*** te-

(15) *Epiſt.* 209.

teritatem requirant; res ipſa declarat. Quis igitur ſperet Epiſtolarum librum conficere, & ſuperiora omnia, ubi occaſio poſtulet, adimplere feliciter? Sperent hæc ingenia multo feliciora præteritis. Certe poſt hominum memoriam, qui laudem hanc adeptus fuerit, adhuc inventus eſt nullus. Habuerunt aliqui ſuas dotes omni prædicatione digniſsimas: at paſsi etiam ſuos manes. Eſto itaque talis *M. Tullius*, ut omnes ſtili laudes ei denegari nequeant: adeo ut, *Silio Italico* veriſsime canente, non reliquerit

Par decus eloquii cuiquam ſperare nepotum.

At ubique urget jactantia, quæ adoleſcentulorum pectora gloriolæ avida ſubintrat, eiſque ſolet ingenerare intolerandam confidentiam. Eſto *L. Seneca* Lationorum Philoſophorum ingenioſiſsimus: at non tam Epiſtolas, quam volumina de Philoſophia ſcripſiſſe videtur ſtilo pleniſsimo dulcibus vitiis. Eſto *Plinius Cæcilius* feſtivus, acutus, nitidus; ſed ob nimiam mollitiem aliquando vir non videtur, & ut ipſe fatetur (16) *ſcholaſticas* Epiſtolas & *umbraticas* ſcripſit. Eſto *Tertullianus* vir magni ingenii, multiplicis reconditæque doctrinæ; ſed ſtilo ferreo ſcripſit, ut Afri ingenium agnoſcas. Sanctiſsimis Viris *Cypriano*, *Ambroſio*, *Auguſtino*, etiamſi criticorum eſſem Dictator, ſubmitterem faſces ob egregiam morum doctrinam, inſignemque pietatem, quæ in eorum lucent Epiſtolis, & imitandæ ſunt. Verum Linguæ Latinæ proprietatem & elegantiam in illis quærere debemus, quibus illi Patres tanquam dicendi magiſtris uſi ſunt. In *Terentio*, inquam, *Cæſare*, *Cicerone*, *Cornificio*, *Nepote*, *Hirtio*, *Salluſtio*, *Livio*, *M. Seneca*, *Paterculo*, *Mela*, *Columella*, *Quinctiliano*, *Lucretio*, *Catullo*, *Syro*, *Horatio*, *Virgilio*, *Propertio*, *Tibullo*, *Gratio*, *Ovidio*, *Phædro*, pauciſsimiſque aliis melioris ævi. A divis itaque Patribus doctrinæ puritas, vivendi ratio, & exempla haurienda ſunt; ab Æthnicis verborum delectus, ordo, ſtructura: uno vèrbo, Latine loquendi conſuetudo, quam illi una cum lacte à nutrice ſuxerunt, ingenuam, puram, incorruptam; & ſtudio excultam per-

(16) *Epiſt. lib. 9. epiſt. 2.*

pertinaci ad nos tranſmiſerunt. Si quis ex Sanctis Patribus ſtili laudes affectavit, is certe *Hieronymus*, *Tullianæ* eloquentiæ ut qui magis, adamator, *Donati* celebris Grammatici, & *Victorini* Rhetoris auditor, vir ingenii facundiſsimi, ſtupendæ lectionis, pertinaciſsimi ſtudii. Is tamen ob immenſam eruditionis copiam, ut flumen pluviis niviſque auctum, ſe continere nequit intra argumentorum terminos, obvia quæque irrumpit, & expatiatur; atque ob ingenii concitatiſsimi celeres ac vehementes motus, veluti torrens fertur rapidiſsime. Ubique ſcilicet declamat peroratque: adeo ut non inſcite dixerit egregius ille ingeniorum cenſor noſter *Jo.Ludovicus Vives* (17) eum *videri ſemper ad Judices dicere de cauſa capitali.*

Ut prætéream igitur hos majorum gentium ſcriptores; *Q.Aurelius Symmachus* acutus, & doctus eſt: ſed ejus ſtilus floridulus, ac ſupra modum luxurians, & parum Latinus. *Felix Ennodius* utilibus ſententiis abundat: verum, ut de ejus ſtilo ejuſdem verbis (18) judicium faciam, *Scaber ſermo anguſtiam pauperis ſignat ingenii, nec conceptum ſuum in ordinem diggerendo, noctem ſtudio elocutionis interſerit, & nebuloſæ narrationis ambiguo quandam generat de ipſa explanatione cæcitatem.* *Sidonius Apollinaris* locuples habet ingenium: ſed eodem tempore antiquarius, & vocabulorum novator eſt: duriter & horridule componit: ſæpe tumidus incedit, ſemper affectatus:

Et dum vitat humum, nubes & inania captat.

Aurelius Caſsiodorus Juriſperitis eſt neceſſarius, omnibus ſtudioſis utilis: ſed delicatis auribus parum gratus ob tortuoſum & inſuave dicendi genus. *Jo. Sarisburienſis* vir ſupra ſuæ ætatis captum eruditus, diſertuſque, noſtri temporis criticis, neque in judicio rerum, neque in dictione probatur, niſi ubi optimæ notæ ſcriptores, aut deſcribit, aut imitatur. *Franciſcus Petrarcha* ſuo egregio ingenio excitare cœpit apud Italos Latinæ linguæ amorem, & ſuo

(17) *De conſcribendis Epiſtolis cap.ult.*
(18) *Epiſtol. lib.1. cap.8.*

tempore neminem agnovit ſuperiorem in ſtili laudibus: ſed ſui ſeculi barbariem exuere nequivit. Eſt præterea prolixus, ſomnumque provocat. *Jo. Franciſcus Poggius* garrulus eſt ac nugivendus. *Leonardus Brunus* ab Aretio urbe cognominatus *Aretinus*, phraſeos facilitate ac perſpicuitate imitari conatur *M. Tullium*: ſed illum *nervi deficiunt animique*, ac Latini ſermonis proprietas. *Franciſcus Philelphus* non tam placet aliis, quam ſibi. Homo vaniſsimus eſt, atque ridiculus. *Æneas Sylvius*, poſtea *Pius Secundus*, plus habet ingenii, quam artis. *Rodulphi Agricolæ* Epiſtolæ mire cordatæ ſunt; ſed carent illa feſtivitate quæ hujus ſcriptionis propria eſt: nec ſunt ubique Latinæ. *Jacobus Antiquarius* vir bonus videtur; ſed eundem

Beotum in craſſo jurares aere natum.

Nicolaus Leonicenus neque magnas habet virtutes, neque magna vitia. *Hermolaus Barbarus* barbariæ hoſtis acerrimus magno fuit judicio, magnaque doctrina; ſed duriuſculus, & horridulus. *Marſilius Ficinus*, *Platonis* doctrinæ inſtaurator, invenuſtus eſt atque moleſtus. *Petrus Calaber*, ſive ut notius nominem, *Julius Pomponius Lætus*, præter dictionis nitorem, quem mirifice adamavit, & plane fuit conſequutus, nihil præterea adeptus magna laude dignum. *M. Antonius Coccius Sabellicus*, leniter ſcripſit, ut *Pomponii Læti* diſcipulum agnoſcas: at plerumque inſulſus & infacetus videtur mihi. *Angelus Baſſus* vulgo *Politianus* vir fuit mirabilis ingenii, exquiſitæ eruditionis, ſummæ venuſtatis. Ingenium autem corrupit argutule laſciviens: &, ut ſe oſtentet eruditum, ſolet a propoſito divertere. Præterea maledicentia ſuas infecit Epiſtolas. Unde valde miror quod *Laurentius Palmyrenus* narrat (19) in hac noſtra Academia Valentina, in qua ipſe Grammaticam, atque Rhetoricam magna celebritate profeſſus eſt, prælegi ſolitas *Politiani* Epiſtolas. *Joannes Picus Mirandulanus*, ſi quantum habuit ingenium ac memoriam, maturitatis judicii gravitatiſque ha-

(19) In Libello *De vera & facili imitatione Ciceronis ad Honoratum Joannium.*

habuiſſet, admirabilis fuiſſet Epiſtolarum artifex. *Chriſtophorus Longolius* ſimiolus eſt *Ciceronis.*

Serpit humi tutus nimium timiduſque procellæ
In verbis etiam tenuis cautuſque ſerendis.

Gerardus Gerardi notus omnibus nomine *Deſiderii Eraſmi* prægrande ſcripſit Epiſtolarum volumen, in quo excellentiſsimum ejus ingenium, extemporalis facundia, incredibilis facilitas apparet. Sed præter quam quod de eo dixit ſcitiſsime Secundus Italorum *Varro Lilius Gregorius Giraldus, inter Germanos Latinum, inter Latinos Germanum*; quod multo pejus eſt, lectori infundit ſuperbiam. Neque mirum, cum ipſe *Ignatius Lojola* cœleſtis prudentiæ ſapientiæque vir, ſtudioſe perlegens *Enchiridion militis Chriſtiani*, celeriter ſenſerit, ea lectione ſpiritus fervorem in ſe, quaſi frigida ſuperfuſa, reſtringui. *Quæ cauſſa fuit* (verba refero diſertiſsimi viri *Petri Joannis Maffei* (20) *ut neque in manus poſtea ſumſerit ipſe, & multo poſt, Generalis creatus omnia ſcriptoris illius opera in Societate Jeſu legi vetuerit: non quo ſingula hæretico veneno infecta putaret; ſed ne quis forte captus facetiis ac dicacitate viri, ſenſim, ut fit, ab incorruptis ad vitioſa quoque deſcenderet. Joannes Ludovicus Vives* vir maximo ingenio, majorique judicio, ſi plures Epiſtolas matura ætate ſcripſiſſet, eandemque diligentiam adhibuiſſet, quam deſideravit in aliis, (21) proculdubio eſſet ponendus inter ſummos Epiſtolarum artifices. Quas juvenis admodum *Eraſmo* dedit, humiles & alicubi etiam parum Latinæ ſunt: quas ætate virili, cumque eſſet ſenior, ad alios ſcripſit, plenæ ſunt ſapientia & tam præclaro philoſopho digniſsimæ ſunt. *Thomas Morus* mirifice ingenioſus atque facetus eſt: ſed inſcribendo negligentiam ſæpiſsime prodit. *Guilielmus Budæus* ingenii & eruditionis ſuæ admirator, latiſſime vagatur, quemadmodum

Expatiata ruunt per apertos flumina campos.

Petrus Bembus Tullianæ eloquentiæ melior fuit admirator,

(20) *Lib.* 1. *De vita & moribus Ignatii Lojolæ cap.* 16. (21) *Vide librum De conſcrib. Epiſt. in fine.*

tor, quam imitator: occupatus enim in ejus verbis seligendis collocandisque, ut oratio esset pura, perspicua, fluensque, parum intendit ad res: adeoque frigidulus, & languidulus est; interdum etiam ineptus. *Jacobus Sadoletus* graviter, nitide, splendideque scripsit, & *Ciceronis* fuit imitator egregius, si voces aliquas locutionesque Ecclesiasticas excipias, quæ Episcopo, & Cardinali, quin & Christiano cuilibet in tempore optime conveniunt. Verum multas scripsit Epistolas adeo prolixas & fastidiosas, ut iis æquo animo carere possemus. *Julius Cæsar Scaliger* vir maximi ingenii, si credimus *Josepho Justo Scaligero* ejusdem filio eximioque critico (22) *quando festinanter Epistolas exarabat, egregiæ erant: sed quando illas meditabatur, Philosophum redolebant.* Nimirum ille ingenium habuit instar fulminis, ardens, concitatissimum, celerrimum. *Petrus Victorius* cum judicio scribit & perquam eleganter: sed ejus prolixitas, Italorum familiaris, fastidium parit. *Dionysius Lambimus* Latine optime scribebat: verum Epistolarum illam quam inquirimus perfectionem minime agnovit. Totus fuit in oratione quadranda & elaboranda. *Joannes Genesius de Sepulveda* in aliquibus Epistolis utilia docet, sed vix in una delectat. In *Joanne Versoza* doctrinam & gravitatem laudo; numerorum suavitatem atque dulcedinem desidero. *Petrus Angelus Bargæus* pręter humanarum literarum professionem nihil ostentat amplius. *Joannes Michael Brutus* cognomini suo *M. Bruto* longe dissimilis est. Hic brevis, ingeniosus elegans; ille prolixus, parum sententiosus, insipidus. Si eruditissimus *Nicolaus Antonius* publicasset (ut in votis habebat) *Antonii Augustini Epistolas*, tunc possemus proferre nostrum de illis judicium. Minime dubito quin viderentur esse tanto viro dignissimæ: hoc est: prudentes, eruditæ, graves, ut sunt ejus omnia. Sed si ex ejusdem una aut altera Epistola ejus operibus præfixa, rem æstimare possumus, deesset illis nescio quid eutrapeliæ, cui se non semper accomodasset tanti viri gra-

(22) *Scaligerana poster. Gall.*

gravitas. Et ut dicam, licet invitus, quod ſentio, lepidiores optaremus. Sed maxime dolendum eſt literatis viris deeſſe ideas perfectiſsimas erudite ſcribendi. At bene ſit manibus *Hieron. Blancæ* Aragonenſium rerum luculentiſsimo Scriptori, & magni *Hieron. Suritæ* ſucceſſori digniſsimo, qui unam ejus Epiſtolam velut ex naufragio tabulam immortalitati conſecravit. *Petrus Bunellus* adeo pueriliter imitatur *Ciceronem*, ut ſtatim animo ſuccurrat illud: *Simia ſemper eſt ſimia etiam ſi aurea geſtet inſignia. Paullus Manutius Aldi* filius aſsidue tractandis *Ciceronis* libris ac pertinaci diligentia ad illius phraſin proxime acceſsit. Verum nimis laxus eſt atque redundans, & argumenta tractat jejune, ut ſolent omnes quibus verborum eſt ſollicitudo, cura rerum: contra quam docuit *Quinctilianus* eximius eloquentiæ Magiſter, eloquentiſsimus & ipſe. *Jacobus Cujacius* paucas admodum ſcripſit Epiſtolas, Latiniſsimas quidem, ſed inſipidas & parum vividas; nam Epiſtola illa graviſsima, dedignabunda, tantique viri gravitate digniſsima, quam veluti libellum repudii miſiſſe dicirur, S. P. Q. Toloſano, a viro aliquo ingenioſo ficta videtur. (23) *Q. Marius Corradus* cum ſuis Epiſtolis *De lingua Latina retinenda* toties recoctam cramben ſemper apponat, lectorem miſerum occidit. *M. Antonius Muretus* melior orator, quam Epiſtolarum artifex, proxime omnium acceſsit ad locutionem Terentii. Nec mirum: ipſe enim ita de ſe teſtatur. (24) *Quoniam Ciceronem ſummo tot ætatum conſenſu primas ſine controverſia tenere, ab ipſo autem Cicerone Terentium ut optimum Latinitatis auctorem citari videbam, incredibile ſtudium in ejus poetæ fabulis collocavi, ut etiam crebro repetita lectione, adverbum ediſcerem.* Sed nihilominus præter ſtili facilitatem & elegantiam, nihil in ejus Epiſtolis occurrit magna laude dignum, ſi unam aut alteram excipias. *Aldus Manutius Paulli* filius egregium oſtentat philologiæ ſtudium, nihil amplius.

E-

(23) *Ea ſic ſe habet.* S.P.Q.Toloſano Jacobus Cujacius S.P.D. *Fruſtra abſentem requiritis quem præſentem neglexiſtis.* (24) *In Epiſtola Dedicatoria* Terentii *a ſe emendati.*

Ejus Epiſtolæ *de Epiſtolis* locum ego do principem. Mire cordata atque diſerta eſt. *Augerius Giſlenus Busbequius*, Hiſtoricus eſt potius, quam Epiſtolicus Scriptor. *Joſephus Juſtus Scaliger* vaſtiſsimo ingenio atque memoria admiranda antiquitatem omnem complexus eſt: & hujus rei præclariſsima documenta dedit in eruditiſsimis Epiſtolis, quarum Claviculam habemus inter Opuſcula *Claudii Colomeſii* viri lectionis amœniſsimæ: at genium Epiſtolicum non habuit, ſed contentioſum, & arrogantem. *Juſtus Lipſius* in deliciis habendus ob ingenii acumen, judicii præſtantiam, eruditionis copiam, delectumque, ſtili venuſtatem, & exquiſitiſsimum ornatum: verum, ut loquar cum *Gerardo Joanne Voſsio*,(25) *Nemo diffiteri poſsit eum modum minime tenuiſſe in vocibus priſcis, Poeticis, duris, ut eruditioni ejus non parum amplius debeant literæ, quam ſtili exemplo.* Prætereo affectatas illas argutias, vocum ſimilium aut ambiguarum puerilem captationem, nimis conſciſſum dicendi genus interrogatiunculis ſcatens, obſcuritatem ſtudioſam: quæ omnia faciunt ut imitationi *Lipſius* proponi non debeat, imo nec tirunculorum lectioni, ne ſpecie boni decipiantur, & cacozeliam ſectentur, omnium in eloquentia vitiorum peſsimum. *Antonius Perezius M. Antonii Mureti* eloquentiſsimi viri otioſiſsimus auditor cum ſuis omnibus argutiolis

Migret in obſcuras humili ſermone tabernas.

Dominicus Baudius ingenii felicitatem & induſtriam corrupit argutiis ſalibuſque ineptis,

..... *ſi modo ego & tu*
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto.

Iſaacus Caſaubonus eſt eruditiſsimus: at non modo *Gaſpari Scioppio* (26) qui ſolet omnes reprehendere, ſed & *Franciſco Vavaſſori* diſertiſsimo viro videtur barbare loqui.(27)In eo tamen laudandus quod illius Epiſtolæ multa continent ad Ci-

(25) *Lib. 4. Inſtit. orat. n.7.cap.6.* (26) *Sub nomine* Paſchaſii Groſippi *in libello* De Rhetoricarum exercitationum generibus. (27) *Judic. Erudit. Pariſ.* 16. 85.

Civilem illius temporis & literariam Hiſtoriam. Affectavit imitari *Ciceronis ad Atticum* Epiſtolas myſteriis plenas: obſcurarum tamen alluſionem bonam partem detexit *Claudius Colomeſius* vir floridiſsimi ingenii. *Hieronymus Boſſius* vir peramœno ingenio ſcripſit Epiſtolas communicationi magis Scholaſticæ, quam Civili convenientes. Stili æquis æſtimatoribus eæ videbuntur,

Florida per varios ut pingitur Hybla colores,
Cum breve Sicaniæ ver populantur apes.

Hugo Grotius eruditiſsimi viri partes optime tutatur. Multa habet in Epiſtolis ad ſui temporis Hiſtoriam pertinentia; multa præclariſsima ad diverſarum Scientiarum illuſtrationem. Ubique brevis & adſtrictus eſt: verum non ubique ſui ſimilis. Nunc magnifice ſcribit, nunc abjecte; modo purus eſt, modo lutulentus, ſemper horridulus. *Petrus Gaſſendus*, aut philoſophatur, aut Mathematica tractat. Lectu tamen digniſsimus, ob egregium judicium, exquiſitam eruditionis copiam, gravitatem ingenuam, dicendique genus perſpicuum, & amœnum, licet non ubique Latinum. *Gerardus Joannes Voſsius* vir ad miraculum eruditus ſummo judicio ſcripſit, ſumma perſpicuitate: at niſi cum multum meditabatur, aut excerptis ſuis utebatur, negligentiuſcule ſcribebat. Verumtamen *culpabit aliquis hunc magis, quam imitabitur*. *Gaſpar Scioppius*, *Canis Grammaticus*, ubique mordet, aut latrat: ad ſummum Gramatica jejune tractat. *Claudius Salmaſius* arrogans eſt, petulans, prolixus, tumultuarius ſcriptor: ceteroqui Philologus inſignis, majoris ingenii, quam judicii. Ejus epiſtolarum Clavim efformavit eruditus *Colomeſius*. *Gaſpar Barlæus* aliqua memorat ad Bataviæ Hiſtoriam facientia. Ingenio fuit facundo, feſtivoque, argutiarum amante, dictione non ſatis munda. *Tanaquillus Faber* ingenio præclariſsimo abuſus eſt, prodiditque ſe otioſiſsimum, & audaciſsimum criticum; nullo diſcrimine miſcuit ſacra prophanis. *Hubertus Languetus* ſeptimanus nuncius videtur, alioqui gnarus Politices. *Thomas Reineſius* eruditionem exquiſitam ſtilo

pluſquam ferreo obſcuriſsimoque prodidit. *Petrus Daniel Huetius* ſummo judicio ſcribit, ſumma eruditione : ſtilus ejus puriſsimus ; ſed nunquam aſſurgit, & eſt duriuſculus, *Joannes Clericus* celeberrimus Criticus Epiſtolas Criticas, & Eccleſiaſticas ſcripſit. Nihil in illis maxime laudandum occurrit præter orationis munditiem, & perſpicuitatem. Cordatiores Epiſtolæ duæ poſtremæ, niſi eas deturpaſſet impietatis maculis, quibus ſordent ejus omnia ſcripta ceteroquin erudita, & peramœna. Omitto alios Epiſtolarum Scriptores, quos aut non legi, aut in memoriam, non revoco, aut quia pauciſsimas ſcripſerunt Epiſtolas, non putavi recenſendas.

Superiorum autem & virtutes & vitia retuli, ut intelligas, neminem in hoc ſcribendi genere ita verſatum fuiſſe, qui non mereatur reprehendi, non ſolum mea, ſed virorum etiam eruditiſsimorum ſententia, vel ob *argumentorum inutilitatem*, vel *ob ſtili vitia*, vel *ob peſsimum epiſtolarum delectum*.

Argumentorum inutilitas inſectationem acrem meretur. Graviter enim peccat, qui lectorem fruſtra moratur, tempuſque furripit, rerum omnium pretioſiſsimam & irreparabilem. Cum vero epiſtolæ inventę ſint, *ut certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet*, (28) potuit epiſtola utiliſsima eſſe ſcribenti, aut ei cui miſſa fuit, & inutilis lectori : qui tamen præcipue in epiſtolarum publicatione attendi debet : oportet enim (de utilitate loquor) jam niſi ad decôri reſpectum non haberi aliquam ſcribentis, aut ejus cui ſcriptum eſt rationem, ſed ſolius lectoris, in cujus gratiam publicatur, & quaſi denuo ſcribitur : ita ut niſi Epiſtola aliquid contineat, cujus cognitio lectori prodeſſe poſsit, aut ſaltem eum delectare, vel ob rei utilitatem, vel ob ſtili elegantiam, epiſtola ſit otioſiſsima & inutilis. Ideo *Ciceronis* Epiſtolæ maximo in pretio ſunt, quia, res utiliſsimas ſæpiſsime continent, ſtili dotibus ubique nitent. *Stili vitia* optimę il-

(28) *Cic. Epiſt. lib. 2. Ep. 4.*

ille potuit effugere in ſeculo, in quo ad perfectionem ſummam Latina lingua pervenit: adeoque id ei commune fuit, cum illius ſeculi præſtantiſsimis viris, *C. Cæſare, Ser. Sulpicio, Q. Metello Q. F. Celeri. L. Luccejo, A Cæcina, Q. Cicerone, M. Cœlio, M. Bruto*, aliiſque, quorum Epiſtolas legimus adeo elegantes, ut ſi demas inſcriptiones, videri poſſint omnes *Ciceronis* eſſe; ſi unus excipiatur *M. Terentius Varro* Romanorum omnium doctiſsimus qui ex antiqua lectione multum rubiginis contraxerat, & licet illorum coætaneus, præcedentis ſeculi videtur Scriptor. Illi vero quorum antea feci mentionem, conſuetudini loquendi omnino dediti, vivebant, uti dixi, quo tempore Latina lingua ad maturitatem pervenit. A nutricibus ſuis una cum lacte imbibebant: ad domeſticam illam conſuetudinem Latine & emendate loquendi accedebant præterea multæ literæ, & eæ quidem reconditæ & exquiſitæ, ſummumque ſtudium & diligentia, uti in *C. Cæſare* nominatim laudavit Cicero, (29) & nos agnoſcere debemus in illis omnibus. Illud certiſsimum, ſe exercere ſolitos, non fictis ſolum declamationibus, ut poſt occupatam Rempublicam, *Hirtius, Caſsius*, & *Dolabella* apud Ciceronem; (30) ſed veris acerrimiſque contentionibus. Nos qui caremus his omnibus; qui præceptis tantum & obſervatione peregrinam diſcimus linguam: adde, ſi quis in Hiſpania vivat, qui Præceptoribus eruditis deſtituti ſumus, qui Dictionarium ſatis exactum non habemus: de quo jam ſuo tempore conquerebatur ſummus Vir *Joannes Ludovicus Vives*: (31) qui ſtili caſtigatoribus egemus; qui ejus exercendi nullam habemus opportunitatem; mirum non eſt; ſi in vocabulum aliquod parum Latinum, aut in phraſin inſolentem impingamus. Melioribus ſubſidiis utebantur, *Deſiderius Eraſmus Roterodamus*, *Petrus Bembus*, *Paulus Manutius*, *Juſtus Lipſius*, *Iſaacus Caſaubonus*, *Gerardus Joannes Voſsius*, *Claudius Salmaſius* humaniorum literarum

(29) *In Bruto.* (30) *Epiſt. lib. 7. Epiſt. ultim.* (31) *De tradendis diſciplinis lib. 3.*

lumina clariſsima : & tamen *Eraſmo* objecit *Gyraldus* Germanitatem : in *Bembo* reperit *Lipſius* quæ non modo *Tulliana* non ſint, ſed vix Latina : in *Manutio* barbara *Scioppius* : idem in *Lipſio* multa alia vitia ; & ejuſdem Latinitatem ſingulari libro notavit *Henricus Stephanus*. In *Caſaubono* caſtigavit non ſolum *Gaſpar Scioppius*, ſed & *Franciſcus Vavaſſor* barbariſmos, & ſoloeciſmos. In *Voſsium Scioppius* quamplurima animavertit reprehenſione digniſsima. *Salmaſius* graviſsime fuit caſtigatus a *Dionyſio Petavio*, viro acerrimi judicii, & multiplicis eruditionis. Ego ut in hac re judicium proferam ; cum lego librum Epiſtolicum (aut quemlibet alium) ſi res utiles invenio, & ſtilum puritate & elegantia fere ſemper aquabilem;

..... *non ego paucis*
Offendor maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Sic erga alios habeo me : ſic & ipſos erga me ſe habere cupio. Scilicet Epiſtolis eadem quæ epigrammatis venia concedi debet : de quibus *Martialis* noſter diſertiſsime ſcripſit:

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura
Quæ legis : hic aliter non fit, Avite, liber.

Nihil me magis offendit, quam *Rerum malus delectus*, qui judicii inopiam arguit, aut nimiam confidentiam, lectoriſve deſpectum.

Cum ego hæc omnia cogitatione evolverem ; dubitabam profecto, operæ ne pretium facturus eſſem, ſi Epiſtolas meas publicarem, an futurum eſſet conſultius, eas continere domi. Huc illucque impellebatur animus. Ab una parte judiciorum aleam timebam : ab altera præclariſsimorum hominum ſocietatem, ſi forte cum illis inire poſſem, ambiebam. Decrevi tandem Epiſtolarum volumen publicare. Mei conſilii cauſſas nunc aperiam.

Equidem ego ſic exiſtimo. Scripta merentur laudari, vel *a rerum copia & delectu*, vel *a verborum electione, & diſpoſitione*. Ad primum quod attinet, in animum induxi eas

ſo-

ſolum edere Epiſtolas, quæ aliquid continent lectu dignum, vel quod ad Civilem vitam conducat, vel ad Hiſtoriam literariam. Quæ pertinent ad hanc eo gratiora futura ſpero, quo plura edocebunt adhuc parum nota. Cum Epiſtolis etiam publicare conſtitui (non ſine plurimis exemplis eruditiſsimorum virorum) Præfationes aliquas, quas meis Opellis præmiſi: tum quia illæ re vera ſunt Epiſtolæ ad Lectorem miſſæ; tum ne pereant, ſi forte, ut cogito, meas Opellas recognovero, & auxero, novoſque Prolegos addidero. Ne vero aliquæ Epiſtolæ ingratæ eſſent iis, qui Juriſprudentiam minime profitentur, *Diſputationes Epiſtolicas* publicare diſtuli, etiamſi in iis videbar poſſe quaſi jure meo ſperare approbationem aliquam ſtudioſorum Juris. Earum tamen veluti guſtum præmiſi in paucis Epiſtolis pertinentibus ad literariam Juris Hiſtoriam. Præterea ut Epiſtolis meis pretium aliquod adderem, adjunxi eruditiſsimorum virorum Reſponſiones aliquas, Hiſpanorum præcipue, quibuſcum mihi frequentior communicatio fuit. Commercia autem literaria temporum ordine diſtinxi, ut facilius agnoſcatur rerum ſeries. Poſtremo Indicem addidi locupletiſsimum, qui & ad hoc volumen, & ad plurima alia evolvenda poſsit eſſe uſui. Sic fiet, ut Hiſpaniæ gloriæ pro virili conſulam, cum manifeſtum faciam, quo tempore ipſa apud ceteras Nationes accuſatur barbariæ, tot eam habere viros omni eruditionis genere præſtantes, quibus nihil aliud deeſt niſi ut præmiis foveantur, ut per ea fiant notiores. In eorum vero Reſponſionibus publicandis rationem habui, tum ipſorum modeſtiæ, tum dignitatis: illius dum paucas publico; hujus dum meliores, eaſque tantum in quibus nullum ſit arcanum quod latere debeat. Nec vero quiſquam de me querendi juſtam cauſſam habebit, propterea quod, aut nullam epiſtolam ſuam, aut non omnes publicarim. Primum amiſi multas; deinde facile quiſque poterit hanc jacturam ſarcire: publicet ipſe.

Ad *ſtilum* quod attinet, loquendi proprietatem, & perſpicuitatem ſemper adamavi. Si alicubi non ſum aſſequu-

quutus , commonefieri gaudebo , ne iterum ad eundem lapidem offendam. Scio me ſcripſiſſe in extranea lingua, quamque ego didici , nullo præclaro magiſtro. E ludo literario prodii ſicuti in Hiſpania ſolent ii , quibus ingenium mediocre , ſtudiumque alacre. Nullum deinde Directorem habui. Ea via inceſsi qua me genius duxit. Scriptores quos omnium conſenſu ſciebam optimos eſſe , aſsidue tractavi. Stilum, quantum potui , exercui , ſcribens literas ad eruditiſsimos viros , præſertim ad *Emmanuelem Martinum* Decanum Alonenſem , noſtræ ætatis ornamentum. Et licet quo tempore primas ad eum dedi literas , ipſe pro ſua egregia humanitate , nimiaque erga me indulgentia , fratri ſuo *Joſepho* adeo honorificum de me , deque meo ſtilo teſtimonium dederit, (32) ut inter Latinæ linguæ cultores non infimum in Hiſpania locum obtinere viderer : tamen ingratiſsimus eſſem , niſi publice faterer , teſtarerque, me multum debuiſſe hujus excellentis viri monitis graviſsimis , præceptiſque præclariſsimis. Ille me ad Latium currentem incitavit: ille ſuo exemplo meum pectus ſapientiæ amore incendit inflammavitque. Ideo omnes ejus Epiſtolas ad me publicare volui , poſſemque nunc multo plures publici juris facere, niſi poſtea, Latina communicatione interrupta, nos convertiſſemus ad Hiſpanam. In qua lingua Epiſtolas ab eo accepi (ac diligentiſsime cuſtodio) adeo eruditas & elegantes, ut in hoc genere ſcribendi nihil habeat præſtantius idioma noſtrum. Quanquam neque deſpero ejuſdem viri eruditiſſimi multo plures Epiſtolas Latinas in lucem edere, quarum ha-

(32) La Carta Latina del Señor Don Gregorio Mayans, me ha llenado de gozo , i admiracion , por ver que ai todavia en Eſpaña quien buelva por ſu caſi extincto credito en eſta parte , i nos ofrezca que oponer a los baldones de los eſtrangeros. Tengo conocimiento de todas las mayores plumas de Eſpaña , i puedo jurar , que ninguna eſtá mas bien templada , i que no he viſto piſar con mas tiento , i delicadeza la angoſta , i eſpinoſa ſenda de la Lengua Latina , libre de los abrojos , i cambrones de que eſtà llena. *Hoc capitulum deſcriptum fuit ex Emmanuelis Martini Epiſtola data Alonæ , Anno 1720. decimo ſeptimo Kal. Januarias.*

habet paratas ſummus vir tres Centurias, quas ille miſit ad doctiſsimos Europæ viros. Has ego ſpero me impetraturum facile (quæ noſtra eſt amicitia, & illius liberalitas) ſi forte petiero. Reipublicæ literariæ intereſſet plurimum, publici juris fieri illam Epiſtolarum Syllogen, ceterarum omnium utiliſsimam, illuſtriſsimamque.

Sed redeo ad præſentis publicationis conſilium. Has ego Epiſtolas eo libentius evulgo, quo magis conſidero a nullo Hiſpano factam ad hunc diem collectionem aliquam, quæ cum egregio aliquo fructu, aut ſaltem jucunditate morari poſsit eruditorum oculos. Nam *Hieronymorum Cardoſi & Oſorii*, *Joannis Gelidæ*, *Joannis Geneſii Sepulvedæ*, & aliorum paucorum Epiſtolæ tanti non ſunt, ut me deterrere debeant. Certe quin illis multo meliores ſint amicorum meorum, quas ego publico, minime dubito. Gratiam igitur aliquam, ſi non a meis, procul dubio conſequar ab amicorum Epiſtolis. Tu pro tuo judicio prudentiaque hæc judicabis. Hæc volebam ut ſcires. Hoc unum præcipuumque ſupereſt. Teſtor Deum hominesque, laudes omnes quas aliquibus Heterodoxis attribui, eo ſolum ſpectare, ut agnoſcantur ipſorum dotes naturales moraleſque, quarum cognitio nos veræ Religionis cultores poteſt debetque meliores facere. Eorundem vero perfidiam ac pervicaciam deteſtor, abominor, melioremque eis opto mentem. Vale.

CATALOGUS EORUM QUI SCRIPSERUNT, SUOVE nomine dederunt hujus Voluminis Epiſtolas.

Greg. Majanſii, Generoſi, & Antec. Valentini Dedicatio ad Eminentiſsimum Virum Andream Herculem Floridum, Card. Illuſtriſsimum.

Ejuſdem Epiſtola ad Lectorem.

IN LIBRO I.

Greg. Majanſius, præter Oratiunculam, & Elegiam, ſcripſit Epiſtolas 15.

Emmanuel Martinus, Oropeſanus, Juris Canonici Doct. & Decan. Alon. 13.

IN LIBRO II.

Greg. Majanſius, 19.

Thomas Vincentius Toſca, Valentinus, Doctor Theologus, & Congregationis Oratorii Præfectus, 2.

Io-

Joſephus Emmanuel Miniana, Valentinorum Trinitariorum, quos Calceatos vocant, Cœnobiarcha, 5.
Philippus Bulipho, J.V.D. olim in Neapolitano foro Cauſſarum Patronus, poſtmodum in Alonenſi Tractu Regii Ærarii Præfectus, 3.
Emmanuel Martinus, 2.
Janus Interamnenſis Ajalæus e Sodalitio B. Mariæ Virginis de Mercede, Doctor Salmant. Theologiæ & Sacrar. Linguarum Profeſſor Emeritus, 2.

IN LIBRO III.

Greg. Majanſius, præter Deſcriptionem Inſcriptionũ quæ Sagunti extant, 16.
Mathias Chafreonius J.C. Val. S.C.D. & Primarius Profeſſor Salmant. 1.
Simon Balnearius, I. C. Salmant. & Inſtitut. Juſt. Matutinus Interpres, 1.
Joſephus Scrigius, J.V.D. Val. & Inſt. Juſt. Interpres extraordinarius, 1.
Auguſtinus Bazterra, & Joſephus Amuſquibar, J. C. Cantabri, 1.
Emmanuel Majanſius, J. C. Olivenſis, 1.
Andreas Orbis & Larreategui, Archiepiſcopus Valentinus, & Regii Caſtellæ Senatus Gubernator, 1.
Rector & Valentinum Collegium Corporis Chriſti, 1.
Emmanuel Martinus præter Hendecaſyllabos, 2.
Franciſcus Paſchaſius, J. C. Olivenſis, & in Academia Valentina Juris Profeſſor extraordinarius, 1.
Franciſcus Blanquetus, Juris Canonici Doctor, & Anteceſſor Cervarienſis, 2.
Joſephus Octavius Buſtantius Reipublicæ Genuenſis Orator, 1.

IN LIBRO IV.

Greg. Majanſius, 13.
Joſephus Feneſtella, J. C. Barcinonenſis, & apud Cervarienſes Veſpertinus Legum Anteceſſor, præter Epicedion Jambicum, 9.
Franciſcus Feneſtella, J. C. Barcinonenſis, Juris Canonici Profeſſor Cervarienſis, & Canonicus Gerundenſis, 1.

IN LIBRO V.

Franciſcus Dionyſius Camuſatus Neſuntinus, 2.
Greg. Majanſ. præter Criticum Catalogum libror. Juridicorum Bibl. ſuæ, 5.
Emmanuel Martinus ſimul cum Hendecaſyllabis, 1.

IN LIBRO VI.

Greg. Majanſius, 20.
Joannes Burchardus Menckenius Regis Poloniæ Conſiliarius, 1.
Vincentius Nicolaus Millera, J. C. Valentinus, 1.
Jo. Baſilius Caſtelvinius, Val. Cervellionis Comes, & Imp. Conſiliarius, 1.
Michael Egual, Decurionum Olivenſium Secretarius, 1.
Joannes Baptiſta Coraccianus, Valentinus, Philoſophiæ, & Theologiæ Doctor, & Matheſeos Profeſſor Emeritus, 1.
Joſephus Antonius Montianus, Regii Prætorii Valentini Senator, 1.
Emmanuel Martinus, 2.
Philippus Bulipho, 1
Joſephus Pardus, Limenſis, Prætoriarum Cohortium in Mexico Præfectus, 1
Elegia Gregorii Majanſii ad ſuum Epiſtolarum Volumen.

GRE-

GREGORII MAJANSII, GENEROSI, ET ANTECESSORIS VALENTINI, EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.

I. GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO *Decano Alonensi S.D.*

IAMDIU est, *Emmanuel Martine* vir præstantissime, ex quo ego suspicio tuam egregiam doctrinam in disciplinis omnibus, & cognitionem perfectissimam optimarum artium. Nam & Valentiæ *Thomam Vincentium Toscam*, & *Josephum Mignanam* tuas virtutes prædicantes persæpe audivi; & Salmanticæ (postquam in hac Urbe sum) nullus fere dies abiit, quin honorifica mihi de te mentio esset cum *Josepho Borrullio* tui amantissimo. Hic aliquot epistolas tuas excribendas mihi dedit; quibus legendis, mirificam atque incredibilem voluptatem accepi, propter sum-

mām illam eruditionis copiam, ſingularem dicendi præſtantiam, ac prope divinam in explicandis rebus perſpicuitatem. Hiſce tuis impulſus laudibus, incredibile dictu eſt quanto ſtudio, quanta benevolentia te amplectar; ut te non ſolum proſequar amore, quo magnum quemque hominem diligere ſolemus, ſed quo vir amiciſsimus, cujus virtus nobis diu perſpecta & cognita eſt, viſceribus noſtris inhæret. Quamobrem, amore meo indignum ratus hanc meam benevolentiam tibi notam non eſſe; rogavi *Joſephum* fratrem tuum adoleſcentem optimum, uti has literulas ad te mitteret; ut vel ex me uno intelligas quam multa in nominibus tuis ſint quæ tu neſcis, debitores tui ſe tibi debere non inficiantur. Equidem tua intereſt, *Emmanuel*, quantum in ære habeas ſcire, De me ultro fateor. Diligenter rationes tuas computabis, ſi omnino nihil tam tuum eſſe, quam mea omnia, meque ipſum exiſtimaveris. Quare opera, ſtudio, diligentia mea defruere, vel, ſi mavis, abutere. Mihi autem curæ erit, magnos ex amicitia tua fructus capere: ſuaviſsimos dicam, cum, quæ aliorum palatum pungere ſolent erratorum admonitiones, crebro inter pulcherrima literarum tuarum folia invenero. Idcirco habebis cum his literis *Oratiunculam* fere extemporalem, quam cum *Borrullius* in Salmanticenſis Academiæ Senatum cooptaretur, ad ampliſsimum Ordinem habui. Mittam & alias opellas, ſi de erratis, quæ in *Oratiuncula* iſta ſine dubio erunt, libero animo me admonueris. Scilicet novi januam ad ſapientiam eſſe cognitionem erratorum. Quamobrem, ſi ullum in me eſſe putas ſapientiæ amorem, cave credas, quicquam gratius jucundiuſque mihi poſſe accidere, quam ut me mihi notiorem reddas, inſcitiam meam manifeſtando mihi. Libere igitur hanc lucubratiunculam recognoſce, cancella, dele, ſtylo tuo confige. Aude, mi ſuaviſsime *Martine*, te verum amicum eſſe: incipe. Atqui vereor ne graviſsimas occupationes tuas pluſquam par erat, longis his ac moleſtis literis interpel-

latum iverim. Quare rogo te atque oro, ignoſcas confidentiæ meæ qua ego adoleſcentulus nulla literatura præditus, & ab ſchola literatoris nudius tertius prodiens, eruditiſsimum hujus ſeculi virum adloqui audeo. Erit indulgentiæ tuæ, *Emmanuel* humaniſsime, ut qui literas ipſas dum iis deditus es, humaniores reddideris, literarum ſtudioſo humanitatem tuam avide cupienti experiri, ne deeſſe videaris. Vale o hujus ævi gloria, *noſtræque laus Hiſpaniæ.* Salmanticæ, IIV. Non. Decemb. Anni MDCCXX.

GREG. MAJANSII GENEROSI VALENTINI ORATIO ad Salmanticenſis Academiæ Senatum pro Joſephi Borrullii Primarii Juris Civilis Anteceſſoris in eum Ordinem adlectione.

VIdeo P.C. magnopere animos veſtros excitatos incredibili voluptate quam cepiſtis ex maturo prudentiſsimoque conſilio ornatiſsimi viri *Joſephi Borrullii* in ordinem veſtrum cooptandi. Idque non inanis conjectura, ſed veſtra abunde declarat hilaritas, & exultans lætitia, adeo ut tantorum conſcii meritorum vobiſmetipſis gratulari videamini. Quæ igitur eſt mea perſona? quæ partes? Profecto nullæ, niſi cauſa talis oblata eſſet, in qua earum rerum eſt habenda oratio, quas licet animis veſtris penitus infixas habeatis; earum tamen repetitio, vel me dicente, non poteſt eſſe injucunda. Etenim gratulandum eſt vobis de ſumma veſtra æquitate, juſtitia, religioſoque more, quo non niſi Collegio veſtro digniſsimos in Doctorum numerum adſciſcitis. Præcipue vero gratulandum de maxima cura & ſtudio, quo eximium hunc Anteceſſorem in ſapientiſsimum veſtrum Ordinem ingredi decernitis. In quo profecto quantum emineat conſilii veſtri maturitas, ſinite ut breviter exponam. Ego enim ſic exiſtimo, in maximè probato perfectoque Doctore duas has res ineſſe oportere, mo-

rum honeſtatem, ſcientiarumque cognitionem minime vulgarem. Quis igitur hoc homine moribus honeſtis dignior? qui profectus e pueritiæ diſciplina ſub Patre viro clariſsimo, integerrimoque, priſtinum animi candorem, facilitatem, & egregiam indolem conſervavit: qui adoleſcentiam ingreſſus eà erat naturæ bonitate,& ad virtutes propenſione, ut modeſtiam, continentiam, ſobrietatem mirifice coleret; & non ſolum diſſolutorum conventicula fugitaret, ſed & vitam viveret perquam frugalem, & ab omni juvenili levitate alieniſsimam: qui denique nunc, & in omni vita talem tantumque virum ſe præſtitit, ut præclara honeſtatis, pietatis, & religionis exempla dederit. Et quid ego dicam de divinarum humanarumque rerum cognitione, de illa, inquam, juſti injuſtique ſcientia, qua præditus eſt hic ſapientiſsimus vir? Libenter plane huic orationis parti concederem, niſi vererer incurrere in hujus viri modeſtiſsimi offenſionem, ſi, quæ ſentio, dixero. Sed pace tua, mi *Joſephe Borrulli*, pace tua aliquid de te, tanquam abſente, dicam: quamquam ita moderate, ut majorem habeam rationem mei erga te obſequii, quam officii & muneris. Ego P.C. ſum in hac ſententia. Ingenio viros præſtantes videmus plurimos: qui ingenii vim judicio temperent, admodum paucos: qui dotibus hiſce ſtudium ardens adjungant, unum, aut alterum. Ex numero horum poſtremorum eſt *Joſephus Borrullius*, qui felici eſt præditus ingenio, judicio acerrimo, diligentia vero tanta, ut alium hominem literarum ſtudio æque deditum nunquam viderim. Fatebitur hæc quicumque legerit ejus Dictata, quæ quoties ego lego, mirum eſt quantum me capiat, atque delectet, doctrinæ gravitas, copia, & electio. His tantis Juriſconſulti partibus accedit cognitio ceterarum facultatum, quæ ſunt quaſi adminiſtræ comiteſque Juriſprudentiæ. Accedit perfecta Latinæ Linguæ intelligentia, qua intimas Jureconſultorum ſententias facili negotio detegit, antiquitatis ſcientia, qua veluti quodam lumine

obſcuriſsima quæque illuſtrat, immortale ſophiſmatum odium, quo ſine fuco & fallaciis caſte & cordate philoſophatur. Accedit denique omnium (ut uno verbo dicam) bonarum Artium inſtructio, ut homo haberi debeat abſolutiſsimus. Tot vero tamque excellentibus virtutibus, proh Deus immortalis! quam moderate utitur! ut in eo facile poſsimus animadvertere magnam illius præclaræ virtutis copiam, quam tam parce hominibus natura conceſsit. Prudentiam intelligo, quæ novam atque copioſam orationem deſiderat. Sed quoniam tempus eſt præfinitum, dicendi finem jam facio; pariterque morem gero huic modeſtiſsimo viro, cujus ego voluntati nullo modo deeſſe poſſum. Is voluit juſsitque, non ut rebus ſuis prædicandis; ſed ut recepto mori accederem, eum quaſi per manus, uti feci, tradendo. Reſtat igitur P.C. ut quoniam nullo meo merito hanc ſuſcepi perſonam ut vobis agerem gratias, referendas putem immortales. Equidem ego ſic exiſtimo, omnes qui huc frequentes convenerunt, ita vobis gratulari, non quaſi de unius ſolum, ſed de communi Academiæ bono hodierno die ſtatueritis. Cum enim tantus ad hunc diem provenerit ex hoc viro fructus in hanc Scholam, jure merito ſperant eventurum fore, ut qui hactenus exiſtimarit nihil eſſe in hac vita expetendum, præter virtutis doctrinæque laudem, eundem hoc maximo beneficio veſtro obſtrictum, enixius in poſterum elaboraturum, ut ne unquam vobis, ac ſibi deeſſe videatur. Veſtrum igitur P.C. veſtrum eſt hoc tam ſalutare conſilium, veſtræ prudentiæ, veſtræ dignitatis, veſtræ ſapientiæ. Recte hoc quidem a vobis decernitur, ut virum doctum, Anteceſſorem clariſsimum, multorum annorum experimentis probatum, uberrimiſque fructibus cognitum, exiſtimetis dignum gremio veſtro, ut omnes intelligant, apud vos ſuum eſſe locum virtuti, ſua eſſe præmia doctrinæ.

Dixi

Pridie Non. Februar. A. MDCCXX. *ætatis meæ* XX.

II. *EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANSIO, optimæ ſpei adoleſcenti, S.D.*

LOngioréſne appellas tuas literas ac moleſtas, ſuaviſſime *Majanſi* ? Atqui vereor, inquis, graviſsimas occupationes tuas interpellare. Itane verò ? Apage iſtas ineptias. Et quando me, hominem tibi ignotum, officii cauſſa tam liberaliter laceſsiſti, profectò ſcire te oportet, cum homine tibi rem eſſe leniſsimi ingenii, & ad novas amicitias conglutinandas colendasque ſua ſponte paratiſsimo. Quantò magis tuam, adoleſcentis & ſtudiorum laude florentis, &, ut ex literis tuis planè perſpexi, virtute ac modeſtia ſingulari. Deníque, ſi quid ad rem pertinet, noſtri etiam ſtudioſi. Itaque ſcribe confidenter. Non enim fieri poteſt quin ad nominis tui illecebras me convertam, etiam ſi ad aras velato capite Diis facerem. Quid enim literis tuis venuſtius ? præſertim in id ætatis adoleſcente ? Quare, poſtquam id tibi viſum eſt, ad rationes noſtras & copias accedito : quo veluti cumulo fortunæ noſtræ quam ampliſsimè locupletentur. *Borrullium*, *Mignanam*, *Toſcam*, viros ſanctiſsimos atque optimos, quòd de me honorifice loquentes audiveris, cave ſis ne tibi imponat. Quid enim ab iis elicias, niſi quod eorum probitati, modeſtiæ, integritati conveniat? Habeo equidem meam ipſe decempedam, qua fundi noſtri anguſtias dimetiar. Quæcumque ultra eas ſeſe effundunt, non tam veræ laudes exiſtimandæ ſunt, quam veri amoris præclara teſtimonia. *Orationem* tuam legi, non ſolum perlibenter, ſed perjocundè. Illabebatur enim in intimos ſenſus munditia illa ſermonis atque elegantia, qua animus ineſcatus atque illectus nova quadam voluptate perfundebatur. Téne ego ſtylo noſtro confodiam? Tam pulchram venuſtamque orationis faciem notis compungam? Nimirum ejuſmodi, quæ etiam Ariſtar-

chi

chi obeliſmos eluderet. Eugepæ! Macte virtute eſto adoleſcens præſtantiſsime. Nava operam ſtrenuam iis ſtudiis, quorum amor non niſi generoſas animas tangit. Cætera ferè lucri contagione vel afflantur, vel ſordent. Fratrem meum arctius amplectitor. Quicquid doctrinæ in illum contuleris, acceptum referam. Maximamque à me inibis gratiam, ſi præceptis, conſiliis, monitisque tuis eum adjuves atque promoveas. Eſt enim, niſi me fallit, adoleſcens ingenio non pravo, nec à literis abhorrente. *Mathiæ Chafreoni* meis verbis ſalutem impertì. Facio enim illum maximi, cum ob multiplicem rerum cognitionem ac ſcientiam, tum ob modeſtiam incredibilem, morumque ſuavitatem. Cura nihil aliud niſi ut valeas. Alonæ x. Kal. Januarii, anno MDCCXX.

III. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO Decano Alonenſi S.D.*

ME ſubruſtico pudore præditum, qui ad te antea non ſcripſerim! Tu me jubes, *Emmanuel* humaniſsime, ſcribere ad te confidenter? Faciam utique, & omnibus nervis enitar, ut tuæ communicationis uſuras, quibus ego ad hoc uſque tempus frui non potui, partim officiorum inopia, partim pudoris infantia, literarum crebritate ſarciam. Idque, quoniam tu ita præſcribis, puto me ſine moleſtia facturum. Nec me terruerit præſtantiſsima dicendi vis, qua vel ipſum *Periclem* oratorem concitatiſsimum reprimeres. Non enim fieri poſſet, quin ora, oculos, ſenſuſque omnes ad humanitatem tuam convertam, etiamſi præ marmoreis ſignis minus mihi ſenſus eſſet. Quid enim literis tuis liberalius? Quid in me honorificentius? Ego quidem omnia abs te honoris puncta tuliſſe videor; & vel amicitia tua, quam per ſe expetendam unice concupivi, vel egregio tuarum laudum teſtimonio, quo meum ingeniolum amplificare vo-

lui-

luisti, nihil est quod me non assequutum putem. Licet enim hæ laudes honesta potius sint ad veram gloriam incitamenta, quam rerum mearum, quas facere nihili debueras, justum pretium: amplissimum tamen, mihique gratissimum est, te libenter amicitiæ dedisse, quod liquidò veritati dare nequisti. *Ea est enim profecto* (ut Cicero noster ait) *jucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.* Quanto magis abs te viro laudatissimo, cujus vitæ probitatem, atque constantiam gravissimam cum singulari literarum omnium cognitione conjunctam, qui non miratur ac laudat; næ ille parum debet judicio suo. Complexus igitur sum cogitatione te absentem: epistolam vero osculatus, mihique gavisus, quòd cum inique adeo (pace tua dico) dimensus fueris latissimas ingenii tui possessiones, ex illis adimens multum; nostris adjudicasti angustiolis quantum ego nunquam sperare auderem. Liberalissimum mensorem! Nimirum ille modestissimus tui despectus, qui te plus nimis elevat deprimitque; idem ipse altius tollit & amplificat exiguitatem meam.

Ego cum fratre tuo jucundissime vivo, magnamque cum ex ingenio ejus, & ardenti studio quo se ad Jurisprudentiam contulit; tum ex probitate multisque ejus virtutibus voluptatem capio. Pollicitus ei persæpe antea fueram omnem meam operam, diligentiam, pecuniam, denique quicquid possem. Idque prolixo animo feci tum propter ejus suavissimos mores, quos statim perspexi, tum propter te ipsum, quem semper studui, vel cum ignotus tibi eram, demereri. Ille quidem eo loci est mihi, quo apud te. Quid tua caussa pristinæ addam voluntati, non habeo: nisi illum amem plus quam possum, hoc ipso quòd amare magis opto.

Mathiæ Chafreoni, quem ego ob lenitatem ingenii, & in omnibus literis præstantiam nimium quantum amo, salutem dixi tuis verbis. Cum ei significavi, me literarum commercium iniisse cum *Emmanuele Martino*, *obstupuit*

tan-

tanto perculſus nomine. Adhuc cum hæc ſcribo prædicat virtutes tuas.

Quòd me ad eruditionis ſtudium hortaris, gratiſsimum eſt. Ut audii tuam vocem e carceribus exivi. Quod ſupereſt, perge incitare tuo currentem hortatu. Et qui pede fauſto eruditionis metas prætergreſſus es, quo pacto eas evitare debeam, inclama. Effice ne præceptis tuis indignus videar, qui dignum iis me cogito præſtare. Ad nutum ero. Præter te in hoc curſu aſpiciam neminem. Ad te contendo, curro, advolo. Huic tu, huic tu cupiditati, *quam potes, affer opem.* Ego vero barbarorum inſcitia, & inſano eorum clamore neglecto, non antea deſeram arreptum iter, quam mihi contingat palmam ferre. Tu me ama, longius ſcribe, vale. Salmanticæ IIV. Eid. Januar. Anno MDCCXXI.

IV. *EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANſio bene rem gerere.*

GEres autem profectò, mi *Majanſi*, ſi ita in elegantiora hæc ſtudia & humaniores literas incumbas, ut Juriſprudentiæ tamen præcipuam curam impendas. Quid enim illa, non ſolum utilius, ſed pulchrius? in qua regulæ continentur & præcepta ſapientiæ, cùm ad uſum ſocietatis humanæ & felicitatis publicæ collimantia; tum ad erudiendos mortalium animos ſcientia boni & mali, honeſti turpiſque, juſti & injuſti: rerum præterea humanarum divinarumque notitia. Quorum omnium eſt magiſtra Juriſprudentia. Quare id ſeriò cogita, hoc maxime tibi volvendum eſſe ſaxum. Ea enim ad amœniora ſtudia viam ſternet, cæteraſque diſciplinas feliciter apiſcendas, quod equidem moneo, non quaſi te deficientem excitem, ſed ut calcar addam gnaviter currenti. Præſagit enim animus fore te quondam genti noſtræ dècori atque ornamento. Quod ut faciliùs aſſequare, con-

fer te, per fortunas, ad *Gravinæ Origenes*. Nihil enim in lucem prodiit, neque doctius, neque nitidius. Veritati lito, non amicitiæ. Etsi eâ tam arctè conjucti fuimus, eâque fidei mutuæ constantiâ, ut vel extremum ille spiritum in amplexu nostro efflaverit. In iis enim Juris Civilis primordia & scaturigines detectæ, abditissimi Romanarum antiquitatum explorati recessus, Latini sermonis reseratæ divitiæ; tanta verborum concinnitate, tam apto & congruenti ordine, tam natutali rerum caussarumque nexu; ut si cujus animum non statim mira quadam voluptate pelliciant, næ ille plumbeus sit, & stupidior lapide molari. Hortarer te ad Græcas literas capescendas, nisi me deterreret quædam studiorum tuorum reverentia. Vocare te volo ad Jurisprudentiæ lauream, non ab illa avocare. Etsi non nescis, quales in ea partes sustineat Græci sermonis peritia. Ab eo fonte viri illi præstantissimi, *Budæus*, *Petitus*, *Fabrottus*, *Brissonius*, *Faber*, *Cujacius*, *Gutherius*, alii. Vacillat enim sine illo fulcro Jurisprudentia, debilisque est ac veluti manca. Illam dico Jurisprudentiam liberalem ac penè divinam, quæ versatur in erudiendis mortalium animis, ea tantúm fini, ut sint legum custodes, & justitiæ vindices. Non hanc sordidam & prostitutam, fuco & fallaciis deformem, cujus tricis & involucris miseri cives importunissimis litibus implicantur. Hinc tot causidicorum ventosa crepitacula, tot blaterones & rabulæ, ac nugivenduli, qui inanium & futilium verborum nundinatione ignari popelli crumenas mulgentes, sibi hac arte divitias parant, & aliena patrimonia funditus evertunt. Sed de his nimis forsitan. Num autem Græcè scire è re tua sit, tute accuratiùs perpende. De fratre meo multum te amo. Devinxisti me tam præclaro officio & liberalitate. Devincies autem quamplurimum, si opera ac diligentia tua profeciſſe illum sensero. *Mathiæ Chafreoni* à me salutem. Jubeo etiam *P. Emmanuelem Navarrum* Benedictinum, qui donavit mihi olim eruditissimum Syntagma

su-

ſuum *De Geniis veterum*. Vale. Alonæ III. Non. Februarias an. MDCCXXI.

V. GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, *Eruditorum Coriphæo, S.D.*

AMabam te quidem antea plurimum, *Emmanuel* jucundiſsime (quid enim non te amarem, cum virum integerrimum, tum de præſtantiſsimarum artium diſciplinis optime meritum, & hiſpanæ gloriæ aſſertorem?) idque excitatus ſapientiæ tuæ ſplendore, & coactus imperioſa illa virtutis vi faciebam. Nunc autem cum acceptis noviſsimis tuis literis, altiori cogitatione perpendo graviſsima præcepta & monita, quibus animum meum informas, inſtruiſque; tantum ardoris acceſsit ad priſtinum illum amorem, ut mirer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi paullo ante cumulatiſsimum eſſe videbatur. Nimirum in te agnoſco ſinceram, & amico (ut tu es) ſapientiſsimo dignam benevolentiam. Sancte auſim dejerare, per hoc quadriennium, quo Juriſprudentiæ operam impendo, præter te nec unum verbulum a quoquam accepiſſe (Patrem meum excipio) qui ad illius ſtudium me hortaretur. Quare monita tua eo libentius amplector, quo magis intelligo ejuſmodi eſſe, quæ non niſi a ſuaviſsimo Patre meo proficiſcuntur. Juriſprudentiam ego amavi ſemper. Poſtquam vero ſuis coloribus depinxiſti eam, propius divinam illam faciem intuitus, depereo. Huic ſtudio a puero favi. Atque literas vix noveram, cum jam veluti ſollemne carmen canebam: *Juriſprudentia eſt divinarum*. Noſti reliqua. Hanc ego non amem poſtquam nomen meum profeſſus ſum, & veluti ſacramento addixi me apud tantam ſcientiarum humanarum Imperatricem? Qui fieri poſſet, ut pectus meum non accenderet divina iſta fax? ſummæ Juſtitiæ (ſi ita loqui fas eſt) particula, in animis hominum veluti

ſcintilla quædam abſtruſa, præclariſsimis præceptis ab honeſtate ipſa petitis excuſa, experimentis aucta, ſapientiſſimorum populorum moribus, inſtitutiſque propagata, prudentiſsimæ gentis diligentia conquiſita, & ad mortalium animos illuſtrandos, repurgandoſque vitiorum fæcibus in medium poſita. Quanquam fortaſſe non, ut debui, dilexi eam. Amavi quidem. Sane vero. Sed ad eam propius accedere, non, ut par erat, contendi. Peſsimos ſagittarios imitatus ſum. Imparato laxove arcu quid prodeſt ſagittam collineare! Tu tuis hortatibus dormitantem excitaſti me. Et ad ſtudia iſta omni contentione amplectenda mentem meam accendiſti. Poſthac ſtolidum exiſtimato me, & communi ſenſu carentem, niſi nactus hanc Spartam, quantum in me fuerit, exornavero. Ipſam Philoſophiam teſtor, qua nec mihi ſanctior ulla unquam res in vita fuit, neque humanæ menti quicquam in terris debet eſſe ſacroſanctius, me non alia via ad ſapientiam perrecturum, quam quæ patuerit mihi per Juriſprudentiam. Dum autem ego viam iſtam ivero, frequenter legam hanc tuam epiſtolam, ne unquam a via regia per te veluti Mercurium quemdam admonitus, aberrem. Interea vero non alium ſuſcepti laboris fructum expectabo, quam ut ſcientiæ tam divinæ ſtudioſus videar, & ab ſordida illa verborum nundinatione, miſero patrimoniorum everriculo, & implicatiſsimo conſcientiarum reti quam longiſsime abhorrens. Aliam gloriam, neque ſpero: neque, ſi velim, juſte poſsim, etiamſi tu me jubeas ſperare. Optime novi ingenii mei imbecillitatem. Tu cave ne quæ animus tibi de me præſagit, amoris ſint fallaces cogitationes, quæ non minus evaneſcunt, quam facile animo concipiuntur. Vide, quæſo, ne ex una aut altera epiſtola, quæ bonis auſpiciis ad te provolavit (nullo meo merito, ſed quia tu ſic voluiſti) non optimus augur vaniſsimos exitus interpretere.

Gravinæ tui *Origines* legi, perlegi, concoxi, ac in ſuccum & ſanguinem pene converti. Manibus ejus bene pre-

precari cogor, qui mentem meam non modica luce illustravit. Illo fere totius Romanorum Juris ſpecimine nihil vidi pulchrius. Singularum autem partium primordia & ſcaturigines adeo diligenter exploratæ, ut quæ antea perpaucis erant nota, nemini non pateant. Altero libro de duodecim Tabulis nihil plenius legi exquiſitæ ſolidæque eruditionis, ſi duorum virorum excipias libros, *Ant. Auguſtini*, & *Jac. Gothofredi*, Hiſpaniæ, & Galliæ clariſsimorum luminum. Tuus tandem *Gravina* effecit ut intelligerem, non ambitione quadam, ſed ex animo *Ciceronem* ſub perſona *Craſsi* dixiſſe, *bibliothecas omnium Philoſophorum unum duodecim tabularum libellum, ſi quis legum fontes, & capita viderit, & autoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare.* Quam inæſtimabiles divitiæ in illis veluti faviſsis abſconditæ erant! Quam ſpecioſa verę ſapientiæ ſemina! O vere prædicandam induſtriam, quæ tam uberem fundum excoluit, & ſudore multo irrigavit, ut ſaluberrima bonæ frugis copia naſceretur! Neſcio ſane an temporum injuriæ iraſci nunc magis debeamus ea propter quia cum eripuiſſet nobis bonam partem ex tam præclaris antiquitatis monumentis perpaucis tantum ignoverit reliquiis, quibus interpretandis facile *Gravina* noſter oſtenderit, quantum in ceteris amiſerimus. Ego quidem eo iniquiori animo iſtam jacturam fero quo magis conſidero habere nos in tanta caligine adeo perſpicuam horum quæ ſuperſunt fragmentorum interpretationem, ut vel ſeculo aureo vix eruditius & luculentius enarrari potuiſſent. Quid dicam de altero libello in quo Legum, & Senatuſconſultorum, quæ ad Juris cognitionem præcipue conducunt, interpretatio continetur? Cum ſolidam illam minimeque fucatam Juriſprudentiam conſidero, tum maxime *Gravinam* judico (ut ipſe eſſe, & videri volebat) præceptore *Cujacio* dignum diſcipulum. Sed quorſum iſta apud *Martinum*? Litaſti tu quidem veritati. Quidni ego grata animi viciſsitudine idem faciam tantis ab illo fortunis locupletatus? Acce-

pe-

peram antea te cum *Gravina* conjunctiſsime vixiſſe. Hoc etiam, te pluſquam Herculea virtute iufeſtiſsimis quorundam latratibus, qui ejus gloriam traducebant, os obturaſſe, edito honorificentiſsimo de illius eruditione, & probitate teſtimonio, quo veluti e tartareis tenebris puro ſudoque cœlo reſtituta eſt *Gravinæ* integritas Eurydice illa felicior, nullis poſt hac calumniis obnubilanda.

Jam pridem cupio Græce ſcire. Et pudendam inſcitiam duco paſsim Accurſianum illud inculcare: *Græcum eſt, non legitur*. Hactenus quidem ad mei ſtudii rationem non indigui magnopere his literis. Ea enim (ut ſcis) noſtrorum Interpretum fuit diligentia, ut vix e Græcis Scriptoribus ſuperſit unus, quem Latine loquentem non videamus. Quanquam ego nihilominus ægre patior eas literas neſcire, ſine quibus *Alciatus*, *Hotomanus*, *Cujacius*, & noſter *Goveanus* neque unquam fuiſſent tanti Viri, neque nobis ſic prodeſſe potuiſſent. Habeo paratam ad id *Franciſci Sanctii*, unici præceptoris mei (nam ceteri quos habui non ſunt ita nominandi) *Grammaticam Græcam*, breviſsimam, & quantum vidi, ingenio meo accomodatam. Sed vereor, mi *Martine*, ne ſi ſemel e limine Græcas literas ſalutavero, intimos receſſus penetrare velim. Nunc, cum ſolum elementarius ſim, facile mihi tempero. Conſilium tuum exſequar ubi primum Valentiæ induero Doctoris inſignia. Interea nolo quenquam dicere, me non tam Salmanticam Juriſprudentia inbuendum, quam Athenas Græcis inſtruendum literis veniſſe. Unicuique ſunt gratuiti obtrectatores, quibus nihil deeſt præter occaſionem.

Aveo ex te ſcire, eruditiſsime *Martine*, ecquod excercendi ſtyli genus maxime probes? Illudne quod addicit nos præclaro alicui Scriptori; an vero liberum uniuſcujuſque ingenio accomodatum; & (ut dicam uno verbo) ingenuum? Video abire in contraria ſtudia viros etiam doctiſsimos. Sunt enim (ut optime ſcis) qui *Ciceronem* proponunt unicum dicendi magiſtrum, nec alios probant,

ni-

niſi qui Oratorum principis lineamenta conſectari videantur. Contra judicant alii, naturæ ſervilis eſſe, anxiæ & ſuperſtitioſæ verborum inquiſitioni liberam mentem alligare, ac moroſa unius voculæ conſectatione impetum ingenii retardare. *Trahit ſua quemque voluptas.* Ego ſemper in ea fui ſententia, ut ſi fieri poſſet, potius ad *Ciceronis*, quam cujuſvis alterius dicendi genus accedere deberemus. Sed, per Deum immortalem, quo tandem pacto id conſequi volumus? idcirco ne perferenda eſt nobis moleſtia illa, ut ad ſingula verba neceſſe ſit *Ciceronem* in conſilium adhibere? Quænam tyrannis eſt, cum tam varia ſint hominum ingenia, tam inter ſe diſſimiles naturæ, velle unius hominis vocibus concludere quam-diverſas cogitationes, ſententias alieniſſimas? Et cum in omni antiquitate duo Scriptores inter ſe ſimiles non ſint, ſi cum judicio conferantur; quemvis ad unius imitationem rigida Polycleti regula efformare? Quæ tam inſignis ſtultitia eſt, quam *Cæſari, Salluſtio, Livio*, eloquentiſſimis viris dicendi gloria ſimiles eſſe nolle, ſi forte natura noſtrum efformavit ingenium, horum potius, quam illius ſimile? An hi magiſtri præſtantiſſimi cum de eloquentiæ palma ſapientiſſimum bellum certabant, quidnam requirebant in verbis præter puram putam Latinitatem, congruentem rebus ſignificationem, aptam orationi rotunditatem, adhibentes præterea rerum delectum, ordinationemque perſpicuam, ut quiſque poterat? Quid amplius nos præſtare debemus, aut poſſumus? Hic ego judicium tuum imploro, eloquentiſſime vir. Totum ne tempus conterendum eſt in legendo *Cicero*NE? Vereor ne Græcula Echo mihi recanter dignum nomen tam ſtolida interrogatione. Ego quidem non vanam omnino ſpem animo concipio, quin ſi curam mediocrem impenderem legendo *Ciceroni*, non peſſimus verborum piſcator evaderem. Quid autem intererit mea, orationi aſſuere unum & alterum purpureum pannum, qui late ſplendeat, ſi deficiente paſſim animi vi (ut in tanta religio-

gione neceſſe eſt(& vero ſic evénit *Bembo*,*Longolio*,& Tullianorum verborum aucupibus omnibus , quos *Nizolianos* ego non *Ciceronianos* appellare ſoleo) effeminata ſit oratio , vita careat , nerviſque ? Amabo te , *Emmanuel Martine*, quid mihi faciendum cenſes? Tuum quæſo diligenter expone judicium de ratione ſcribendi. Non acquieſcam donec mihi perſcribas, rectene poſiturus operam ſim, ſi liberum ſtylum, meæque naturæ ultro ſe offerentem ſequar , an ſecus? Quicquid præcipias, nullum laborem recuſabo, ut, ſi non eloquenter , emendate ſaltem aliquando ſcribam. Per Philoſophiam noſtram, imo per tuam Sapientiam rogatus habeto.

Ad fratrem tuum quod attinet , crede mihi , quicquid officiorum potero , in illum conferam. Adnitar omni ſedulitate , ut quoniam beneficiis tuis ſatisfacere non poſſum ; id tamen vehementer cupere declarem. A *Chafreone* ſalutem accipies. *Emmanuel Navarrus* jamdiu ſuam degit ſenectutem Mantuæ novæ. Habes epiſtolam inſtar juſti voluminis. Facit autem , non loquacitas mea (quam vel in me odiſſem , ſi haberem) ſed ſingularis erga te amor , ut ſim nimis prolixus. Verum hoc ſine dubio affirmo , minus te laboraſſe, ut iſta legeres, quam ego ut ſcriberem in tantis temporis anguſtiis. Bene vale. Et *Majanſio* tuo (quod facis) favere perge. Salmanticæ VIII.Kal.Martias, anno MDCCXXI.

VI. *EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANſio , optima ſpe, & egregia indole adoleſcenti, S. D.*

LIteris tuis VIII. Kal. Martias ad me datis oppidò ſum delectatus. Cùm propterea quòd ex iis cognoſcerem incolumem te eſſe atque valentem. addam, & vegeta mente. Tùm quòd grata tibi fuerit noſtra de Juriſprudentiæ ſtudio exhortatio. Tùm denique , quòd te videam ad Latini ſermonis lauream contendere , para-

ratumque ad tollendas ancoras. Quoniam autem enixè à me flagitas, ut ſententiam noſtram aperiam de ratione ſtudii rectè inſtituendi, deque opera bene locanda; quà tutiſsime incedas, quam viam teneas in imitando; morem tibi geram. & quicquid diuturno uſu, ac diligenti obſervatione aſſequutus ſum, quàm potero breviſsimè in medium proferam. Et quoniam totus rei cardo in iis vertitur, Num ſit imitandum, num ſit imitandum tantùm, quid ſit imitandum, quomodo ſit imitandum; omnia percurram. Non quidem accurata illa ac philoſophica methodo; ut ne diſſertationem potius ſcribere videar, quàm Epiſtolam. Sed, quod illam magis decet, acervatim nulloque ordine. Ac primùm quidem dubium non eſt quin caput artis ſit imitatio. Eſt autem natura comparatum in id maximè conniti quod in aliis probamus. Unde conatus naturæ beneficio habemus, eventus autem, artis. Ecquidſunt omnium artium primordia, præter imitamenta? Quæ tametſi ad finem apiſcendum apprimè ſunt neceſſaria; turpe tamen judico intra imitationis fines conſiſtere. Trudendus eſt in ulteriora animus, & proferendæ longius artes ſtudio vincendi. Quo ſine, haberemus adhuc illas impolitas & rudes. Ac ſolus qui inchoaverat, gloriam abſtuliſſet. Nec *Dædali* induſtriam laudaremus, quòd ſtatuis oculos adjeciſſet, disjunxiſſet crura, brachia deglutinaſſet. Nec *Ardicis Corinthii*, aut *Telephanis Sicyonii* rudimenta *Parrhaſius* aut *Protogenes* ſuperaſſent. Quin ipſa eloquentia intra *Romuli* Leges, aut *Numæ* Rituales, aut Duodecim tabulas contineretur. Nihil enim augetur imitatione tantum. Parum dixi. Nihil eſſe poteſt perfectum undique atque abſolutum. Quid enim imitere quod non aliquo vitio laboret? *Salluſtium ne*? Brevior eſt, ac priſcorum verborum anxius aucupator. *T. Livium*? Atqui jam olim deprehendit quidam in eo *Patavinitatem*: quam intelligo, affectationem quandam municipalem. Qua affectatione anus illa Attica *Theophraſtum*, hominem diſertiſsimum,

hoſpitem deprehendit. *C. Cæſarem*? Offendet fortè aliquem nimia ſimplicitas. *Catonem* ? Strigoſus eſt atque horridus. *Varronem*? Docendi ille cupidior quam dicendi. *Nepotem* ? Parum diligens eſt, nec aliquo charactere inſignis. *Trogum* ? Nimis properus ac disjunctus, excerptoris feſtinatione. *Ciceronem* denique ? Nemo unquam plures habuit obtrectatores. *Calvo* ſolutus viſus eſt atque enervis. *Bruto* elumbis & fractus. *Apro* otioſus & ſupinus. Nonnullis inflatus & tumens, ſupra modum exſultans ac ſuperfluens, & parum Atticus. Aliis, in repetitionibus nimius, in ſalibus aliquando frigidus, in compoſitione fractus ac mollior. Auctori Dialogi *De Oratoribus*, omnia. Reprehendunt etiam, propterea quòd orationem interdum lacinioſiùs circumducat, prolixioribus tractibus, atque ambitioſo verborum ambitu. In ſumma (ſi Diis placet) ſoloecus etiam viſus eſt, non *Eraſmo* tantum ante quàm ſaperet, verùm & *Attico* illi *Pomponio*. Quare, ne ille quidem qui ad ſummum eloquentiæ faſtigium minime contendit, in imitatione debet acquieſcere, ſed ultra progredi, & ad meliora conniti. Quandoquidem neceſſe eſt ut qui imitatur, inferior ſit exemplari illo, quod ſibi propoſuit ad imitandum. Inſiſtit enim ejus veſtigiis ac ductui. Sic umbra corpore rudior eſt & informior, Claudiana tonitrua cœleſtibus. Porrò facilius multò eſt melius aliquid facere,quàm idem. Quod vel natura ipſa aſſequuta vix eſt. Cujus ſedulitatem atque ſolertiam, in iis etiam ad quæ maximè intendit, ludit eventus, ut in effingendis oris lineamentis. Præterea, id quod in ſcriptoribus probamus præcipue atque miramur, haud eſt imitabile. Virtutes nimirum. ut ingenium, inventio, vis, facultas. Duplex eſt illorum characteriſmus, à natura, ab arte. Eminet in ſingulis ingenuus ac naturalis quidam decor, qui imitationi ſe ſubtrhait : ut in *Lycia* ſubtilitas, in *Iſocrate* nitor, in *Lycurgo* gravitas, in *Demoſthene* vehementia, facilitas in *Æſchine*, in *Hyperide* calliditas. Non eò id

di-

dico, quòd juventutem ab imitando deterrere velim. ſed ut moneam, acri opus eſſe judicio & ſolerti cauſed ut moneam, acri opus eſſe judicio & ſolerti cautione. Res enim eſt plena periculi & ſalebrarum imitatio. Primùm igitur quàm diligentiſsimè perpendendum eſt, cui potiſsimum auctori addici placeat. Sunt enim quibus deteriora magis arrideant. Deinde quam illius partem ſive virtutem habeas eximiam. Quandoquidem nullus eſt, in quo non aliqua vitii labes deprehendatur; quæ in animum, præſertim incautum & ſecurum, facillime irrepit. Eorum nimirùm qui orationis cuti adhæreſcentes; in nervos & ſanguinem minime penetrant, ipſamque medullam haud introſpiciunt. Quofit, ut ſæpenumero vitia ſectentur, quæ incautos fallunt ſpecie virtutum. Sunt enim vitia quædam virtutibus quàm ſimillima. Unde aliqui dum grandes eſſe contendunt, tumidi evaſere; alii dum breves, exiles; alii dum amœni & floridi, luxuriantes ac molles; alii dum feſtivi, ineptiæ; alii dum ſubtiles, obſcuri; alii tandem dum ſimplices, jejuni atque exſangues. Et prava iſthac atque præpoſtera *cacozelia* omnes ingenii artiſque copias pervertunt. Introſpiciendæ ſunt unicuique ingenii ſui vires, & explorate tanta res capeſcenda. Quid natura reſpuat, quidve amplexſetur. Eoque impellenda, quò maximè vergit. Denique nunquam ad unum aliquem tantùm collimare oportet, quaſi ad unicum ſcopum; nec ad eum verba exigenda, tanquam ad certam normam atque amuſsim. Unicuique ſuus decor ac virtus quæ ſectemur, ſua vitia quæ declinemus. Nemo inter mortales eloquentior *Demoſthene*, aut emendatior *Iſocrate*. Tamen alicubi ab aliis ſuperati ſunt. Quemnam igitur, inquies, mihi imitandum proponam? *M. Tullium*. Unus enim ille omnes Græciæ opes ad ſe tranſtulit, vim *Demoſthenis*, copiam *Platonis*, jocunditatem *Iſocratis*. Ille terendus, ille nunquam, aut vix, è manibus dimittendus. Tumque valdè te profeciſſe ſcias, quum *Cicero* valdè placebit. Nec tamen ſolus tibi verſandus. Sed accercenda hinc inde

orationis lumina (de iis loquor qui sæculo aureo floruerunt) & quicquid pulcherrimum est, excerpendum : haud secus ac ii faciunt, qui ex variis floribus sertum contexunt. Ipsius *Ciceronis* exemplum tibi attuli. Itaque *Zeuxis*, *Helenam* nudam picturus, Crotoniatarum Virginum pulcherrimam quamque adscivit, ut è singulis id decerperet, quod sibi visum esset perfectissimum. Vix enim vel ipsa natura quicquam creat omnibus numeris absolutum. Verba persequi res est anxia, multùmque nocet. Quid enim ærumnosius quàm tempus absumere in verbis aucupandis ? mentisque impetum, in iis ad *Ciceronis* trutinam exigendis, veluti quibusdam compedibus vincire ac retardare ? Eò magis quòd illa pro loco vel tempore aliter atque aliter animum afficiunt. Quem ubi optimorum auctorum sanguine imbueris atque irrigaveris, incedendum tibi est natura duce. Hanc enim non minus imitari oportet, quàm artificem. In epistolis ac familiari sermone ob oculos tibi semper versari debent *Plautus* atque *Terentius*, Latinæ venustatis facilè principes. Quos dum lego, peream nisi jocundissima quadam voluptate correptus, penè deficio. Quorum alter facetiis, ac sale, jocorumque festivitate, cæteris mortalibus plurimum præstat, alter verò puræ emendatæque dictionis suavitate, & castimonia. Illò, tanquam ad certissimam Cynosuram, figendus obtutus. Indeque, tamquam è thesauris, Romani sermonis depromendæ divitiæ. Sed quorsum hæc omnia absque Græca eruditione? Fatetur *Cicero* orationem Græcam plura ornamenta suppeditare, consuetudinem similiter latinè dicendi afferre. ut habes in *De claris Oratoribus*. Quî aliter, cùm omnis ferè Latini sermonis structura, imò & verba ipsa, & venustas, & sales, è Græcæ linguæ exemplari sint planissimè expressa? Deterretne te illud *M. Catonis*, dicere soliti : *Ut quisque optimè Græcè sciret, ita esse nequissimum*? Sed hæc per jocum dicta sunto. Illud seriò, præcepta omnia rem esse inanem & sine pondere absque

usu

uſu & exercitatione : adeò ut antiqui dubitaverint, arte ne, an exercitatione eloquentia contineretur. Cui *Tullius*, quicquid in dicendo profeciſſet, acceptum referebat. Connitere igitur atque adlabora, mi *Majanſi*, & ad gloriam contende. Dummodo ſtylum exerceas, vel illo me confodito.

Chafreoni à me ſalutem. Etiam *Felici Palatino* Græcæ linguæ Profeſſori, ſi modo is adhuc inter vivos verſatur. Nam neſcio quid de ejus abitu ad plures. Incredibili temporis inopia premor. Avocat munus, amicorum officia, domeſticæ tricæ. Ne otium quidem eſt ſcalpendis auribus. Tamen epiſtolam habes loquaciorem *Architæ* crepitaculo aut ære Dodonæo. Vale. Qua die *Cæſar* in Curia interfectus eſt. an. MDCCXXI. Alonæ.

VII. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO Alonenſis Eccleſiæ Decano, & Præceptori ſuo eruditiſsimo, S. D.*

PEream, niſi Eidus Martiæ multo mihi fortunatiores, quam ipſi *Bruto*, ceteriſque ejus in conjuratione ſociis. Dies autem quo tuas literas accepi, tantum ab illis attulit gaudium, ut majore affici non potuerim. Adeo recreatus ſum legenda relegendaque tam erudita, & eleganti epiſtola. Argumentum erat de ratione ſtudii recte inſtituendi, deque opera imitationi locanda. Ego præterea cupidiſsimus intelligendi, quid de hac quæſtione ſentires, homo, ut mihi quidem videris, quotquot ſunt in hoc ſeculo eloquentiſsimus, & imitationi etiam, ſicut illi veteres magiſtri, proponendus. Legi itaque tuam epiſtolam ſane quam libenter : & omnem diſputationem diligenter repoſui apud memoriam ; id in animo inſtituens, ut ne tranſverſum (ut ajunt) unguem a tua ſententia diſcederem. Sed, ut propius ad epiſtolæ tuæ capita accedam, illud in primis mihi placuit, mancum

cum esse & imperfectum judicium, quod imitationis ope destituatur. Cum enim naturæ beneficio insiti nobis sint præclari quidam conatus, quibus ad ea ducimur quæ in aliis maxime probamus; necesse est, ut, si illa consequi volumus, eandem industriam, quam ceteri, adhibeamus. Quod cum facimus, imitari dicimur. Imitatione autem ita uti debemus, ut semper propter naturam esse meminerimus. Alioqui multo felicius erit naturæ negligentiam æmulari, quam aliorum sequi exactam diligentiam. Porro cum illæ virtutes, quas in scriptoribus præcipue miramur, ingenium, vis, facultas, imitationi propositæ non sint, quoniam naturæ beneficio contingunt; illud, ais, diligentissime introspiscendum, ut ingenii sui vires quisque judicio acri perpendat, & quò maxime vergit, eò impellat. Sola enim quam cujusque animo virtutem natura indidit, in scriptione potest patere. Ultra neque curæ, neque arti locus est. Vires igitur nobis exserendæ sunt, ut quæ virtutes in aliis magnopere viguerunt; earum autem semina in nobis deprehendimus, eodem, quo illi, studio, foveamus, sudore irrigemus, industria proferamus. Ubi aliorum vigor aliquantulum defecerit (neque enim humanum ingenium contendere ubique potest omnibus nervis) vires nostras substituere debemus. Sic in bello, laborantibus principibus, redit res ad triarios. Quodsi eorum, quos imitamur, vivida virtus, valensque sit; non tamen idcirco arma deponenda, sed cum *Marone* ardentiore spiritu dicendum.

Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Aspirandum igitur ad altiora: & cum eloquentissimis viris glorioſum certamen ineundum studio quodam vincendi. Quamvis enim furiosi fuerit de viribus corporis cum *Hercule* aliquo certare: tamen cum sapientibus viris contendere, de ingenii viribus, de judicii usu, pulchrum atque honestissimum est. Si quis igitur gloriam

ali-

aliquam vult consequi hac via, non temere, quocumque impetus rapit, vagetur: sed initio constituat oportet, quocum manus conferat, & de eloquentia certamen ineat. Equidem non arripiendus scriptor aliquis de trivio: verum is, cui homines eruditi primas concedant. Pulchrum est mediocrem dicendi facultatem adipisci: sed in ea metam præfigere, nec ulterius progredi velle, humilis & abjecti animi est. Deligendus itaque summus orator, cujus vestigiis inhærentes ad eloquentiæ fastigium contendamus. Is, cum seculorum omnium consensu sit *M. Tullius*, ipse unus præ ceteris imitandus est. Ille, inquis, terendus, ille nunquam aut vix e manibus dimittendus. Suavissima præcepta! *Ciceronem* ex Latinis scriptoribus in manus accepi, primum omnium. Huic ego quòd ardenter ad hæc studia me contulerim, quòd evilverit mihi inanium librorum lectio, quòd incredibili flagrem eloquentiæ amore, quòd ad sapientiam contendam, acceptum fero. Ejus orationes (quòd ipse de *Crassi* Serviliana dicebat) prædicabo semper, quasi magistras mihi, a pueritia fuisse. Quas dum lego, crede mihi, divina quadam voluptate correptus, pene divellor à me ipso. Quem ego igitur semper prætuli scriptoribus omnibus, eundem mihi imitandum proponis: ita tamen, ut non unum eum versem; sed ex aureis scriptoribus, quicquid venuste ac speciose dictum sit, excerpam, & ex tot tantisque ingeniis excellentissima quæque delibem. Idque confirmas pulcherrimis exemplis. Verùm hæc omnia attenta consideratione cogitanti mihi illud venit in mentem vix unquam evenire posse, ut in eloquentiæ studio locus sit imitationi. Primo enim ingenium, vis, facultas, imitationi se subtrahunt. Deinde rationem investigandi argumenta Dialectica docet: eorum copiam assidua lectio, & causa ipsa ministrat: disponendi ordinem recta ratio præscribit: orationis ornatum Rhetorica adhibet: dicendi facilitatem exercitatio parit. Hæc omnia qui possideat,

is eloquentiſsimus dicetur, & erit ſine dubio. Imitatio autem quem locum ibi occupat? Ingenio, ſtudio, labore opes illas comparamus. Quid præterea imitatione aſſequi poſsimus, plane non video. Ad hæc, imitandum ais; & ſimul turpe eſſe putas intra imitationis fines conſiſtere. Quin potius ſcribis æmulandum eſſe, & ad glorioſam contentionem pectus meum accendis? Denique tu ipſe præſcribis, uti cum animum optimorum autorum ſanguine imbuero, atque irrigavero, natura duce incedam. Atqui iſthæc aſsidua lectione & uſu parantur. Neque enim fieri poteſt, ut quis frequenter & attente legat ſcriptorem aliquem, quin idem ille, ſi quid poſtea ſcribere aggrediatur, multa ſimilia proferat, non tam ſpecie verborum, quam anima (ut ita dicam) orationis. Sive, ut explicantius loquar, eorum oratio, qui diu multumque deſudarunt, exempli gratia, in *Cicerone* legendo, relegendoque, & quantum fieri poteſt, memoriæ mandando; verborum cortice attento ſimilis videtur, non eadem; ſenſu autem inſpecto, eadem non ſimilis, qualis eſt oratio diſertiſsimi viri *M. Antonii Mureti*. E contrario eorum oratio qui ſe totos tradidere conſectandis ejuſdem *Ciceronis* phraſibus, videtur eadem, non ſimilis; ſenſus vero omnino diverſus, utpote elumbis, & fractus, qualis eſt oratio *Pontani*, *Bembi*, *Longolii*, *Manutii*, aliorumque plurium, quibus etiam adjungerem *Petrum Joannem Perpinianum* noſtrum, niſi eſſet hic aliquanto vividior, vegetiorque. Adeo verum eſt illud Horatianum.

——— *Sectantem levia nervi*
Deficiunt, animique.

In ſumma huc volvitur ſententia mea: poſſe quemlibet hominem acuto ingenio, acri judicio, linguarum intelligentia præditum, in Dialectica exercitatum, in Philoſophia doctum, ceteris facultatibus imbutum; poſſe, inquam, eum in quo hæc ſint, his ſolis virtutibus, abſque ulla imitatione, eloquentiam aſſequi minime vul-

ga-

garem; ut plane fuerunt assequuti qui primi inter eloquentes numerati sunt. In quo hæc non sunt, etiam si assidua adsit imitatio, meras nugas legemus. Quapropter, ut dicendi finem faciam, assentior tibi vehementer; rem esse plenam periculi & salebrosam imitationem: adde, si placet, imaginariam, aut saltem puerilem, si imitari est quod solet vulgus intelligere. Sed in eo maximè omninoque tibi assentior, caput præceptorum omnium exercitationem esse, sine qua, neque *Demosthenes*, neque *M.Tullius*, neque quisquam alius eloquens esse potuisset. Faciam igitur, ut quicquid temporis a Jurisprudentiæ studio mihi superfuerit, in exercitatione collocem; cui comitem adjungam lectionem, sapientiæ matrem. Porro, quoniam in exercitatione magna vitia sæpissime contrahimus, dum illecti quadam virtutum specie, proxima virtutibus vitia complectimur, a te omni studio, ut majori non possim, rogo, atque etiam oro, ut fidus sis erratorum meorum monitor, & castigator. Tum demum sperabo posse aliquid proficere, cum cœpero tuis monitis emendari. *Terentium* in deliciis habeo. *Plautum* ei adjungam comitem postea quam facilius quam antea cavere possum archaismos. Quorum timore antea eum non nisi raro legebam, maximaque cautione. Idemque feci in *M.Terentio Varrone*, & *M. Catone*, viris quidem doctissimis, sed priscorum verborum affectatoribus nimiis.

Frater tuus alacri animo arreptam viam insistit. Dies noctesque Justinianeis Institutionibus incumbit, adhibito *Vinnii* Commentario. Quoties eum convenio, subinde rogo obtestorque, ne nimio studio referat *Chærephonta*. *Felix Palatinus* vivit adhuc. Sed vitam trahit miserrimam, qualibet morte tristiorem. Inopia rei familiaris, bonarum artium contemtus, nebulonis cujusdam improbissima vexatio, gravis inde orta mœsticia, & ægritudo conjecerunt eum ad agnatos & gentiles. Ubique jacet virtus: & magnam victoriam ducit, si látere tecto a malivo-

lentia discedat. Barbaries insultat eruditis viris, & in homines literatos tyrannidem excercet crudelissimam. Quicumque sapit, mirabile est, sanum esse. *Chafreo* salutem tibi dicit. Illud extremum, quod in primis abs te oro, ut quoniam literas, atque nos etiam illustras, valetudinem tuam diligenter custodias. Salve ab eo, qui te virtutis tuæ merito amat, *Majansio* tuo. Salmanticæ, IV. kal. Aprileis Anni MDCCXXI.

VIII. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, Decano Alonensi, S.D.*

REverentia tuarum occupationum factum est, ut per hosce dies nullas ad te literas dederim. Meæ quidem non sunt ejusmodi, ut temere sint abjiciendæ. Sed tui salutandi caussa, etiamsi multo essent majores, libenti animo abjicerem. Totis mei animi viribus in hoc incumbo, ut quicquid a viris doctis scriptum adhuc est *De Vulgari, & Pupillari Substitutione* ad judicii nostri trutinam revocem, & diligentissimo examine perpendam; ut ad singulas ejus tituli leges, justum Commentarium conficiam: cui præmittam alterum apertiori methodo. Quo pacto argumenti copiæ & subtilitati ordinem & facilitatem, Deo favente adhibebo. Aggressus sum hanc rem, non ingenio meo fretus, quod sentio quam sit exiguum; sed labore, vigiliis, & pertinaci studio confisus. Itaque eneco me lectione prope infinita, ac meditatione attentissima. Et spero fore, uti intra duos menses, quos huic rei mihi præfinivi, ab hoc negotio me expediam. Valetudinem tuam, per quam in Hispania vivunt literæ, diligenter cura. Salmanticæ, Pridie Eidus Junias Anni MDCCXXI.

IX. *MARTINUS MAJANSIO SUO S.D.*

OPportunè ad me literæ tuæ. Traditæ enim mihi sunt cùm in agro Alonensi agerem, quò me contuleram ru-

ruſticatum. Abjeci quicquid erat urbanarum tricarum, ut mihi uni conſulerem. Ain' vetule? dices forſitan. Ajo profectò. Atque in amœniſsima quadam villa regnare prorſus mihi videor. Confluunt ad me è proximo oppido viciniſque villis, honeſtiſsimi viri. Garritur, deblateratur. Propoſitum eſt nihil agere, præter nugas. Itaque ſordent jam mihi Lucullus & Craſſus, cæterique delicatuli, ac lauti. Vin' ſcire quàm me geram luxuriosè! Unum etiam ſcurram mecum attuli, qui me oblectaret, *Plautum*. Di boni, quantum morionem! Si quando frigus opacum capto, lepidiſsimos illius jocos accerſo. Uno verbo. quicquid ſerium ac triſte, valere juſsi. Niſi quod aliquando opera ruſtica contemplor, & imaginem priſci ævi. Egregiam operam, quam te navare ſcribis illuſtrando titulo *De Vulgari*, ac *Pupillari Subſtitutione*, non ſolum laudo, ſed urgeo. Molitor, mi *Majanſi*, famæque æternitatem animo verſa. Quicquid nomini tuo ſplendorem attulerit, id medius fidius per mihi erit gratum. Gratiſsimum denique, ſi tibi perſuadeas, me gloriæ, famæ, exiſtimationis tuæ, amantiorem eſſe neminem. Vale. E ſeceſſu ruſtico. Pridie Eidus Quintileis anni MDCCXXI.

X. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, Decano Alonenſi, S. D.*

O Te beatum! cui licet agere vitam ab urbanis tumultibus liberam. Jure merito tibi regnare videris. Ubi enim tui dominus eſſe poſsis; ibi demum verus rex eſſe queas. Invideo tibi libertatem iſtam: & ut illam aſſequerer, ultra Sauromatas ire liberet, ubi nec Pelopidarum mentio.

O rus, quando ego te aſpiciam! quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc ſomno & inertibus boris
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ.

Nunc frenum injecerunt mihi ſtudia mea. Honeſte abjicere non poſſum, niſi prius victor evaſero. Quod, ſi divina quadam ſorte id mihi contigerit, *Æſopi* equum non imitabor. Faxit Deus, ut abditus quandoque in amœnum aliquem ſeceſſum *Ariſtios* omnes irridere poſsim, & Horatianum illud læto animo canere.

——— *Vivo, & regno ſimul iſta reliqui*
Quæ vos ad cœlum effertis rumore ſecundo.

Interea vehementer gaudeo illa te frui tranquillitate, qua uti adhuc mihi non licet. Attuliſti tecum dignum ſcurram gravitate tua. Puto eſſe tuũ *Plautum Thraſone* ipſo glorioſiorem, propterea quod lepidiſsima jocorum feſtivitate ſic te oblectat. Commentarius meus prope ad umbilicum pervenit. Niſi me fallit amor ſuſcepti laboris, ſatis feliciter abſolvam. Nunc manum extremam nolo admovere. Graviora urgent : & otioſius tempus lima deſiderat. Qualemcumque tamen excribendum dabo fratri tuo, qui mihi favet impenſiſsime, & tricis meis oblectatur. Vale. Salmanticæ. Poſtridie kal. Sextileis, die vere auguſto propter Angelorum Reginam auguſtiſsimam. Anno a Chriſto nato MDCCXXI.

XI. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO Decano Alonenſi, S. D.*

QUi ſcribendi conſuetudinem aliquantiſper intermittunt, ſæpe ſolent confugere ad aſsiduarum occupationum excuſationem: & in ea afferenda magis interdum occupati ſunt, quam antea fuerunt. Ego vero qui excuſationes ejuſmodi cum riſu accipio, iis non utor ; & invitus in me agnoſco pigram quandam procraſtinationem, quæ rerum omnium impedimentum eſſe ſolet. Licet enim hoc pacto neceſſe ſit deſidiolam aliquam confiteri ; hæc tamen ipſa vindicabit me a tui oblivione. Commentarium *De vulgari & pupillari ſub-*

ſubſtitutione ſatis feliciter abſolvi. Scripſi alium poſtea *De caſtrenſi peculio.* Nunc in manibus habeo titulos *De collatione bonorum* & *de dotis collatione* ab interpretibus ita derelictos, ut ſi graviſsimos conſulas, in pleriſque vix unum verbum invenias de hac re. Huic igitur tractatui pro virili conferam quicquid ex multa lectione colligere potui, & obſervavi. Et ſpero me ita exculturum latiſsimum hunc Civilis Scientiæ campum, poſt avulſas difficultatum ſpinas, quibus prope erat impenetrabilis, ut per eum tanquam per prata virentia perambulare poſsit ſtudioſa juventus, & uberrimos fructus inofenſa manu percipere. Ex quo famæ immortalitatem animo verſare juſiſti me, intentiſsimus ſum huic cogitationi. Utinam bono publico Deique gloriæ. Sapientiſsimus *Toſca* doctiſsimos edidit libellos de Philoſophia, morali excepta, quam omiſſam nollem. (1) Non agitur illic de lana caprina; neque tempus inutiliter teritur in Penelopes tela texenda, atque retexenda. Andatarum rixis neglectis; ſtrictim unico explicat libello Dialecticam & Metaphyſicam. Deinde totus eſt in naturali Philoſophia, quam expeditiſsima & mirabili perſpicuitate perſequitur. Homo verè natus ad Reipublicæ literariæ incrementum: qui ſi paullo ante ſcribere cœpiſſet, libris ſuis bibliothecas omnes impleſſet. Vide *Emmanuel* præſtantiſsime ut virum egregia animi moderatione nihil retardet, quominus ſcripta ſua luci publicæ permittat. Hujus exemplo excitatus quid ceſſas mundum illuſtrare ſcriptis tuis? Blattiſne tineiſque ſcripſiſti? Aut tibi & Muſis ceciniſti ſolum? Nimis diuturna eſt hæc tuorum operum expectatio. Nimis perit ſtudioſorum utilitati. Glorietur tandem Valentia altero *Vive*, primo illo longe eruditiore & elequentiore. Glorietur, inquam, Valentia altero *Vive*, primo illo longe eruditiore & eloquentiore. Vereor enim ne illud non ſatis exaudieris, & Valentinæ genti illam gloriam deneges, cui parem aliam, nunquam habuit. Vale: & *Jeſu Chriſti*

sti natalia cole, cœlestibus donis ab ipso cumulatus. Salmanticæ. XIII. kal. Januarias Anni MDCCXXII.

(1) *Compendium Philosophicum præcipuas Philosophiæ partes complectens. Nempe Rationalem, Naturalem, & Transnaturalem: sive Logicam, Physicam, & Metaphysicam. Auctore Thoma Vincentio Tosca, Valentino, Sacræ Theologiæ Doctore, ejusdem Archiepiscopatus Synodali Examinatore, & Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Presbytero. Ex Typographia Antonii Balle. An.* 1721. *Vol.* 5. *in* 8.

XII. *EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANSIO suo S.D.*

EGo verò, mi *Majansi*, etsi molestissimis occupationibus distineor, vix tamen eam excusationem afferre audeam. Vereor enim ne mihi solens cachinnum impingas. Nempe ita durus es? Ergo vel ob id ipsum habeto me districtum Tyrrhenis vinculis. Volo enim esse occupatus meditatò. Nimirum ut rideas. Sed quid id refert? Ita existimes velim *Majansi* mi, nullum me diem luculentiùs habere, quàm illum, in quo abs te mihi literæ. Neque enim vereor ut officia me tua foro mergant. Diligentissimè nomen expungam, ut ratio accepti & expensi bene inter nos conveniat. Quid ais? Absolvisti Commentarium *de vulgari & pupillari substitutione*? Ut lepidè! ut venustè! Licètne te amplecti? Id nunc supereſt, ut *de castrensi peculio*, & *de collatione bonorum*, itemque *de dotis collatione*, eadem diligentia pensum accures. Cur non habeat Hispania suum *Majansium*, quem succenturiet *Cujaciis*, *Brissoniis*, *Goveanis*, *Gothofredis*? Id sæpius cum animo tuo cogita, humana omnia versari fortunæ ludibrio, præter animi bona, & ingenii ornamenta. Sed heus tu, nosti illud:

Erèten dei prota genesthai
Prin pedaliois epicheirein

Nihil est adolescentibus æquè exitiosum, ac præmatura

scri-

ſcribendi libido. Habet enim natura ſuos veluti gradus ac rudimenta, quibus ad perfectionem ſenſim adrepit. Sic plantæ primum omnium flores emittunt, deinde frondes, hinc ſurculos, ac denique fructus. Prius enim eſt ordine decus oſtentare, proximum luxuriari, poſtremum autem utilitatem afferre. Sic quoque ſegetes, ut cum agricolæ emolumento matureſcant, prius occantur, deinde ſarriuntur, runcantur, metuntur. Non eò id dixi, ut te ab ſcribendo deterream, aut rationes tuas interturbem: ſed quod verear, ne præpoſteris hiſce ſtudiis implicatus atque irretitus, naturæ impetum retardes, ac divino tuo ingenio ſecurim infligas. Frontem contrahis? Cur ergo te palpo percutiam, cariſsimum mihi caput? Atqui tute, inquies, ad hoc ſtadium decurrendum mihi calcar injeciſti. Fateor. Sed aliud eſt applaudere, aliud monere. Delector equidem alacritate tua, quam ut accenderem, amore laudis fodicare oportuit. At aliquam operam huic labori impendi volui, non omnem. Amo te, *Majanſi*, & famæ tuæ immortalitatem accuro. Id ætatis es, ut diſcere te potiùs deceat, quàm docere. Quò ſeriùs id feceris, eò præſtantiùs. *Toſcam* jam diu eſt quum obſervo, cùm ob ſingularem hominis modeſtiam, gravitatem, pietatemque; tum ob eximiam doctrinam, qua in omnibus ferè diſciplinis verſatur. Quantus ſit ille in Mathematicis, ejus ſcripta abundè teſtantur. (1) Philoſophica adhuc mihi videre non contigit. Nec multum laboro de Hiſpanienſibus hiſce tricis atque offuciis. Quas ego nugas & deliramenta, philaſophiam potiùs appellabo, quàm philoſophiam. Diſpudet enim tot verborum inanium. Tametſi judicii tui ſubactiſsimi pondere ita nunc premor, ut penè inſaniam legendi deſiderio. De nugis noſtris edendis (in hac præſertim regione) ſpes omnes decolarunt. Et quidem nulla rei literariæ jactura. Novi equidem noſtratia ingenia ad obtrectationem prona. In eo præſertim literarum genere, quod ipſi contemnendum ducunt ac futile. At quod-

nam

nam id eſt? Quidvis, præter ſcholaſtica involucra. Porrò cui bono id facerem? Nempe ut me ſibilo exploderent. Egregiam mercedem ſcilicet. Ad hæc, ubinam ſunt typi Græci, quibus maximè uſus eſt ſcriptis noſtris edendis? Ubi typographi, qui impenſis ſufficerent? Ergo ſi quid à me elucubratum eſt (quod ſanè leve & contemnendum) id omne, quicquid eſt, genio meo dicavi. Nihil cogito præter animi immortalitatem, famæ deſpicio. Vale. Alonæ III. Eid. Januar. an. MDCCXXII.

Manedum, mi *Majanſi*, eſt quod te volo. Degit in hac urbe *Philippus Bulipho*, regiis vectigalibus præfectus, alter ego. Is amat te juxta mecum. Hunc ſi in amicitiam tuam pellexeris, rem patrabis tibi ſanè perutilem ac perhoneſtam. Eſt enim eximius Juriſconſultus, Latini ſermonis æquiſsimus æſtimator, ac judex ſolertiſsimus, Græcaque ſupellectili mediocriter inſtructus. Itaque in rem tuam conducere arbitror, ſi hunc hominem tibi devinxeris. Quod ſanè expeditum, te laceſſente, ac me proxeneta. Non enim deerunt officia noſtra virtuti tuæ. Iterum vale.

(1) *Compendio Mathematico, en que ſe contienen todas las materias mas principales de las Ciencias que tratan de la Cantidad. Que compuſo el Dotor Thomas Vicente Toſca, Presbitero de la Congregacion del Oratorio de S. Felipe Neri de Valencia. En Valencia, por Antonio Bordazàr, Año 1707. Vol. 9. in 8. Poſtea hoc Compendium recuſum eſt En Madrid. En la Imprenta de Antonio Marin. Año 1727.*

XIII. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, Monitori ſuo ſapientiſsimo, S. D.*

HAhahæ. Frontem ego contraham? Quamobrem? Nempe quia me freno dignum putas, quem antea ſtimulis fodicandum cenſebas? At ego iſtud mihi laudi duco. Itaque aliud quære quod meam excitet admirationem. Nunc illud conſidera, num quem ad Juriſpruden-

dentiæ ſtadium decurrendum, laxis omnibus habenis, amore laudis incitaſti; in medio curſu detinere queas. Sed hæc per jocum. Illud ſerio, me tuam epiſtolam plenam humanitatis & ſapientiæ deoſculatum eſſe. Ac ſi mihi nefas eſt ulla in re vel latum unguem abs te recedere, multo minus in ratione ſtudii inſtituendi, in qua ſpes omnes meæ ſitæ ſunt. Sed ne tibi videar aliud animo ſentire, quam re faciam, quæſo, diligenter attende omne meum inſtitutum. Ego cum prima juris elementa percurriſſem, adhibito Jureconſultiſsimi *Vinnii* Commentario, ac perluſtraſſem etiam præcipuos Pandectarum Titulos, maximeque illum *De Regulis Juris*, duce *Jacobo Gothofredo*, eximiæ doctrinæ, & eruditionis viro; viſus mihi ſum evolvere jam poſſe Principes Juris interpretes. Itaque, prout difficultates, in quibus eram, exigebant, modo hunc, modo illum conſuleram. Tum demum expertus fui, quod *Epicharmus* Poeta Siculus ajebat, *Nervos atque artus eſſe ſapientiæ non temere credere.* Multas enim aliquorum ſententias quas antea ſectabar æque ac ipſius *Papiniani*, falſiſsimas comperi. Cupiditas verum inveniendi detruſit me in aliquas quæſtiones ipſo labyrintho intricatiores; quas, quia certo duce adgredi non poteram, ſolus adire auſus fui, & ſatis feliciter penetravi, ipſa juris ratione, veluti filo Ariadnæo cæca regens veſtigia. Magnum inde animum ſumſi. Et elatus (ut fit) proſperis ſucceſsibus, cœpi mecum reputare, quam eſſet indignum ingenio liberali, quocumque alii te ducant, tanquam ſervum pecus huc & illuc agi. Jam altiora cogitabam, cum ecce abs te venit graviſsima illa ad Jus Civile cohortatio quæ ita pectus inflamavit meum, ut nihil niſi ſummum gloriosumque appeterem: eòque ſum auſus pulcherrimum ſcribendi facinus. Ergo animum adjeci ad ſeligendum aliquem Pandectarum Titulum, in quo operam induſtriamque meam cum aliquo ſaltem exercitationis fructu collocare poſſem. Is mihi viſus eſt, qui *De vulgari*

& *pupillari ſubſtitutione* inſcribitur, graviſsimorum interpretum Commentariis celeberrimus, propter ſubtilitatem autem argumenti, cujuslibet ingenio digniſsimus, & mihi (ut tum plane videbatur) ſatis intellectus. Sed Dei, hominumque fidem! Quam facile, ubi ſumus vulnerum ſecuri, egregios agimus laniſtas! Cum primum in arenam deſcendi, & calamum diſtrinxi, interpretum gravitate perterritus, difficultatum horrore obſtupefactus, ecce ego perturbationis plenus, & exſanguis pavoris. Tandem cœpi animum colligere; & memet ipſe ſic caſtigare. *Majanſi*, *Majanſi*, fruſtra dudum ante pugnam fortiſsime,

Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona ſines

Gloriæ? Non te movent clarorum in Juriſprudentia virorum præclara exempla? *Nerva* filius decem & ſeptem natus annos publice de jure jam reſponſitabat. Annum etiam iniens *Baldus* decimum ſeptimum, doctorum omnium admirationem excitavit, acutiſsima interpretatione legis *Centum Capuæ*. Centum anni complentur, ex quo *Franciſcus Ramos del Manzano* in hac ipſa urbe prodiit octodecennis candidatus in proſcennium petendæ Primariæ Cathedræ; quam ſi non obtinuit, meruit tamen accipere à Regio Caſtellæ Senatu honorificentiſsimas literas ipſa impetratione Cathedræ multo glorioſiores. *Petrus Faber* annorum adhuc viginti limatiſsimum illum *De Regulis Juris* Commentarium (editum poſtea maturius) jam evulgavit. Vix attingens *Alciatus* vigeſsimum ſecundum, *Diſpunctionum*, & *Paradoxorum* edidit libros, quibus antea incultam, & horridam Juriſprudentiam, excolere & inſtaurare cœpit. Quid plura? Tu ejuſdem ætatis non edidiſti quicquam? Nondum elucubraſti aliquid luce publica dignum? Denique fucum agis. Ubi vigor juvenilis? ubi mens, & ipſius memoria tui?

Tum pudor accendit vires, & conſcia virtus.

Igitur ubi laudis amor & gloria metu pulſa iterum me-

um

um pectus inflammant, *Acrior ad pugnam redeo*, præcipitesque agere ardeo, Juris Civilis, si qui sunt, *Daretes*. Adfuit ausis bonus exitus : nam obfirmata mentis constantia, quam adversus difficultates habui, modo hunc, modo illum prostravi. Nec prius destiti victoriam jusequi; quam totum Titulum in veritatis solidæque Jurisprudentiæ ditionem redigerem, erroribus fusis fugatisque, partim auxiliaribus aliorum interpretum copiis adjutus, partim virtute nostra. Eodem pacto me gessi in Titulo *De Castrensi peculio*. Idem enitor nunc in Titulis *De collatione bonorum*, & *collatione dotis*. Nec vero existimes me in his Disputationibus cum proletariis tantum contendere, sed cum majorum gentium (ut ita dicam) Jureconsultis. A quibus, quoniam ingenio, & eruditione vincor, viribus omnibus connitor, ut diligentia illos superem. Si videres hanc, tibi essem stupori. Etenim non antea unam literam appingo, quam intensissime perspexero, quid senserint de illa re Principes Jurisprudentiæ viri: quorum sententiis diligentissimo examine perpensis, tum demum judicium meum interpono. Hæc cum ita sint, jam credo nihil verebere, ne videar docere prius, quam discere : neve præposteris studiis implicatus atque irretitus naturæ impetum retardem. Quin potius ita quantum possum, protrudo. Sed de his propediem deliberabimus, cum absolvero Commentarios quos in manibus habeo. Eos enim statim mittam ad te, ut ex re ipsa consilium capiamus, aut potius tu des, & ego sequar. Nunc importunum, imo turpe jam est, de me plura deblaterare, præsertim apud te.

Nam strenujori deterior si prædicet
Suas pugnas; de illius ore fiunt sordidæ.

Quid tu ais, *Emmanuel Martine* ? Mirabilia tua scripta ingloria atque sepulta in pluteis jacebunt! Tantam jacturam res faciet literaria? O virum meliori seculo dignissimum! Ut dolet istud cordi meo! Et cui lacrymas non exprimet iste dolor? Quid faciemus? Quoniam spes tan-

tantæ decolarunt nobis

Jam ego me convertam in hirudinem,
Atque tuum exſugebo ſanguinem.

Maximas tibi debeo atque ago propterea quod ſcribere me voluiſti ad *Philippum Buliphonem*, doctum & eruditum virum. Illum ego jam antea amabam aliorum prædicatione ; tua vero etiam veneror. Si reſciſſem antea, eum eſſe alterum te, officium meum minime requireres. Oro te *Emmanuel* humaniſsime, ut quem excitaſti in *Buliphone* erga me amorem, merito & autoritate tua ſuſtineas. Mea officia nunquam deerunt adverſus eum. Tuorum ego te flagito ſponſorem. *Joſephum* tuum quem diligo in fratris germani loco, ardentiſsimo humanitatis amore inflammavi. Jam geſtit tua inſequi veſtigia. Utinam, utinam. Juriſprudentiæ egregiam operam navat. Et quanquam hoc facit ſua ſponte, cohortari eum inſiſto. Tu me ama, quod abs te unice percupio. Vale. Salmanticæ, Pridie Kal. Februarias. An. MDCCXXII.

XIV. *MARTINUS MAJANSIO SUO S. D.*

ERamus unà ego & *Bulipho*, quum redditus mihi eſt literarum tuarum faſciculus. Solvi illum continuò. Et: Heus tu, inquam; eſt aliquid etiam ad te. Nimirum à quonam? ſubjunxit ille. A *Manjanſio* noſtro. Et epiſtolam porrigo. Deoſculatus eſt ille. Eáque avidiſsimè perlecta, teſtatus eſt majore ſe nunquam perfuſum voluptate. Amat ille indolem tuam, ingenium, ornamenta, virtutem. Reſcribet ubi tantillum otii nactus fuerit. Fratrem meum vellem nunc ne à Juriſprudentia vel latum unguem. Quem tibi unicè commendo, ac inſtituendum trado. Vale pancraticè. Alonæ. Lupercalibus. An. MDCCXXII.

XV. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, amico suo summo, S.D.*

TErtius & vigesimus hic est dies ex quo literas a te accepi plenas humanitatis, officii, liberalitatis tuæ. A *Philippo Buliphone* tandem heri. Sed Dei hominumque fidem! ut moram ille persolvit cumulatissimis comitatis, & benevolentiæ usuris! Si tuas literas excipio, nihil humanius, nihil liberalius legi. Confido hanc inter nos amicitiam fortunatissime perennem futuram: præsertim cum inita sit, te conciliatore. Antequam absolverem Commentarios *De Collatione bonorum*, & *Dotis collatione* constitueram eos ad te mittere, sperans pro mea brevitate epistolæ modum non superaturos. Sed cum assidua lectione multisque commentationibus nimis creverint, jam non sunt committendi tabellario. Accipe tamen eorum particulam, ut inde cognoscas qualia reliqua futura sint. Sed si cupis scire quamnam inerim methodum in omni opere, nunc designabo. Ante omnia quasi per indicem (procul amandatis controversiis) omne jus collationum expono, juris progressus, & mutationes omnes distinguens. Deinde postquam legentium animos imbuo universa collationum cognitione, titulorum interpretationem adgredior, singulas leges commentario exornans, ne quid, vel minimum omittatur. Tempus ibi non tero in referendis aliorum somniis: sed ita meam sententiam cum maxima brevitate propono, ut ea cognita quilibet possit refellere falsas opiniones ei contrarias. Sic fugio interpretum a quibus dissensio, reprehensionem. Nec nisi raro nomino quos sequor. Nam cum alicujus approbo sententiam, tunc enitor, ut multo copiosius, & clarius disputem quam ille, atque ideo indiligentiæ suæ testem (cum necesse non sit) advocare nolo. Cum vero alicujus interpretis opinionem rejicio, tunc non manibus ejus (quibus bene precor) sed errori bel-

lum

lum indico facioque. Non uſquequaque inſiſto aliorum ductui. Libera veſtigia paſsim pono, ubi ſcilicet rei difficultas exigit, ut aliena non premam pede meo. Verum ratione juris ita incedo ſubnixus, ut aliquando mirer non eſſe pertritas tam faciles vias. Hæ laudes ſunto laboris, non ingenii mei. Has ego commemoravi liberius quam mea fert conſuetudo, ut his omnibus perpenſis mihi ſignifices, num operæpretium facturus ſim, ſi hos *Commentarios* publici juris fecero, cui rei a Patre jam parata pecunia. Venio ad te ſcitatum oracula. N. mihi dabat literas ad te, quas accipere nolui, ne ulterius pergat tibi moleſtiam exhibere. Noſter *Joſephus* ſi judicio ſuo pergit uti, Jureconſultus erit. Deſpondi ei elaboraturum me Diſputationem accuratam quandocumque volet inire literarium certamen. Utere, quantum libuerit, voluntate mea. Vale. Salmanticæ, Kal. Aprilib. Anno MDCCXXII.

XVI. *EMMANUEL MARTIMUS GREGORIO MAJANſio, juveni ornatiſsimo, S.D.*

LIteræ tuæ, quibus nihil mihi jocundius, eo tempore mihi redditæ ſunt, quum in graviſsimam quandam animi ægritudinem incideram, ac moleſtiſsimos curarum aculeos. Noli cauſſam ſciſcitari. Ad hujus Eccleſiæ clavum ſedemus. Nihil imperio gravius, ne dicam inviſius. Noſti deinde hominum ingenia, verſutiora ut plurimum rota figulari. Tenes omnia. Commentariorum tuorum *de Collatione bonorum* ſpecimen legi, diſcuſsi. Sed quid ego in tam conciſa atque anguſta Diſquiſitione? Non tam enim nobis in ea te oſtentas, quàm præterveheris ocyor navè Salaminia. In quo ego inſtitutum tuum minimè probo. Quorſum enim præpropera iſta feſtinatio? Video te verſari in ſterili provincia, arida, ſqualida. At quis te in illam conjecit? Quando aliquid elucubrare animo tibi

hæ-

hæſerat, ſatius multò fuiſſet in lætiorem aliquam ſegetem falcem immittere: ut uberiore materia recreatus animus, eos manipulos demeteret, qui ingenium tuum, ſtudium, laborem, diligentiam, altiùs commendarent. Exilis materia eſt, nimiſque jejuna, quam tibi ad ſcribendum propoſuiſti. Nec tamen id ego damnare auſim. Scribito quidvis, dummodo exercendi tantùm. Habent enim ingenia, ſua veluti incunabula ac rudimenta. At primos ſtatim fœtus publicæ luci committere, aleæ mihi plenum videtur, parum è dignitate tua, ac (famæ tuæ conſulo) nimis præpoſterum. Noſti illud: *Canis feſtinans cœcos parit catulos.* Quod ad Prætorium edictum attinet, equidem longè aliter ſentio. Nimirùm veterum juris interpretum eſſe illa verba, non autem Prætoris. Amo tamen libertatem tuam, quòd in nullius verba juraveris. Nihil enim mentibus noſtris æquè exitioſum judico, ac in ſcribendo alicujus fidei ſe obſtringere. Valeant Pythagorei. Neque tamen id dico, ingenio noſtro uni ac diligentiæ omnia eſſe committenda; cùm nemo ſolus ſatis ſapiat. Sed ita eſſe ſtudia noſtra temperanda, ut nec aliorum labores per faſtidium atque arrogantiam contemnamus, nec ingenium noſtrum, in morem mancipii, unius alicujus addicamus obſequio. quod ejus vires enervat maximè ac dejicit. Quod nobis cogitationes tuas omnes, conſilia, ſenſa aperuiſti, maximas tibi ago gratias. Quid ais mi *Majanſi*, frater meus ſanctiſsimum illud ac verendum Juriſconſulti nomen? Itera dum iſta mihi. Quàm ego vellem ut veſtigiis tuis inſiſteret! Cæteroqui nec ineptus mihi viſus eſt ad diſciplinas capeſſendas, nec natura ſocors, aut ſegnis ad ſtudiorum incommoda ſubeunda. Per igitur mihi gratum facies, ſi, uti facis exemplo, monitis etiam atque adhortatione inſtiges illum atque inflammes, ac opera tua, cura, diligentia, inſtitutione, exaſciatum reddas ac dedolatum. Quod per ego fortunas tuas, ac patris ſalutem, oro atque obſecro. Quod homuncionis illius literas ad me ſcriptas non

ac-

acceperis, gratum mihi eſt. Quin ille tandem iſtas mittit nugas? Egone Inſcriptionem illam *epitymbion* exararem, quam homo vecors procacibus illotiſque manibus attrectare auderet ac deturpare ? Apage has ineptias. *Petro Lollio* , Canonico Salmanticenſi, ſi modò is verſatur in urbe iſthac, ſalutem à me dices. ac tuam curabis diligenter. Vale. Pridie Kal.Majas an.MDCCXXII. Alonæ.

XVII. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO Hiſpanæ gloriæ Vindici gaudere & bene rem gerere.*

ORacula fundis, ſapientiſsime *Martine*. Tuas literas ſtatim ad Patrem. Qui ſi me vult audire , maxima ſollicitudine liberabit me. Videbimus quid ſtatuendum cenſebit. Proculdubio ſuum calculum adjiciet tuo. Gloriam appeto. Sane vero. Sed veram ſolidamque; non fallacem atque fucatam. Credin' , *Emmanuel* , me mihi ſatisfacere in ſcriptis meis ? Apage judicium iſtud. Doleo , indignor , & iraſcor , quod neque mihi poſsim placere. Quoties ſcriptito aliquid, neſcio quid majus evolvo cogitatione mea , quod exprimere ego nunquam poſſum. Id ſi aſſequerer , quieſcerem omnino. Hæc ideo dico , quia etſi in Commentariis meis mille prope leges in perbrevi libello explicarim , aliquas etias ſplendore novo illuſtrarim , tituliſque *De collationibus* breviſsima quidem Summaria præmiſerim , quibus legentium tædium mirifice poſsit allevari ; etſi inquam hæc & alia præſtiterim : tamen neſcio quo pacto rebus meis diffido, ut vel caſſa glande Commentariolos meos permutavero. Mitto ad te *Dedicationem* & *Proloquium*, quæ paraveram. Sed nimis multa de nugis. Pauca nunc de mirabili tua *Apaſteroſi* , ſi tamen me loqui ſinit admiratio. Deus bene faciat *Philippo Buliphoni* egregio rerum æſtimatori. Maximas illi habemus , & debebit poſteri-

teritas immortales. Tu autem nisi jam diu tibi æternam gloriam peperisses, nunc esses consequutus, edito hoc elegantissimo opere. Sus Minervam videbor si de te ipso apud te. Sed tamen hoc sanctissimè dejerabo, nihil me in tota vita legisse elegantius & inaffectata eruditione abundantius. Ipsum *Ovidium* (ita me Deus amet) legere videbar. Mera miracula audieram de tuis poëmatis. Sed cum te oratoria facultate eminentissimum esse viderem, existimaveram (dicam libere) fieri minime posse ut æque in poëtica excelleres. Abstulisti mihi falsam opinionem. Et si quid mei judicii est, in utraque oratione te cum omni antiquitate componere minime dubito.

Vix legeram *Elegiam*, cum veluti furore quodam correptus scripsi istos versiculos, in quibus nihil poteris probare præter jucundissimam de te cogitationem. Cetera me lubente flocci facies. Olivam cogito. Jubet instantius Pater sarcinulas colligere. Præter mandata tua nihil in hac Urbe expectabo. Illud mihi vehementer dolet quod disjungar à fratre tuo suavissimo: Sed hoc me consolor quod ad te propius accedam, teque videre continget. Doctoris insignia ubi Valentiam pervenero, accipiam. Inde Olivam advolabo. Ubi postquam sex aut octo menses commoratus fuero, Valentiam repetam, vitæ meæ (nisi me animus fallit) destinatam sedem. Tunc linguarum cognitioni me dedam ad quam tu & *Bulipho* me estis hortati. Quietum studium instituam. Ambitionem procul esse jubebo. Fratres meos, puellos egregia indole instituam. Nihil nisi de famæ animæque immortalitate cogitabo. Interea præscribe quid me velis. Meam operam locatam habes ad digiti crepitum. Vale. Salmanticæ, XIV. Kal. Jun. Anni MDCCXXII.

Versutissima isthæc ingenia, quæ te male habent, per salutem tuam contemne. Qui tam recte omnibus philosopharis, fac tibi sapias. Ubi tua æquanimitas? Vide

ne te præclarè disputantem, velut *Plutarchum* ille servulus, te tui meminisse cogamus. Inter Salmanticenses Canonicos nullus est *Petrus Lollius*. Facile animum induco te alium salutare voluisse.

ELEGIA QUA ARCAM EXCELLENTISSIMI POETÆ Emmanuelis Martini Decani Alonensis; novum Astrum salutabat Greg. Majansius, Generosus Valentinus.

ARca, pererratis toties terraque marique,
Arcanis Domini fida ministra tui:
Bis denas experta hiemes cum perpete motu
Restituens Domino credita quæque tuo.
Post varios casus, post tot discrimina lætor
Esse ministerio præmia digna tuo.
Gratulor ereptam vitam formamque caducam,
Et superi jussam fornicis esse jubar.
Salve igitur præclare nitor, decus addite cœlis,
Nostraque per lucem fac rata vota novam.
Invidiosa hominum jam noli mentibus esse.
Divitias tantas non aperire nefas.
Sunt tibi quæ nolint Arpinis cedere chartis:
Quæque tibi invidiam, Mantua clara, parent.
Per quas Varronis facilis jactura videri:
Atque iterum Latii lingua vigere queat.
Sunt quibus antiqui mactetur gloria secli,
Et reprimi aligeri possiet ira senis.
Queisque revelentur causſæ momentaque rerum:
Nec non priscorum dogmata sancta virum.
Sunt quæ Cecropiis scriptæ videantur Athenis;
Illarum eloquium nec periisse sinant.
Et quibus Argivi cupiant cum gente togata
Cernere de lingua, Roma diserta, tua.
Istæ divitiæ, magis & pretiosa recondis
Si qua istis, pateant, nobilis Arca, rogo.

Sic

Sic Tu ſis poſthac inſueta luce coruſcans,
Ipſeque non tali Phoſphorus igne micet.
Sic fratres Helenæ tibi lucida ſidera cedant,
Et Beronicæo vertice cæſa coma.
Sic toto cœlo non ſit fulgentius aſtrum,
Quodque magis nitidum fundat ab arce jubar.
Sic cœli meliore plaga tibi ſiſtere detur
Unde oculis hominum ſuſpiciare nitens.
Sic Domini ſemper videas adcreſcere famam,
Dum ſero ſuperos augeat indigites.

XVIII. *MARTINUS MAJANSIO SUO S.D.*

HAnc rem age, *Majanſi* mi. Seceſſum aliquem tibi para, in quo & honeſtè lateas, & famæ conſulas, & iis literis indulgeas, quæ animum tuum excolant, non quæ te fortunis locupletent.

Eget minus mortalis, quò minus cupit.

Ait ſapientiſsimè *P.Syrus*. Quid? Comittemus foro divinum tuum ingenium, egregiámque iſtam indolem, veluti inflicta ſecuri, jugulabimus? Faciant hoc rabulæ, quorum inſtitutum eſt, quiſquilias atque affanias deblaterare, nugas vendere, crepitaculi more ſonare *barbaricos*, inhiare alienæ pecuniæ, & verborum ſterquiliniis ſtultorum crumenas emungere. proſtituta mancipia, non homines; & ſpecie honoris ignaviſsima proſtibula; ac ſimulata Juriſprudentiæ perſona ad decipiendos incautos parata monſtra. Fœdiſsima humani generis lues. qui ſordibus, juris inſcitia, ac æruſcandi libidine, harpyiarum ritu quicquid tangunt conſpurcant. Te veneror ſanctiſsima *Themis*. abige hæc propudia. Sed quo me rapit?

Equidem Valentiam quoque migraturio. Simul ac mihi licebit per has compedes, eò me transferam: cùm ut gratiſsimæ atque amœniſsimæ urbis fruar deliciis, tum ut fratris mei fortunam præſens foveam, ac juveniles

greſſus confirmem. Quippe illum in eam quoque urbem cogito. Nam Salmanticenſes illas perennitates ac *diatribas* odi atque deteſtor. Quid enim ærumnoſius, quàm prenſando, ambiendo, exſpectando, ævum traducere? Et cùm toties repulſam tuleris, denuò togam candidam ſumere?

Kreiſſon to me zein eſtin, e zein athlìos.

Apaſteròſeos noſtræ nugas tibi arriſiſſe, per mihi eſt jocundum. Etſi illa me invito in lucem prodiit. Sed quî ego obluctarer, cùm omnibus machinis me oppugnarent, ſanctiſsimum ac maximè mihi verendum amicorum par, *Buliphones* fratres? Gerendus illis fuit mos. Eò magis, quòd opuſcula quædam illi ſua, oppido quàm elegantiſsima, vel præfigerent, vel appenderent; quibus lectoris moleſtia, quam ineptiæ noſtræ creaſſent, detergeretur. Ut ut, prodiit ſanè illa. utinam bonis avibus. Nam de noſtratium ingeniis peſsimè ariolor. Luſus fuit. Si de corio meo luſerint, haud magis me commovebunt, quàm ſi in demortui cineres minxerint. neque enim vacat, nec lubet, cum larvis luctari. Inſurgent adverſus novum hoc aſtrum liventes vapores? Diſsipabo eos ſplendore elegiæ tuæ nitidiſsimæ. qua vix quicquam reperiri poteſt, venuſtius. Nunc demum ſuffragio tuo, non Arca tantùm, ſed *Apaſteròſis* ipſa conſecrata eſt. Immortalitatem illi contuliſti. Bene eſt. *Apetheote.* De Proloquio tuo quid dicam? Preſſum quidem illud contractúmque. Sed in quo inſtituti tui rationem modeſtia ſingulari ac graviſsimis verbis exponas. De Græca lingua (quando te id ſeriò cogitare ſcribis) aurem tibi vellam. Crede mihi ſuaviſſime *Majanſi*, inopes ſunt ac jejunæ literæ ea ſine. Tibi autem, qui ſcriptoris perſonam induere paras, apprimè illam neceſſariam judico. nec quid in rem tuam magis conducat video. Commodè huic ſtudio vacare poteris in otio Valentino. parata tibi erit opella noſtra, ſi aliquis tibi uſus. Sed quid erit fratri noſtro, cujus univerſæ opes & copiæ poſitæ erant in amore, ope, atque

inſ-

inſtitutione tua? Valde vereor ne diſceſſus tuus exitio illi fuerit. Sed ferenda fortiter quæ vitari non poſſunt. Cis paucos dies in agrum Alonenſem ruſticatum paro. Utar eo ſeceſſu uſque ad autumnum. *Petrus Lollius* tam eſt Canonicus Salmanticenſis, quàm *Thraſo* Terentianus miles glorioſus. Sed autumo illum, neſcio ob quas tricas, nondum Eccleſiam adiiſſe, ac Mantuæ degere. *Chafreoni*, niſi negotium, ſalutem à me dices. Vale. Dat. v. Eid. Junias an. MDCCXXII. Alonæ.

XIX. *GREG. MAYANSIUS EMMANUELI MARTINO Decano Alonenſi, & amico ſummo, S. D.*

CUm Salmanticæ (ut ad Te ſcripſi) de reditu in patriam cogitarem ; ecce nuncium qui exanimavit me. Allatum enim laborare meam matrem ægrotatione graviſsima: neque genus morbi indicatum. Equidem timui malorum illiadem. Nec me opinio fefellit. Nam decimo kalendaś Julias (o diem a quo nihil mihi niſi luctuoſum expecto, niſi tantis malis provideat Deus Opt. Max.) cum perveniſſem domum, ſuaviſsimam matrem inveni, vigiliis, quas mei deſiderium pepererat, confectam, ſummaque inedia, ac debilitatione corporis animique prope conſumtam. Ad ejus ſpectaculum obſtupui, & dolore oppreſſus, vix potuiſſem reſiſtere, niſi me confirmaſſet, illa cogitatio, ſic placere Deo. Fiat igitur voluntas ejus. Nam qui hæc vult me pati, patientiam dabit, & miſericordiæ ſuæ memor erit. Tu, *Emmanuel Martine*, Jeſum Chriſtum precare, ut quando nullus labor par eſt ſceleribus noſtris expiandis, pietatem clementiamque ſuam ſatisfactioni noſtræ ſufficiat, ut a quo nunc æquanimi (ipſi gratias habeamus) mala iſthæc accipimus; eidem hilariores poſtea gratias noſtri levaminis referamus. Literas quas Salmanticam ad me miſiſti, tranſmiſit amicus. Incredibile eſt quantum ſo-

la-

latii mihi attulerint. Adeo ſcriptæ ſapienter, & amice. Faxit Deus, ut Valentiæ, ſicuti me jubes ſperare, liceat mihi aliquando conſpectu, colloquiis, & amabili tua conſuetudine frui. Non diſcedam à te latum unguem. Quod ut quanto citius conſequar, rogo te, ne *Joſephum* noſtrum diutius immorari ſinas Salmanticæ. Ille quidem cupit diſcere, ſed parum diſcet ab aliis. Ut quiſque ibi ingenioſior eſt, eo attentior ad conſultantium, potentiorumque munera dividentium obſequia, literis interea valere juſsis. Quòd graviſsimis ſententiis me hortaris ut procul a foro vivam, habeo gratiam. Odi ſemper ſtrepitum forenſem, & vitam illam conductitiam ſordidiſsimo cuique mancipatam. Literis tuis perlectis multo magis odi. Fac ut iſta loci amœnitate jucundiſsime perfruaris, & ut etiam aliquid elucubres, quo poſtea nos facias voluptatis tuæ participes. Curam tamen habe præcipuam valetudinis tuæ. Olivæ, Nonis Juliis Anni MDCCXXII.

XX. *MARTINUS MAJANSIO SUO ſuo S.D.*

QUum redditæ mihi ſunt quas Oliva mihi dediſti, eram ſanè occupatulus in reſcribendo literis quibuſdam *Scipionis Maffei Veronenſis*, Florentia ad me datis. Parat vir eruditiſsimus Syllogen maximam Inſcriptionum antiquarum. Eaque fini, quicquid poſt *Gruterum*, *Reyneſium*, *Fabrettum*, per univerſam Europam è terræ viſceribus erutum eſt, id omne incredibili diligentia colligit atque corradit. Ab eo igitur per literas conventus ſum. ignotus ab ignoto. In iis multa à me quærit, nec oppidò obvia, nec tralatitia. Nimirùm, num in Hiſpaniæ urbibus, oppidis, pagis, viis, agris, inſcripti lapides adhuc hodie ſuperſint. Si quidem ſuperſunt, qua copia? ac quænam loca magis iis abundent? qua lapidum forma? quo ſaxi genere, nativóne aç vernaculo, an pe-

re-

regrino & exotico? Albóne, an obſcuriore? Et an lapide epigrammatis incidendis apto abundet Hiſpania? Præterea, num Hiſpanienſes Inſcriptiones, quas olim edidit *Gruterus*, adhuc extent? Si autem extant, num omnes, num aliquæ tantùm? Et an reperiatur vir aliquis rei antiquariæ gnarus, qui editas à *Grutero* Inſcriptiones cum ipſis lapidibus conferendi provinciam in ſe recipere velit; erroreſque emendare, qui in exemplaria edita irreplerunt. Ad hæc, quis omnium primus eas in lucem emiſerit? Magis accuratulè. Quis de iis ante alios ſermonem fecerit? Quando autem *Morali*, *Scotto*, *Stradæ*, *Reſendio*, acceptæ referuntur; quiſnam eorum præceſſerit? quóve in opere? quísve eorum majorem partem protulerit? Ecquiſnam extet in Hiſpania vetuſtus codex manu exaratus, Italis nondum agnitus, qui epigrammatum ejuſmodi collectionem exhibeat? Quî fieri potuerit, ut complures *Grutero* inſcriptiones ex Hiſpania afferrentur, quas à nemine unquam uſquàmve vulgatas novimus? *Scottus* ille & *Strada*, illine ipſi ſint aliis ſcriptis clari, reique publicæ literariæ aliunde noti; an alii, quí literas in Hiſpania coluerunt? Númque eorum ſchedas, à *Grutero* tam ſæpè accerſitas, mortalium aliquis viderit? Denique, num hodie etiam in hac provincia hujuſmodi ſcripta monumenta eruantur? Ac (ſi fortè eruuntur) num aliquis reperiatur, qui recens effoſſa, nec dum edita, diligenter exſcribere velit, ac per literas communicare? En epiſtolæ ſumma. Hui! dices. Quis unquam tam multa continenter unóque ſpiritu ſciſcitatus eſt? In hoc igitur luto hærebam, quum literas tuas ad me miſit *Bulipho* noſter. Quare viſum mihi eſt tot illa perplexa priùs explicare, quàm dare ad te. Ne videlicet ardor ille animi tepeſceret, rerúmque explicandarum ordo ac ſeries interpellarentur. Adde, mercatorem, cui reddendæ mihi epiſtolæ cura commiſſa fuerat, reſponſum inſtantius flagitaſſe. Unum me angebat. librorum inopia. Eram enim ruri. nec quicquam librorum mecum attuleram, præter *Geoponicos*.

Erat

Erat enim ſtatutum quum rus ſeceſsi, genio tantùm indulgere, & abuti otio. Tamen etiam ad ſingula reſponſum dedi. Satin' aptè, ille viderit. Certè epiſtolam à me abſtulit, ſi minus doctam, ſaltem benè longam. In qua omnia complexus ſum, quæ homini altiùs imbuendo viſa mihi ſunt neceſſaria. Quid ſi rus & ſtivam oleant? Deterrebo ſaltem hominem ruſticitate, & à me abigam. Sed quî? Ejus enim leniendo faſtidio, néve operam luſiſſet in me literarum officiis demerendo; pollicitus illi ſum ultra quadringentas Inſcriptiones; partim à me ex ipſis autoglyphis exſcriptas, partim ex idoneis auctoribus, qui eas poſt *Gruterum* in lucem ediderunt. Mitterem earum literarum ad te exemplar, niſi laborarem exſcriptoris inopia. Deeſt enim mihi ſervus à manu. Verumtamen, ſi tantillum ignaviam excuſſero.

Parentis tuæ graviſsimo morbo te confectum video. Vellem quæ velles, mi *Majanſi*. amo enim te impenſiùs. Spero tamen fore, ut præſentia tua recreato illius animo, denuò convaleſcat. Exiſtimo enim deſiderio potiùs tui illam ægreſcere, quàm ægrotare. Quicquid ſit, pro ejus incolumitate vota ſuſcepi. utinam ſolvam. Patri tuo ſalutem à me dices. Tu quoque ſalve. E villa Popiliana agri Alonenſis. XII.Kal.Sextileis an.MDCCXXII.

Quod bonum, fauſtum, fortunatúmque ſiet, libri *Monfalconiani* ad nos tandem pervenere. Scilicet poſt biennales moras. Intercluſus enim fuerat illis aditus ob luem Gallicam. In eo opere frequens mentio nominis mei. Diſſertationem quoque noſtram *de Theatro Saguntino* in eo edidit vir clariſsimus *diglottos*. Latine nimirùm, & à ſe Gallicè converſam. Quod equidem honoris præcipui loco habeo. Nihil enim in eo decem prægrandium voluminum Syntagmate, auctor edidit alienum, præter Diſſertationem noſtram.

GREG.

XXI. GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, *Decano Alonensi, S. D.*

DE *Theatro Saguntino* in Gallicam linguam conversо, insertoque, egregio *Antiquitatis explanatæ* Syntagmati ab eruditissimo Viro *Bernardo Monfalconio*, tibi ex animo gratulor. Optime novit vir eximius quanti fieri debeant scripta tua. Quas ad *Scipionem Maffeum* Italiæ decus dedisti literas, avidissime expecto. Et quoniam Inscriptionum meministi, duas huc transcribam, quarum alteram nullibi legisse memini; alteram mendosissime descripsit *Franciscus Diagus* in *Annalibus*. Debemus tamen ei conservationem prænominis, quod penitus excidit. Utraque inscriptio extat in angulis sacelli sacri Divis, *Josepho*, *Alberto*, & *Augustino*. Quod sacellum situm est in agro Olivensi inter Oliveta, ubi quondam erat oppidulum quod Mauritii *Benifarès* appellarunt. Memoratæ Inscriptiones eo translatæ fuerunt cum Divorum tabula anno MDXCVI. Olivensibus Triumviris *Jacobo Paschasio*, & *Petro Joanne Siscare* maternis meis atavis clarissimis; cum fuissent antea Helicæ (vulgo *Elca*) celebri quondam oppido, cujus multa manent vestigia ad radicem montis qui vulgo dicitur *Almoxich*, quique Oliva distat mille passus. Altera inscriptio ad dextrum angulum posita distinctis literis ita scripta est.

P. ATELLIO. P. F.
CAL. VERECVNDo
AN. XXX.
HOMVLLVS FIL.
ET. SIBI.

Alterius Inscriptionis angulum sinistrum fulcientis literæ sunt valde corrosæ injuria temporis. Si earum ductus se-

quamur, ita ſcriptum videtur.

. SEMPRONIVS C. F.
GAL· SEVERINVS
H. S. E.
MINICIÆ EL Γ
R P I I MA E

Quod epigramma exiſtimo ſic reſtitui poſſe:

C. SEMPRONIVS C. F.
GAL. SEVERINVS
H. S. E.
MINICIÆ ELFI
*vel *Matri* *VXORI PIISSIMAE.

Mea Mater dulciſsima convaleſcit in dies. Jam interfuit ſacris. Pater jubet te ſalvere, tibique precatur fauſta omnia. Cura rem literariam, quod facis. Sed & valetudinem tuam. Olivæ VIII. kal. Septembreis An. MDCCXXII.

XXII. *MARTINUS MAJANSIO SUO S.D.*

CUm rure domum revertiſſem, en epiſtola tua, plena humanitatis, officii, amoris, benivolentiæ. Urgebant literæ *Scipionis Maffei*, quibus à me promiſſum repetebat, monito, ut inſcriptionum faſciculum ad *Carolum Rinuccinum*, Magno Etruriæ *Dynaſtæ* ab intimis ſecretis, quamprimùm mitterem. Eam fore viam expeditiſsimam tutiſsimámque. Idem me monuerat *Marchio Rinuccinus*. Itaque totus eram in ſchedis evolvendis parandiſque. Acta res eſt bonis avibus. Miſſæ ſunt Inſcriptiones anti-

tiquæ quadringentæ decem & octo, ac in eas quædam annotatiunculæ, obiter iis appictæ.

Primum quod tu mittis epigramma, à nemine adhuc editum eſt. Indiget tamen accuratiore calamo. Legendū enim;

P. ATELLIO P.F.
GAL. VERECVNDO
AN. XXX.
HOMVLLVS FIL.
ET SIBI.

Eſt enim illud GAL. compendium tribûs *Galeriæ*. Tribûs autem nota ſedem habet ſemper inter nomen atque cognomen. Solennis ea formula. Nec aliter unquam apud antiquos. Adeò, ut ſi ſecus occurreret, vel barbara haberetur ea Inſcriptio, vel ſpuria, ac ſubleſtæ fidei. De altero epigrammate deliberandum cenſeo. A fratre meo ſex jam menſes nullas accepi. Vivátne, an vixerit, neſcio. Miſi illi ſubſidiariam pecuniam. accepit. nec ad me quicquam. Valde vereor ne diſceſſus tuus illi infortunium pariat. Nam ille quidem de ſuo parum mihi videtur ſapere. & jam diu ejus me ineptiarum atque inertiæ pertædet. Quare, ſi illum officii admonueris, per mihi gratum facies. Parum enim abfuit quin illi miſerim libellum repudii.

Matrem tuam meliuſculè habere, ſacriſque interfuiſſe; vehementer gaudeo. *Anna Perenna* fer opem, ſerva illam obſecro. Patrem tuum quàm arctiſsimè amplector, ejuſque humanitatem deoſculor. Salveat à me. Tu quoque ſalve, & nos ama. Alonæ, Kal. Septemb. an. MDCCXXII.

XXIII. *EMMANUEL MARTIMUS ILLUSTRISSIMO viro Marchioni Maffejo S.D.*

MUlta quæris, vir eruditiſsime, nec ſanè obvia, nec extricatu facilia: adde, ab homine Hiſpano. Ta-

men, quandò me per literas compellare tibi placuit; connitar profectò, ut minus te initi consilii ac locatæ operæ pœniteat. Nulla est toto orbe terrarum provincia, si Italiam excipias, Hispania illustrior antiquitatis monumentis. Scatet universa pontium, aquæductuum, templorum, theatrorum, circuum, amphitheatrorum, aliorúmque publicorum ædificiorum ruinis. Quorum magnam partem nostratium potius, quàm sæculorum injuria diruit atque delevit. Ea est Hispanorum natura atque indoles, ut Ethnicorum (ita Romanos appellant) monumenta evertere, pietatem appellent. Séque eo officio Deum maximè sibi propitiare arbitrentur. Hem præposteram pietatem! Sed quî aliter accidere potest in regno ....! A ..... monitis vel latum unguem discedere, nefas ducunt. Quicquid illi effutiunt, tamquam ex Apollinis tripode edita oracula, venerantur. Quo infami obsequio ignavissimi homines turgentes; inferorum supplicia iis minitantur, si vel ad aliquod vetustum simulacrum oculos vertant. Itaque simulac ejusmodi aliquid effossum fuerit, scelaratas illi manus injiciunt, discerpunt, detruncant. Néve sol iste ejus adspectu polluatur, disjecta illa membra, vel in ædificiorum fundamenta demergunt, vel pro cæmento in interiores parietes detrudunt. (1) Emergit rarissima aliqua protome, vel Cæsaris, vel præstantissimi alicujus philosophi, vel oratoris? idolum est, pereat. ac statim *Dagonis* cladem experta, discerpitur. Itaque fortunæ beneficium, indigenarum inscitia corrumpit. Par insania, eademque sævitia, in monumenta, ut ita dicam, majorum gentium. Exempla duo adferam admodum luculenta. Alterum est *Theatri* cujusdam *Saguntini*, alterum *Amphiteatri Italicensis*. Tu interim harum pecudum stupiditatem mirare,

——— *& crimine ab uno*
Disce omnes.

Extat Sagunti *Theatrum* quoddam bona sui parte superstes. Haberemus autem integerrimum, si per maleficas

Sa-

Saguntinorum manus licuiſſet. Quippe illi monumentum hocce de compacto demoliti ſunt, lapidibus ferè omnibus, quibus exteriùs incruſtabatur, avulſis; cœnobiocuidam, privatiſque domibus extruendis. Nec dubium eſt quin funditùs fuiſſet everſum, ni operis durities & pervicacia ferri inſolentiæ reſtitiſſet. Ei tamen, quantum in me fuit, vitæ lumen aſperſi. Extorſi enim à Saguntinis publicum decretum, quo graviſsima pœna iis indicitur, qui illud cumque igni ferróve violaverint. Porrò illius deſcriptionem elucubravi, quàm potui diligentiſsimè. Quam vir eruditiſsimus *Bernardus Monfalconius Antiquitatis explanatæ* ſyntagmati inſeruit. *Amphitheatrum Italicenſe* cum duriore ſorte conflictatum eſt. Nam cum Hiſpalenſes lapidibus opus haberent ad aggerem murúmque extruendum adverſus vim fluminis, à quo urbi periculum imminebat; publicè decretum eſt, ut *Amphitheatrum* hocce (quod in veteris Italicæ veſtigio adhuc exſtabat, pulcherrimum me-hercules atque integerrimum) funditùs ſubrueretur: allatis eò tormentis, ac ſuffoſis ſcrobibus pyrio pulveri admittendo. quo tota illa compages proſterneretur. quod egregiè factum. Nec tamen eventus eorum diritati plenè reſpondit, obſiſtente veteri ſtructura, quodam perdurandi amore. Bene ſit Bæti, qui primo ſtatim inſultu nefarium illud opus diruit disjecítque. Ejus tamen *Amphitheatri* faciem ſuperſtitem, unà cum ichnographia, ad clariſsimum *Monfalconium* miſimus, qui ea in eximio ſuo opere edidit. Hinc facile agnoſces quantam cladem experti fuerint inſcripti lapides. Credunt enim vulgò, avita quadam ſuperſtitione, priſcis illis characteribus illigatos eſſe tetros quoſdam ſpiritus, vel defoſſæ pecuniæ tuendæ, vel alia de cauſſa. Rem lepidam tibi narro, quæ Hiſpali mihi accidit. Erat vetus quædam Inſcriptio in angulo ædium *Ducis Alcalæi*: ſat quidem illa longa, & quæ multorum verſuum ſerie hominem Antiquitatis ſtudioſum vehementer allexerat. Sed vel lapidum, vel fabrilis upupæ ictibus, adeò lacera atque

que attrita , ut de ea extricanda oppidò quàm diffidere n. Tamen etiam, negotium cuidam dedi, uti uda ſpongia literarum ductus quàm diligentiſsimè detergeret. Injecit primùm ea res ſtuporem ſpectantibus. Deinde cùm contenebraſſet, face accenſa ad lapidem acceſsi. Expertus enim ſum, tam numiſmata quàm inſcriptiones, admoto lucernæ lumine , obliterata illa veſtigia clariùs oſtendere : propterea quòd illa vegetiore lumine icta , ope denſioris umbræ vividius exſtent atque emineant. Fit concurſus prætereuntium. Quidam rei novitate velut attoniti, ìmmoti ſtabant. Alii operam noſtram irridebant, tamquam inanem ac futilem. Alii denique me theſaurum excantare ſeriò exiſtimabant. Quid plura? Die poſtera per totam urbem ſermo diditus eſt, *Alonenſem Decanum* theſaurum quemdam , arcanis quibuſdam carminibus excantatum , eruere. Vidiſtin' homines magis aſinos? Eſt præterea quod rideas. da operam. Extat inſcriptio quædam Hiſpali, ſanè integerrima, ad oſtium ſepulchreti, quod templo maximo adhæret. Eam ut tranſcriberem eò me deportavi. Cùmque jam palimpſeſtum ac ſtilum in manibus haberem , tamquam ad novum aliquod ſpectaculum , ſacerdotes , cæterique fani miniſtri , glomeratim conveniunt. Fortè enim tum temporis ſacra peragebantur. Caperare illi frontem præ ſtupore , mirari confidentiam noſtram, vel, ſi mavelis, ſolertiam: quod ea enodanda ſuſcepiſſem, quæ nemo mortalium (ut ipſi ajebant) ad eam uſque diem extricare potuiſſet. Erat autem inſcriptio (ride ſi ſapis) grandiore charactere & quadrato, & quidem elegantiſsimo , exarata : utpote *Hadriani* tempore. Sed negotium illis faceſſebant compendia illa verborum. Itaque ut nos viderunt feliciter operâ illâ defunctos, peritiæ noſtræ applaudere ; nóſque prædicare vel *Ædipo* ipſo ſagaciores. Hæc eò præmiſimus ut intelligas quo in ſtatu ſint Humaniores hæ literæ in Hiſpania. Scatent omnia ejuſmodi epigrammatis, & quotidie eruuntur: pluresque adhuc ſupereſſent, niſi effodientium ſtupiditate

peri-

perirent. Per proxima bella, cùm eruditi quidam Angli Tarraconenſem agrum diligentiùs luſtraſſent ; magnam inſcriptorum lapidum vim duabus onerariis impoſitam, in Magonis portum miſerunt, ut inde in Angliam avehe-rentur. Etiam in Galliam nonnihil abductum. Etſi autem hujuſmodi inſcriptiones per univerſam Hiſpaniam paſsim reperiuntur; frequentius tamen occurrunt in agro Tarra-conenſi ac Celtiberia. Apud Edetanos in agro Saguntino atque oppidis circumjacentibus. Præſertim autem in u-niverſa Bætica. Quæ regio inter omnes Hiſpanienſes ſo-li ubertate , ac felici ingeniorum proventu, habebatur eximia. Nec ulla eſt quam Romani exercitus magis con-triverint; vel quæ magis exercuerit Romanum militem. Nulla tamen re felicior (ut mea fert) quàm *Plinii Secundi* præſentia, qui P.Romani procurator diu in ea verſatus eſt, cum maximo Bæticæ gloriæ incremento. Habemus enim ejus regionis topographiam ab eo accuratiſsimè ſcriptam. quam diligentiam in reliqua Hiſpania minimè adhibuit. Sed ſaltuatim, ac veluti feſtinanter,percurrit. Multa quo-que extant in Gallæcia ſcripta monumenta. Apud Vaſ-cones & Cantabros non adeò multa; propterea quòd eæ gentes duriore vitæ genere uſæ fuerint , & togatis mo-ribus minimè congruente. Præſertim Cantabri, qui non niſi ab Octaviano Auguſto, ſerò tandem, & vix quidem, in poteſtatem redacti. Hiſpanienſes inſcriptiones exaratæ fere ſunt in lapide vernaculo , marmore quidem aliquan-to obſcuriore, ſed ſolidiſsimo , cœlique injuriis ſuſtinen-dis quám aptiſsimo. Etſi non idem ubique ſaxum ; ſed variat materia pro regionis vel ingenio vel copia. Oc-currunt etiam inſcripta marmora: quæ non dubito olim apud nos eruta. Certum enim eſt magnam eſſe hodie in Hiſpania marmoris copiam ; itémque iaſpidis , cryſtalli foſsilis , ac cujuſdam lapidis, quam aurea ſcobe, ſive ra-mentis , aſperſum dixeris : ex quo menſæ fiunt citrinis longè nobiliores. Effoditur etiam genus quoddam mar-moris nitidiſsimi ac pellucidi, ſimile illi quod nobis ex-

hi-

hibet Romæ elegantiſsimus ille *Meleager* in ædibus *Picinorum*. Immo longè *diaphaneſteron*: illique ſimillimum, ex quo *Nero Fortunæ Sejæ* templum conſtruxit, auctore *Plinio*. Cui lapidi, in Cappadocia reperto, nomen erat *Pheggite*.

Quæris à me, mi *Maffei*, num Inſcriptiones illæ Hiſpanienſes à *Grutero* editæ, adhuc ſuperſint ? Neque id tantummodo; ſed, num univerſæ, num aliquæ? Serione id dicis, an joco? Quî enim id ſcire poſſumus, niſi adito Trophonii antro, aut conſulta quercu Dodonæa? Majore etiam difficultate laborat id quod ſubjungis. Ecquis reperiatur vir doctus, qui editas Inſcriptiones cum ipſis lapidibus conferendi negotium in ſe recipiat? Papæ! Unus aliquis? Non, vel ſi trecentos adhibeas, huic rei ſuffecturos arbitror. Porrò, ſi unus aliquis (uſus enim es hoc verbo) quo viatico? cujus impenſis? quibus viribus? quo annorum ſpatio? Vix enim toto vitæ curriculo hæc aliquis ſummo cum labore conficere poſsit. Ad hæc, unde eruemus virum hunc rei antiquariæ gnarum, quem huic provinciæ præficiamus? Noſtratibus enim haud magis iſta conveniunt, quàm bovi clitellæ, aut feli *crocotos*. Itaque, mitte iſtas nugas, & ægri ſomnia. Quis primus vetera epigrammata publicæ luci commiſerit, non ſalis habeo compertum. *Scottus* & *Strada* illi ipſi ſunt aliis editis monumentis clari. Eorum tamen ſchedas nemo, quod ſciam, vidit, præter *Gruterum*. Sed quid id refert? fideliſsimæ quidem illæ: nec aliquis unquam eas mendacii inſimulavit. *Morales* & *Reſendius* eas protulere, quæ ad hiſtoriæ fidem adſtruendam pertinebant. Scripſit enim uterque res Hiſpanicas. Sed *Morali* (etſi viro naris emunctiſsimæ, acerrimique judicii) impoſuerunt ſæpe inſcriptiones illæ ſubventaneæ atque hypenemiæ, quibus veritati bellum indixerunt *Cyriacus Anconitanus*, *Janus Camers*, *Annius Viterbienſis*. Flagitia hominum, non homines, & ſerendis figmentis nata monſtra. Cùm Hiſpali agerem, codicem

quen-

quèndam M. S. ad me venum attulerunt. In eò codice nihil continebatur præter veteres Inſcriptiones. Sed *anonymos* planè erat atque *adeſpotos*, nec manu ſatis docta exaratus. Quare, etſi vili emere potuiſſem; nolui tamen abuti pecunia. Quod ſcire aves, num, quemadmodum in Italia, etiam in Hiſpania, nova in dies eruantur inſcripta ſaxa? Eruuntur ſanè. Sed partim in antiquas tenebras redeunt, partim neglecta jacent & ingloria. Cauſſa duplex, ſuperſtitio & ignorantia. Iis auctoribus ſumma obſcuritate laborant res Hiſpanicæ. Obſcuritate tantùm? immo commentitiis narrationibus & anilibus fabulis. Quid enim impollutum reliquerunt impudentiſsimi illi nebulones, qui perſonam ſibi impoſuerunt, *Flavii Dextri*, *M. Maximi*, *Luitprandi*, *Helecæ*, *Auberti Hiſpalenſis*, *A. Hali*, aliique hujus furfuris. Qui ut mendacia ſua hominibus bardis fide lapidum obtruderent, inſcriptionum monſtra commenti ſunt. Unde tot in iis nugæ earúmque ſubleſta fides. Ego tamen, pertinaci meo ſtudio ac labore, ultra quadringentas colligere potui, partim ex ipſis autoglyphis à me exſcriptas *autocheiri*, partim ex idoneis auctoribus, qui poſt *Gruterum* eas in lucem ediderunt. Quippe ego ad illuſtrandas res patrias & ſpem & animos aliquando erexeram. cui rei eas copias paraveram. Sed fregit acrem illum impetum malus quidam Hiſpaniæ genius. Facultates enim noſtræ exiguæ, procerum opes inertes; eæque temporum acerbitate attritæ. Erat autem res ſumptuoſa quam parabamus. Quo ergo viatico Hiſpaniam omnem peragrarem? antiqua luſtrarem rudera? neglectos verſarer cineres? Nempe regio. Id unum ſupereſt. Fortaſſe id impetraremus ab optimo Principe, ſi eſſent qui ejus auſpicia ſolicitarent. Sed vides nodum, in quo ſolvendo plus ſit negotii quam in Gordiano. Ergo dormiamus in utramque, & altum ſtertamus: quando ad id unum aliena ope non indigemus. Vel, tamquam citharœdus ille *anacroatos*, cùm aliis non poſsi-

mus, nobis canamus. Respondi ad singula, utìnam satis congruè. Scribebam enim hæc in villa agri Alonensis, quo rusticatum me contuleram eludendo urbano æstui. Nec quicquam erat apud me librorum. Quare, si minus hæc tibi arriserint, (quod valde vereor) & ab homine Hispano scripta cogita, & librorum ope destituto. Illustrissimum virum *Carolum Rinuccinum* salvere jubeo. Item *Bonarotam*, antiquariorum longè præstantissimum. A quo si *Vitrea fracta* impetravero, ingentem thesaurum me potitum existimabo. Nondum enim legi. Fodica igitur illi latus, & hanc rem confice. Nosque redama, & vale. E villa Popiliana agri Alonensis XVI. kal. Quintileis an. MDCCXXII.

(1) *Habemus infandum exemplum in* Joanne Celaya *Valentino, Doctore Theologo Parisiensi, & perpetuo Valentinæ Academiæ Rectore; qui præposiera pietate obtinuit a seviris Valentinis,* Petro Joanne Nunnesio *eruditissimo viro multum reclamante, ut quam plurimæ Romanorum inscriptiones defoderentur in cœmenta magnifici Pontis montani* (*vulgo* de Serranos) *qui forte tunc construebatur. Hic est* Joannes *ille, non* Salaya, *ut scribunt nonnulli; sed* Celaya, *cum ita ipse se subscripserit in Dedicationibus & Prologis suis, uti optime animadvertit* Rodrigetius, *quem præpostere descripsit* Ortinus. *Alterum exemplum habemus in patria mea Oliva, juxta quam cum esset Franciscanorum cœnobium* D. Mariæ *cognomento* Pineæ *consecratum, multorum virorum sanctimonia atque doctrina clarissimum, multisque inscriptionibus* Helica *eò transportatis nobilissimum, cum terra mota esset ante annos centum & triginta, aut circiter, ruere cœperunt parietes, eosque studio degendi in loco Olivæ contiguo, fratres omnino diruerunt, nulla inscriptionum cura, quæ inter ruinas jacent, nulla præterea spe, ut sol iterum illustret tam egregia antiquitatis monumenta, cum nunc sacellum reædificetur supra illas ruinas.* *Greg. Majansius.*

XXIV. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, amico suo, S.D.*

MIrum in modum oblectasti me tam luculenta liberalitatis tuæ significatione. Literas, quas ad *Maffeum* dedisti, accepi, legi, perlegi. Quanta jucunditate non possum dicere. Nec dicerem, si possem. Adeo me male habent, quæ de *Josepho* nostro scripsisti. Quid ais, *Emma-*

nuel

nuel chariſsime? Ergo tuus ille obſervator a via deflectit! Ergo probus ille adoleſcens negligere incœptat officium ſuum! O malum genium qui eum exagitat! De tam probo adoleſcente vix tale crederem. Scripſi ad eum diligentiſsime, mirari me quid eſſe poſsit, quod de illius ſalute perquam ſollicite rogaris me. Atque nactus inde occaſionem ipſius deſidiæ reprehendendæ, amicis quidem, ſed aculeatis verbis, ejuſdem imprudentiam caſtigavi. Graviter eum admonui, quantum debeat tibi. Te conſiliis officiiſque alterum ei parentem eſſe. In ſua manu repoſitum, eadem poſthac promereri. Colat te, revereatur. Denique adlaboravi quantum potui, ut intelligat, ſua ſolius intereſſe, morem tibi in omnibus gerere. Et quoniam morbi cognitio principium eſt ſanitatis, amantiſsime cauſſam quæſivi (ſi qua eſſe poteſt) prætermiſsi officii. Ecquis ſcit conſilione, an incogitantia, an valetudinis cauſſa (quod abſit) ſcribere deſierit? Multa latere nos poſſunt quæ ſi ejus incuriam non excuſent, at certe veniam mereantur. Dicam libere, & ut tu cupis tecum agi. *Joſephus* noſter vult proficere. Hoc habeto certiſsimum. Id tamen ipſe per ſe ſolum præſtare nequit. Indiget aliquo *Achate* qui ſtudium ejus dirigat, difficultates expediat, complanet viam. Tametſi enim ipſe optimo judicio eſt præditus, deſtitutus eſt iis artibus, quibus id aſſequi poſſet ſine alio duce. Te abſente, non ita magna Latinæ linguæ cognitione, in Philoſophiam detruſus eſt. Humaniorum literarum eſt rudis, quæ tantopere conducunt ad Juriſprudentiam. Neminem habet Salmanticæ, qui explicare, quæ ipſe ignoret, aut velit, aut ſciat. Quid quæſo faciet bonus adoleſcens? Vide ne cum tui cœperit obliviſci, jam pridem ſe ipſum oderit. Conſidera num hac via pertentet, ut illis terris jubeas excedere. Verum hæc omnia meræ conjecturæ. Cum reſcribet, certius loquemur. Ut ut eſt, tuum id ſtatuere, quod humanitatem tuam magis deceat, & illi ſit convenientius. Deſtituere illum non eſt æquum. De mea in te, & in eum voluntate, hæc habeto. Ante Kal.

Novembris proficiſcar Valentiam. Doctoris inſignia ſuſcipiam. Cathedræ, quæ propediem vacabit, ſubſcribam me competitorem, ut Patris ſpes hoc pacto ſuſtineam. Sive conſequar eam, ſive non, paratam habebis opellam noſtram, ſi fratrem tuum eò mittere volueris. Illi omnia cupio. Tui cauſſa quidvis ſuſcipiam. Interea ægritudinem omnem ab animo amove, & fac (per immortalem Deum) ut athletice valeas. Olivæ XI. Kal. Octobris Anni MDCCXXII.

XXV. *EMMANUEL MARTINUS MAJANSIO SUO, S. D.*

QUando ita tibi viſum eſt, habeto *Sanctiones* noſtras, ſive LEGES, ad Bibliothecam pertinentes. Num tibi viſæ fuerint putidulæ, vel belluiæ, fac dum ex te ſciam. Mihi certè vel ob id unum maximè arrident, quòd ad librorum conſervationem, nitoremque collimant; cujus fui ſemper ad inſaniam ſtudioſus. Etiam tui. Vale. XIII. kal. Februarias an. MDCCXXIII. Alonæ.

LEGES

VOLUMINA EX BIBLIOTHECA NOSTRA COMMODATO ACCEPTA LECTURIS.

SECUNDUM AUSPICIA LATA LICTOR LEGE AGITO IN LEGIRUPIONEM.

MAS VEL FOEMINA FUAS, HAC TIBI LEGE CODICIS ISTIUS USU NON INTERDICIMUS.

I.

HUNC NE MANCIPIUM DUCITO : LIBER EST. NE IGITUR NOTIS COMPUNGITO.

II.

NE CAESIM PUNCTIMVE FERITO. HOSTIS NON EST.

III.

LINEOLIS INTUS FORISVE, QUOQUOVERSUM DUCENDIS ABSTINETO.

FO-

IV.
FOLIUM NE FUBIGITO, NE COMPLICATO, NEVE IN RUGAS COGITO.
V.
AD ORAM CONSCRIBILLARE CAVETO.
VI.
ATRAMENTUM ULTRA PRIMUM LAPIDEM EXESTO.
MORI MAVULT QUAM FOEDARI.
VII.
PURAE TANTUM PAPYRI PHILURAM INTERSERITO.
VIII.
ALTERI CLANCULUM PALAMVE NE COMMODATO.
IX.
MUREM, TINEAM, BLATTAM, MUSCAM, FURUNCULUM, ABSTERRETO.
X.
AB AQUA, OLEO, IGNE, SITU, ET ILLUVIE, ARCETO.
XI.
EODEM UTITOR, NON ABUTITOR.
XII.
LEGERE, ET QUÆVIS EXCERPERE, FAS ESTO.
XIII.
PERLECTUM APUD TE PERENNARE NE SINITO.
XIV.
SARTUM TECTUMQUE, PROUT TOLLIS, REDDITO.
XV.
QUI FAXIS; VEL IGNOTUS, AMICORUM ALBO ADSCRIBITOR.
QUI SECUS; VEL NOTUS, ERADETOR.
HAS SIBI, HAS ALIIS PRÆSCRIBIT LEGES,
EMMANUEL MARTINUS.
QUOI PLACENT, ANNUE: QUOI MINUS, QUID TIBI NOSTRA TACTIO EST? FACESSE.

XXVI. *GREG. MAYANSIUS EMMANUELI MARTINO, Decano Alonensi, S. D.*

EXimius es legislator. Abs te latæ Leges ad Bibliothecas pertinentes ſane ſunt quam dignæ, quæ in tertiam decimam tabulam incidantur. Statim agnovi legum vocem, tuamque Dictatoris literarii gravitatem; quam tu tamen temperaſti ſingulari quodam lepôre, ad-

adeo ut ſi condendis legibus deſtinatus *Plautus* fuiſſet, non haberemus lepidiores. Collocari deberent in Bibliothecis omnibus, ad earundem & conſervationem & nitorem. Ego in mea præfigam unde de plano recte legi poſsint. Ob tam gratum munus tibi gratias ago. Vale. Et me tui amantiſsimum redama. Valentiæ in Edetanis IIX. kal. Febr. An. MDCCXXIII.

XXVII. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, Decano Alonenſi, & Muſarum Antiſtiti, S. D.*

QUinque Jureconſultorum fragmenta, quæ ſuperioribus diebus interpretatus fui, ad te mitto. Tùm quia mihi cognitum atque perſpectum eſt, quam gratæ ſint tibi, ejuſmodi reliquiæ: tùm quia operi meo ſingulare pretium accedet ex recognitione tua. Idcircò advolat ad te una cum ſpongia: quam tu tractabis *Ariſtarchi* more, aut tuo potius adverſus me: in iis præſertim in quibus primus egomet mihi dux fui. Scis quanti faciam judicium tuum. Adeò ut unus exiſtas in cujus verba jurare non dubitavero. Tuam ergo ſententiam liberè, ac amicè profer. Tunc enim ſtatuam, famæne meæ conducat, opellam hanc domi continere, an foras emittere. Nam ſi noſtrum libellum improbari tibi cognovero, *conſilium tacito corde damnabo meum.* Sin aliquantulum placere tibi intellexero, audacter in lucem edam. Et poſtea

Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſsit, obtrectet licet.

Mihi ſat laudis partum erit, quòd tu probaveris, *dignumque longa judicaris memoria.* Vale. Valentiæ in Edetanis. V. Eidus Martias. Anno MDCCXXIII.

EM-

XXVIII. *EMMANUEL MARTINUS ALONENSIS DECANUS Gregorio Majansio, eximio Jurisconsulto atque ornatissimo adolescenti, S. D.*

CRassi divitias minoris facerem (jurato mihi crede mi *Majansi*) quàm veterum Jurisconsultorum fragmenta, quæ ex oblivionis tenebris extracta, & in publicum protulisti, & aspersisti nitidissima illa luce tuarum commentationum. Di illos capitis perdant, qui levia hæc ducunt, nec satis digna quibus à viro gravi impendatur opera. Næ illi egregiè mihi videntur desipere. Quid enim ex antiquis Jureconsultis proferre possunt præter excerpta? Num ideò quis dixerit operam in iis explanandis malè locatam? Equidem contra sentio. E veterum nimirum scriptis nec voculam prætereundam sine piaculo. Quemadmodum enim in quolibet speculi fragmento rei objectæ integra nobis species repræsentatur, haud aliter in quantulacumque antiqui scriptoris superstite particula, priscæ illius simplicitatis, candoris, puritatis, leporis, venustatis, elegantiæ, imaginem perspicies. Num oleum prodegisse, operamque lusisse, censendi sunt *Pardulphus Pratejus*, & *Samuel Petitus*, qui *Draconis* & *Solonis* Leges, per omnes latebras perquisitas, atque è tenebris situque erutas insano labore, miroque ordine, rerumque nexu digesserunt? Atqui ea, fragmenta quidem sunt & disjecta membra, quæ per obliterata penè vestigia sagax diligentia deprehendit. Num *Ursinus*, aliique exsibilandi, qui *Leges Regias* summo studio hinc inde collectas ad posteros transmisere? Quid referam de xii. tabulis, in quibus coagmentandis, exasciandis, poliendis, *Gothofredi* junioris diligentia tantopere commendatur? *Gravinæ* item, viri gravissimi, dumque in vivis ageret omnibus officiis nobis conjunctissimi, qui ea ipsa fragmenta sibi exemit enucleanda? Quid utilius aut illustrius fragmento

illo

illo Senatuſconſulti, quod *Regiæ Legis* nomine profertur? quod nobis per fraudem *Tribonianus* obtruſit, ut Principi ſuo viam ſterneret ad Regiam dominationem, triplici illa poteſtate; conſulari nimirum, ſenatoria, ac populari, quæ recens creato imperatori tribuebatur? Qui verè cardo regiæ majeſtatis. Nec ſuboluit dolus, donec tabula ænea, ab *Antonio Auguſtino* & *Jano Grutero* edita, fucum nobis aperuit, ac ſubdolam *Triboniani* interpretationem. Cujus pravi animi perverſitas, & blandiendi libido, majorem Reipublicæ plagam inflixit, quam *Cæſaris* & *Pompeii* diſsidium, triumvirales proſcriptiones, legionum protervia, ac prætorianarum cohortium inſolentia. Quis enim dubitaſſet, tanto viro præeunte, quin univerſæ Reipublicæ copiæ, triplexque illa poteſtas, quæ illi erat inſtar ſanguinis, in imperatorem translatæ fuiſſent, gladio ſponte in libertatis jugulum adacto? Et tamen longè aliter ſe res habet. Non enim Princeps opes illas facultateſque à Senatu avulſas in ſe transferebat; ſed cum illo habebat communes, veluti cum univerſo corpore. Cujus rei luculenta extant exempla in Romana hiſtoria, ubi videmus Principes nonnunquam à Senatu hoſtes judicatos, imperio dejectos, milites, urbes, provincias, ſacramento ſolutas. Quæ omnia indicia ſunt illibatæ poteſtatis. Quas *Pekio* habebimus gratias, qui *Leges Nauticas*, & *Jus navale Rhodiorum*, è veterum reliquiis hac illac diſperſis, collegit concinnavitque? Qua igitur fronte diligentiam tuam carpent *Thraſones* iſti (ſi qui forte erunt) & inania tintinnabula? quibus vel ovum hypenemium parere, nec ab ingenio tributum eſt unquam, nec à natura. Tu illos, ſi me audies, non pluris facies quam Aquila Thripas. Utinam eſſent qui idem ſtudium impenderent in reliquiis ſeorſum colligendis & illuſtrandis *Balſamonis*, *Stephani*, *Nicæi*, *Talelæi*, *Euſtachii*, aliorumque, qui in *Baſilicorum* libros incubuerunt. Infinita penè occurrunt eorum exempla, qui vetuſtorum ſcriptorum fragmenta, vel ignota

antea vel neglecta , ſumma cum laude collegerunt , in iiſque exornandis , cum incredibili doctorum hominum plauſu , reique literariæ commodo , verſati ſunt. à quibus recenſendis conſultò abſtinemus , ne extra chorum ſaltare videamur. At reliquiæ quidem ſunt pertenues perque exiguæ, quas tu illuſtrandas ſuſcepiſti. Sanè verò. Eò arbitror majorem te à nobis initurum gratiam. Notiora etenim monumenta cum in omnium oculos incurrant , propria mole ſuſtinentur atque perennant. Quæ verò ſemel occurrunt ; cùm exiguitate ſua maximè laborant , tùm incautos legentium animos fallunt ſæpiſsimè. Porrò , fragmentorum exilitatem aut copiam , metirine debemus à verborum circuitione atque complexu , an à doctrinæ ſucco , & orationis ſanguine ? Si poſtremum hocce (quod neminem inficiaturum credo) num aridum & exangue cuiquam videatur quod à *P. Rutilio* definitur , ligna & carbones penoris legato contineri ? Num leve aut exile quod *Q. Cornelius* aſſeruit; palos, perticas , raſtros , ligones , in vineæ inſtrumento contineri ? Idem dicendum de *Rutilii Maximi* & *Campani* fragmentis. Excellit autem præſtantiſsimum illud uberrimumque *Tarruntii Paterni* , in quo ii recenſentur, quibus conditio graviorum munerum vacationem tribuit. Quid eo elegantius ? Quid doctius ? Quid plenius Romano ſanguine ? Sed eſto. Sint ea quidem exigua & levia. Ciccum non intereſt. Tu enim ſingulari tua eruditione , eximiaque doctrina , agrum illum , quantumvis ſterilem , ita excoluiſti ; ut Theſſalica tempe amœnitate ſua longe ſuperaverit. Fac igitur ut inanes iſtas umbras contemnas , & caſſa terriculamenta. Noſque ama , & vale. XII. Kal. Aprileis anni MDCCXXIII. Alonæ.

GREGORII MAJANSII,

GENEROSI, ET ANTECESSORIS VALENTINI,

EPISTOLARUM LIBER II.

1. *CHRISTO JESU SAPIENTIÆ FONTI GREGORIUS Majansius Æ. F. G.*

RESTITUO tibi, *Jesu* dulcissime, hos Commentariolos, quos ad quinque Jureconsultorum Fragmenta, te favente, conscripsi. Si quid à me elucubratum est, quod legi mereatur, id omne tuum est. Mihi nihil possum vindicare, nisi bonorum à te, largitor beneficientissime, acceptorum corruptissimum abusum, quem posthac correctum & omninò sublatum cupio. Et *ut* me velis constantissimè permanere in hoc proposito mirum in modum abs te oro. Accipe igitur cum his libellis hæc vota mea. Perque tuum caput sapientissimum, per *Patris* tui omnipotentissimam dexteram, per ineffabilem tui *Sancti Spiritus* amorem, fac obsecro, ut hæc mea voluntas rata sit, atque perennis. In te vive: & æternum triumpha.

II. *PROLOQUIUM PRÆFIXUM QUINQUE JURE-consultorum Commentariis.*

ANtequam opus novum nuncietur mihi, exponam breviter consilium meum scribendi, & scripta publicandi, ut recte possit cognosci, quo jure, quave fiducia id faciam. Ego, cum in perilluſtri Academia Valentina juris docendi facultatem adeptus essem, & mihi procul a foro reliquam ætatem habendam decreviſſem, non fuit consilium socordiâ atque desidiâ bonum otium conterere, & aversioni meæ adversus strepitum forensem, inertiæ nomen parare: sed audacter eam insequi viam, qua incitato animi motu ducebar, ad Jurisprudentiam excolendam. Quamobrem statim ac animadverti studii mei sterilitatem, existimavi adhibendam scriptionis culturam, per quam & mihi nunc honesta esset oblectatio, & legum etiam studiosis aliqui fructus induſtriæ meæ. Itaque cœpi cogitare, quid ex jure potiſsimum perttractarem. Diu multumque dubitandi tandem animo insedit interpretatio aliquorum ex Jureconsultis, qui, aut nimis neglecti, aut parum noti (immeritò profectò) videbantur. Nam & iste labor ob argumenti selectionem gloriosus mihi, & amplificandæ Jurisprudentiæ non inutilis. Jureconsulti sunt: *P. Rutilius Rufus*: *Q. Cornelius Maximus*: *Campanus*: & *Tarruntenus Paternus*. Horum brevitas (ne quid disimulem) invitavit me ad commentandum: & suffeciſse videtur ut experiar, quisnam usus esse possit diligentiæ, atque judicii mei. De quibus liberè dicam, quoniam prologi partes hic suscepi. Primum omnium dedi sedulam operam, ut ea (persane pauca) quæ interpretes sparsim scripta reliquerunt, diligenter colligerem, & ut ex antiquitatis notitia lucem afferrem multo quam antea clariorem. Deinde postea quanta potui consideratione abditos Jureconsultorum sensus perscrutatus fui, verbis singulis affigens mentem. Si quid vidi quod ceterorum oculos fugerit, laus esto laboris, non ingenii mei. Etsi eam, quantulacumque sit, ita despicio, ut cum

in multis locis multa nova ptotulerim : id tamen non ſignificem , niſi ubi lector me comitans longius poſſet aberrare. Et tamen vereor ne mea diſputandi libertas in aliquorum reprehenſionem incurrat: quorundam ſcilicet Palæmonum, qui cum nunquam uti ſoleant judicio ſuo , ægre ferunt quicquam in literis innovari extra ea quæ interpretes tradiderunt , aut ipſi præcipiti ſtudio didiceruut a certis minorum gentium ſcriptoribus, quibus ita deferunt interpretandi ſummam, ut ab eis tanquam Juriſprudentiæ Dictatoribus nullam eſſe velint provocationem. Sed iſtorum hominum autoritas apud me nulla. Nunquam enim aliter ſcribam quam ipſe ſentiam. Sequantur illi quem velint. Ego cum veritate adverſus omnes. Nec eò id dico quòd mihi valde probentur qui novitatis ſeſe profitentur inventores. Quin iſti hoc ſolo nomine mihi ſolent eſſe ſuſpectiſsimi. Et ut aliis ego quoque ſim , quoties aliquid innovem , patienter , imò lubens feram: dummodo præjudicium abſtineant, ut re diligentius inſpectâ melius ſentiant. Magis ego vereor aliorum judicium, qui leges humanas ita putant ſacroſanctas, ut eas attingere nefas ducant. Quid obſecro dicent hi , cum a librariorum incuria nonnullas vindico? Minus opprobrium, audacia ſcribentis. Sed eoſdem rogo, ut aut meliorem afferant intellectum, aut probabili conjecturæ fidem accomodent. Si quis interpretum allegationes deſideret, poterit alibi quærere. Nullam ego adducam niſi neceſſariam. Habeo eruditiſsimorum hominum exemplum: quo exemplo, mihi licere id facere quod illi fecerunt, puto. Sed ſi aliter alius exiſtimaverit, velim ſaltem hanc accipiat excuſationum, mihi properanti otium non fuiſſe ſcriptorum indicibus tranſcribendis. Iſtud negotium otioſis mando: & ad propoſitum interea. Sollertem diligentiam adhibui , ut cuncta quoad poſſem, brevi, puro, & aperto ſermone conſcriberem. In brevitate autem ita laboravi , ut primas ferre contenderim. Tempus eſt inæſtimabile. Et ſtudioſorum utilitatem gravi-

viter (opinor) impedit, quiſquis eos moratur ſermone ſupervacaneo. Præterea, ſi hominum ingenia bene novi, maxima, quo plus avidiora ſciendi, eo magis brevitatis amantiora: cum per eam, res percipi citius, cognoſci melius, & retineri poſsint tenacius. Scio non paucos judicaturos aliter. Nimirum eos qui non intelligunt, niſi quæ faſtidio quodam inculcata repetuntur. Iſtiuſmodi hominibus ſcripta mea videri ænigmata, & digniſsima quæ inter *Heracliti* tenebras connumerentur, non equidem dolebo. Nam ſi poëtarum interpretibus laudi eſt, eorum ſpiritui proximos accedere, cur ego qui veteres Jureconſultos expono, eam virtutem non affectem, in qua tantopere illi excelluerunt? Liceat mihi meo more loqui. Fas eſto exprimere ingenium meum. Hæc, mi Lector, te monitum volebam. Scripturæ parvitatem ne deſpicias. *Majus opus moveo.* Tu noſtro conatui (ſi laudabilis eſt) fave: ut majorem inde animum ſumam ad Juriſprudentiam (Deo volente) illuſtrandam, in utilitatem tuam. Vale.

III. *GREG. MAJANSIUS THOMÆ VINCENTIO Toſcæ,* (1) *optimo & ſapientiſsimo Viro, S. D.*

PUtabam ego tuarum literarum aſsiduitate paullo facilius me laturum deſiderium tui. Sed cum nullas mittas, plane ferre nequeo. Si oblivione mei ſcribere deſineres, infelicitatem meam conquererer, ac in tuam memoriam revocarem perpetuam obſervantiam tui, & egregia tua merita erga me: quorum recordatio ſaltem deberet efficere ut in me redamando conſtans eſſes. Uno verſiculo me eximes ab hac ſollicitudine, uno verbulo. Scribe quomodo valeas: quidque agas. Atque tibi perſuade, non eſſe mihi meam ſalutem tua cariorem. Vale. Olivæ v. kal. Auguſtas Anni MDCCXVIII.

(1) *Hic eſt* Thomas Vincentius Toſca *Valentinus, Doctor Theologus, Pres-*

Presbyter Congregationis D. Philippi Nerii, & eidem Præpositus, Academiæ Valentinæ semel iterumque Pro-Rector, qui præter Compendium Mathematicum, & Philosophicum, *quorum alibi memini, anno* 1704. *exactissima & prope incredibili diligentia repræsentavit Valentinæ Urbis Ichnographiam secundum leges optices: eximæque suæ Tabulæ hanc inscriptionem præfixit.* Valentia Edetanorum, vulgo del Cid, delineata a Doctore Thoma Vincentio Tosca Congregationis Oratorii Presbytero. *Edidit etiam librum sic inscriptum.* Vida i virtudes de la Venerable Madre Sor Josefa Maria de Santa Ines (en el siglo Josefa Albiñana) Religiosa descalza de el egemplarissimo Convento de la Purissima Concepcion de nuestra Señora, de la Villa de Beniganim. Compuesta por &c. En Valencia en la Imprenta de Ant. Bordazár, Año 1715. *Stylus ejus est tenuis, perspicuus, candidulus, ut erat ipse Autor. Scribere incœperat sapientissimus vir* Compendium Theologicum; *& interceſsit mors. Decessit xv. Kal. Majas An. MDCCXXIII. ætatis suæ* 71. *Vir fuit egregii judicii, Philosophus eximius, Mathematicus illustris, magnus Theologus, candoris atque modestiæ pene incomparabilis. Dolendum est, sero incœpisse scribere: habebat enim scribendi facilitatem incredibilem.*

IV. *ERUDITISSIMO VIRO D. GREGORIO MAYANS*
Thomas Vincentius Tosca S. P.

LIteras tuas, easque humanissimas, Vir clarissime, quibus me beare dignatus es, jucundissimo animo accepi, ingentique voluptate legi, perlegi. Quid enim, amabo, mihi jucundius, quid voluptuosius evenire potuit, quam ut amicissimi viri, mihique necessitudinis vinclis admodum conjuncti, memoriam habeam? Meis sane philosophicis elucubrationibus cum incumberem, quæstionesque de Cœlo, Sideribusque animo volverem, ad meas manus epistola tua devenit: nec à Cœlo exinde mentem discessisse putavi; eam enim quasi a nuncio quodam sidereo missam accepi, habuique acceptam. In ea sane facile conspexi, te imbecillitatem meam tuæ mentis bilance appendere voluisse, in qua cum tuæ erga me benevolentiæ ingens pondus ex altera parte adjeceris, mirum certe non est, quin mea merita, paleis cum sint leviora, in oppositа lance locata,

tam

tam alte extuleris. Oppositum sane mihi adfuturum existimo, si te, tuaque laudare voluerim; quantumvis enim cuncta laudum pondera è Rhetorices promptuariis eruta superaddam, numquam satis te, tuaque pro meritis extollam. Sisto calamum. Id tantum enixe rogo, ut me semper tibi addictissimum scias: eo enim me felicius agere putabo, quo me tuum esse omnino reputare volueris. Vale, o dulce decus meum, vale iterum Deo, & Musis. Valentiæ kalend. Augusti. MDCCXVIII.

V. *GREG. MAYANSIUS THOMÆ VINCENTIO Toscæ, sapientissimo Naturæ Interpreti, S. D.*

SErius omnino quam desiderium meum postulabat, ac ego quotidie flagitabam; aliquando tamen ad meas manus venerunt tui de Philosophia libri, qui veram Philosophiæ imaginem ita ob oculos posuerunt, ut vel ipsi *Boetio*, qui eam de facie optimeque novit, nunquam visa fuerit adstitisse pulchrior, ac reverentior. Ubi primum eos accepi, Præfationes omnes (ut meus est mos) percurri diligenter: quæ cum præclaram totius operis idæam animo meo figurassent, mirificum desiderium totius operis legendi ingenerarunt. Dicere facile non possum quam grata mihi atque jucunda fuerit, ingenua illa libertatis assertio, qua res naturales tractaturus judicandi facultatem jure tuo vindicasti. Quid enim indignius humanæ mentis ingenuitati, quam unius opinioni se adstringere, qui quantolibet ingenio atque judicio polleat, alicubi labi necesse est, aut investigantis animi incuria, aut humanæ naturæ vitio, quæ passim prodit imbecillitatem suam? Quo magis doleo detestandum eorum præjudicium, qui cum ad cujuslibet Philosophi sectam se adplicuerunt, quasi tempestate delati ad eam tanquam ad saxum adhæresunt. Horum ego moderationem commendarem, si viribus suis dissi-

al-

alterius dummodo præclari Philoſophi judicium quaſi filum quoddam Ariadnæum in ſuis ſtudiis privatis ſequerentur. Sed cum in publicis diſputationibus, tum maximè ingenioſi ſibi videantur, cum aliorum ſomnia opinioſius delirant; cum libris in lucem editis quædam ingeniorum idola ſibi confingant omnibus adoranda reverenti ſilentio: quis eorum cæcam temeritatem patienter ferat? Jucundiſsima igitur (ut dicebam) mihi fuit tuæ libertatis aſſertio: & magna cum voluptate legi quod in Phyſices præfatione ſcripſiſti, te neminem, imo omnes ſequuturum. Cum enim veritas uſus & temporis filia ſit, neceſſe eſt, aut, ut eam quis non inveniat, ſi in uno tantum quærat, aut facilius inveniat, ſi omnium ſeculorum ingeniis adjutus, cum cura & ſtudio inquirat. Hiſce præclaris præjudiciis excitatus cœpi legère Philoſophiam tuam. Læto hilaroque animo adeuntem accepit me Dialectica: quæ nunquam magis mihi viſa eſt rationis dirigendæ ars, quam cum brevibus, perſpicuis, atque evidentibus præceptis totum ratiocinandi artificium ob oculos poſuit, ſublatis illis ſophiſmatum generibus, quæ infelicibus ingeniis neceſſaria fortaſſe videbuntur; cum tamen iis nihil aliud niſi ridicule fallere fallique diſcatur. Inde ad Metaphyſicam, quam Intentionalem appellas, me contuli: lento fateor greſſu, etiamſi duce Dialectica ſine timore progredi debuiſſem. Nimirum mens reformidabat metaphyſicas illas abſtractiones, & ad ſublimem illum humanæ ſapientiæ verticem vix adrepere audebat. Sed ubi acceſsi ad ipſas quæſtiones, tum demum intellexi, ſcientiam per ſe non magnopere difficilem ipſos Philoſophos impeditiſsimam reddidiſſe, dum nugaciſsimis verbis armati, invicta inter ſe loquacitate plerumque contendunt, de veritate, ut ipſi ajunt, ſubtiliſsimarum quæſtionum, quarum conſtitutio, ſi infantibus ipſis oratione diſerta proponatur, litem de meris vocibus agnoſcent. Itaque maxime probo conſilium tuum, qui aut has tricas deſpicis, aut uno

ver-

verbo declarans, deſpiciendas doces. Unde hæc tua Philoſophia e cœlo delapſa videtur mihi, ut tanquam virgula divina tot deblaterantium diſsidia in concordiam redigat. Sperarem id brevi eventurum, niſi res eſſet contra homines, qui ſcire ſibi videntur: quique plus pugnant præjudiciis, quam certa ratione. Nam ubi illis indicaveris prodiiſſe aliquod opus, quod ab Ariſtotele ejuſque ſchola aliquantulum recedat, ſtatim vociferationibus magnis conclamant ſub ſpecioſa novitate, velut in Epimethei vaſſe magnum malum latere: manuſque jubent abſtinere a talibus libris tanquam peſtifera lue infectis. Hos ego nominem Philoſophos? Imo ſcientiarum omnium peſtilentiſsimos oſſores. Credo ego, ſapientiſsime *Thoma*, hujuſmodi homines inſanabili morbo laborare, cum ipſam medicinam ut maximum malum refugiant: digni prorſus qui cum ſua ſtultitia relinquerentur, ſi piæ mentes pati poſſent, ut diutius in erroribus ſuis perſeverarent. Laudo igitur pietatem tuam, qui rem in Hiſpania multos jam annos deſperatam præclaro conatu adgreſſus es, docens veram Philoſophiam, neque Platonicam, neque Ariſtotelicam eſſe, ſed quæ ſupra mortalium mentes altiſsime poſita exiguiſsimam concedit ſui cognitionem: cui cum propius acceſſerimus, non modo poſt unius Ariſtotelis, ſed innumeros etiam doctiſsimorum hominum labores; minime ſapientes, verum ſapientiæ amatores dici poſſumus. Quam rem illi veram puto faterentur, niſi puderet pigeretque confiteri, ſe nimis ſero incœpiſſe ſapere, & hactenus impoſturam exercuiſſe, dum Ariſtotelem, aut alium quemcumque, Philoſophiæ genium venerati ſunt. Sed ut ad tuam Metaphyſicam redeam, incredibili mentis alacritate incitabar ad indagandam ſubtiliſsimarum quæſtionum veritatem, cum in iis in quibus vidiſſem ceteros tanquam in ſalebris claudicare, cernerem te tam expedite progredi. Multa equidem in ſcriptis tuis admiror, ſubtiliſsimum ingenii acumen, feliciſsimam judicandi

rectitudinem, plura alia quæ neceſſe non eſt enumerare: ſed omnium maxime egregiam illam perſpicuitatem, qua vel rudiſsimus quiſque illuſtratus, graviſsimarum difficultatum finem initio proponendi intelliget, priuſque illas ſolutas, quam ipſarum nodos videbit. Vellem dicere ulterius ea quæ ſentio. Verum hanc moleſtiam nolo tibi exhibere, qui legeres illa invitiſsimus. Hoc unum addam quod te minime offendet: non minus placere mihi diligentiſsimam, quam ubique conſectaris, utilium quæſtionum diſceptationem, quam ſollertem inanium nugarum rejectionem; eodemque pacto tuam prudentiam laudo in illis accurate pertractandis, atque in his deſpiciendis. Quid enim ad ſapientiam conducunt futiles illæ in diem excreſcentes liticulæ *de non entibus*? Quæ oblectatio eſſe poteſt in diſceptandis iis ineptiis (ſi vel hoc nomine ſunt dignæ) que nec judicio ſubjici, nec cognoſci poſſunt? Dolendum certe eſt, eò rem rediiſſe, ut ingenia alioqui egregia in nihilo ſint occupatiſsima: & in eo inveſtigando velut in præclaro naturæ opere tempus & diligentiam deperdere. Hujuſmodi homines ſimiles videntur formicis illis, quæ ex abditis terræ viſceribus aurum effodiunt nulli uſui futurum ſibi, Quamquam illæ ſaltem aliquid agunt, & auri cupiditatem aliquo pacto levare poſſunt. Hi vero Danaidum ſimiles operam inſumunt nec ſibi nec aliis profuturam. O ſeri ſtudiorum! quorum mentibus non ſufficit rerum omnium creatarum ſpeculatio: & in iis quæ non ſunt, ridicule deſipiunt. Certe non miror fuiſſe delirum neſcio quem, qui infinitos mundos confingeret, cum paſsim videamus eſſe qui mentem ſuam ab hujus mundi conſideratione abſtrahant, ut liberius per immenſas illas chimeras evagentur, & ineptias ſuas effutiant ſine ullo fine. Et hæc tamen aliquo pacto ferenda eſſent, ſi fierent in loco, & inanes illæ liticulæ in Metaphyſica ſolum agitarentur. Sed quis æquo animo patiatur totam Philoſophiam his tenebris obnubilatam eſſe, & naturalium

lium quæſtionum difficultates, quibus non niſi lumen accercendum erat, ſtudioſa calligine obſcurari? Mihi ſanè qui ſcientias ita confundunt alterutrum agere videntur, aut ut ſeſe ſciolos oſtentent in iis rebus, quarum ignoratio multo eſſet ſanior; aut ut prodant ſe ignorantiſsimos ejus artis in qua ipſi videntur ſibi magis ingenioſi. An naturalis Philoſophia ita difficultatibus eſt vacua, ut ſit opus eas alibi quærere? Aut ita anguſtis finibus concluditur, ut in iis humana mens nullo pacto poſsit contineri? Vellem hi attentius conſiderarent quam ſint mirabilia naturæ opera; nec difficultates longius quærerent, cum in iis ipſis quas ſingulis momentis videmus, & tangimus, ita ſoleat illa operari, ut cum maxime ſecundum ordinem ſuum procedit, tum præcipue humanæ mentis curioſitatem ſubterfugere videatur. Ergo graviter atque jure merito quereris, doctiſsime *Toſca, ad nauſeam uſque prodire libros, qui entis rationis ultimos apices perſequuntur, quique rerum poſsibilium calculum inire ſtudent; mirabilium vero naturæ effectuum quotidie in oculos incurrentium naturam & cauſſas omnino præterеunt.* Mirarer profecto, hujuſmodi hominum philoſophari conantium nec unam pagellam legi poſſe ſine tædio, niſi viderem eos ſolum intendere, ut inſulſe ingenioſi videantur. Feciſti igitur rem tuo judicio digniſſimam, cum metaphyſicis quæſtionibus diligentiſsime ſuo loco pertractatis, maximam tui operis partem collocaſti in Naturæ operibus inveſtigandis. Cum enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quaſi pabulum ſit conſideratio contemplatioque naturæ, hac potiſsimum oportuit nutriri Philoſophum, quem informandum ſuſcepiſti. Ego de me facio conjecturam. Quoties tuos libros in manus accipio, mirifice ſupra me ipſum erigi videor ad contemplandam ſupremam illam potentiam, quæ in rebus minimis maxima cernitur: & ab his aſcendens per immenſi ſtuporis gradus ad ſupera illa atque cœleſtia, humana cogor deſpicere, & eam glo-

riam prædicare, quam interrupta perpetuaque aſtrorum harmonia, & eloquentiſsima ſtellarum vi enarrant cœli. Hanc ego Philoſophiam non laudem? Tibi gratias non agam? Ago profecto quantas poſſum, & multo majores tibi habeo. Scio equidem collocatam ab exteris laudabilem operam in ejuſmodi philoſophandi ratione. Verum minime dubito affirmare multo feliciorem abs te poſitam eſſe. Nam ceteri quidem, alii antiquitati nimis infenſi, & novitatis gloriola capti turpiter errarunt in rebus notiſsimis: alii dum in novos errores timuerunt incidere, perſeverarunt in priſcis. His ingenium, judicium illis, fere omnibus bonus exitus defuit. Denique licet unus, aut alter docte ſcripſerit, nemo ita, ut ipſius libri Pyrenæorum in Hiſpaniam ingreſſu non ita frigeſcerent, ut pauci attingere auderent; nemo diſputatione publica defendere. Tua vero Philoſophia tam fauſto pede prodiit, ut prælo adhuc premente illam, in Valentina Academia, magno cum plauſu propugnata fuerit: vixque lucem adſpexerit, cum a viris doctis qui te probe norunt, ſummis votis expetita eſt. Nimirum omnes intelligunt, te virum eſſe omni ſcientiarum genere inſtructiſsimum: in Peripatetica vero novaque Philoſophia (ſi nova eſt, quæ renovatur) ita verſatum, ut tanto ſub judice ſine appellatione poſsint finiri tam magnæ lites. Præterea nemo ignorat, te hominem eſſe ea morum integritate, ut facilius cœlum ruiturum ſit, quam doceas quicquam ingenii pertinacia. Quare ſi licet mihi ex tantis rebus conjecturam aliquam facere,

Et reor (& ſi quid veri mens augurat) opto,

Fore te primum & ultimum, qui Hiſpaniæ Academias ad tuam Philoſophandi rationem perducas. Hoc alta voce affirmabo. Is ſolum in fere omnibus tui ſyſtematis partibus non aſſentietur tibi, qui te non leget, aut ſummè pertinax erit. Tanta enim perſpicuitate res omnes demonſtras, ut ante oculos collocare illas videaris. Itaque ego qui exiſtimabam antea negotium eſſe difficillimùm

phi-

philoſophum fieri , nunc confido me futurum quandocumque per occupationes quibus premor, licuerit mihi. Quare pro illa ſpe quam tibi debeo, maximas ago: teque hortarer ut honeſtam miſsionem ab ſtudiis & ſcribendi labore impetrares,& tibi uni conſuleres,niſi te qui maxima feciſti , ad majora natum exiſtimarem. Satis, imo abunde tu quidem ſcripſiſti nominis tui immortalitati , quam te non cogitaſſe certo ſcio ; adde etiam Valentinæ gentis gloriæ , quam multum amplificaſti : at quod maximum eſt , reipublicæ Chriſtianæ utilitati , cui tota vita inſudaſti , & omnium conſenſu contuliſti plurimum , certe parum , ſi reſpicis quantum debes. Nunc omnium vota ſtudioſorumque utilitas poſtulat , ut quemadmodum in Matheſi, & Philoſophia perfeciſti ; ſic univerſam Theologiam in epitomen redigas. Hæc , mihi crede , tibi reliqua pars eſt : hic reſtat actus : in hoc elaborandum eſt, ut rempublicam literariam conſtituas. Hoc ſi præſtiteris (quod difficile tibi non erit) egregie reſtitues Deo opt. max. præclariſsimas ſcribendi dotes , quas ab ipſo accepiſti. Interea *Jeſus Chriſtus* qui Mundo attulit veram pacem , perpetuam faciat cordis tui tranquillitatem. Vale. Salmanticæ XIII.Kal Januarias Anni MDCCXXIII.

VI. *ERUDITISSIMO VIRO D. GREGORIO MAJANſio Thomas Vincentius Toſca S. P.*

QUam gratæ, quam jucundæ mihi fuerint litteræ, quibus me beare dignatus es (Vir præſtantiſsime) vix auſim dicere : tuam ſiquidem in omni re litteraria eruditionem , & erga me benevolentiam apertè teſtatam faciunt. Id inſuper mihi maximè gratulor, quod opus Philoſophicum nuper a me luci mandatum , vix e prælo natum , in tuas manus feſtinarit: & quidem plurimùm fortunatè ; ipſum enim non modò oculis luſtrare, verùm & doctiſsimis ad me miſsis litteris illuſtrare voluiſ-

luisti. Quid enim mihi optabilius evenire potuit, quam a Doctissimo viro meum quantulumcumque opus probari? Vellem tamen (pace tua dixerim) te affectum erga me tuum tantillùm saltem moderari, ut opus meum a te castigari, ac corrigi mereretur: inde enim, & ipsum de tuo valdè diteſceret; meque iterum tibi devinctum, & obstrictum redderes. Integram præterea Theologiam, quemadmodum jam Mathesin, & Philosophiam, in Epitomen redigere, jam olim in votis habui; verùm id modò non parum reddunt difficile, non solum Instituti mei observantia, ac negotiorum occurrentium frequentia, sed etiam ætas longæva; septuagenarius enim sum. In hoc tamen & in cunctis, quantum suppetant vires, tibi morem gerere cupio; me siquidem tuum omnino profiteor, ac constantissimæ necessitudinis nomine semper reputabo. Vale, Amice suavissime, ac mei memor vive. Valentiæ octavo Idus Januarii, Anno MDCCXXII.

VII. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO EMMANUELI Mignanæ doctissimo viro, S.D.*

QUid ego lego, eruditissime *Mignana*? Serio dicis hæc tu? Nempe inde me incipere, quò pauci tandem perveniunt, brevique adepturum non mediocrem eloquientiæ laudem? Utinam, utinam. Sed quando te loqui profiteris ex animi sententia, ridicula mitte. Ego laudes hujusmodi, non judicium, sed studium potius in me, ac humanitatem interpretor. Nec me fugit literas dediſſe te ad hominem, ut optime sciebas, mei amantissimum, cujus amicitiæ voluisti concedere aliquid. Itaque amotis iis quæ per jocum scripsisti, majores tibi gratias ago propter id quod serio addidisti in Epistola mea verbulum unum reperiri minus Latinum. Quid præterea expungis? Nihil præter unum verbum? Ergo ego plusquam putaram progressus sum. Neque cre-

de-

dere unquam id auderem, nisi tu homo subactissimi judicii ad tuam sententiam me pertraheres : dum enim solum reprehendis unum verbum, *optimate* scilicet (quod tamen ego apud *Ciceronem* in singularis numeri casibus obliquis legisse memini) cetera probare videris. Nunc mihi maxime places, eruditissime vir. Perge me reprehendere. Has quas exaro literas corrige sis. Esto meus *Aristarchus*. Dabo sedulam operam, ne frustra videar agnovisse errores meos. In posterum autem, si veram a me gratiam inire cupis, recta me mone; & quæcumque scripsero, castiga liberius severiusque, ut a te plus discam, tuamque in me benevolentiam magis agnoscam. Bene vale, vir doctissime, & cura rem literariam, quod facis. Salmauticæ, pridie Kalendas Februarias Anni MDCCXXII.

VIII. *J. EMMANUEL MIGNANA GREGORIO MAJANSIO, nobili adolescenti ac studioso*, eydaimonestata diagein.

MIrabar hoc si sic abiret. Hic amicus tuus, vel potius meus, amore desipuit, vir cæterá bonus, doctus, & prudens. qui putans aliquid esse meas nugas, eas ad te continuò. Id mihi molestum adeò, ut illi irascerer, si possem. Scito igitur, schedulam, quam tu literas appellas, ut in majus extollas, dedisse me subitò scriptam, ut ei morem gererem, cujus caussâ omnia cupio. Haud tamen venit in mentem, ad te illam transmittendam, emunctissimæ naris hominem. Verùm, quando ita res tulit, per mihi suassum habeo, iis oblectasse te quisquiliis, & complosis manibus risisse suaviter. deinde, ubi splen detumuit, quâ tu es prudentiâ, mutâsse personam, & epistolam ad me plenam officii, humanitatis, benivolentiæ. Hæc utcumque, grata mihi ac perjucunda. Videsis quanta sit mea facilitas, & ingenium mite. Quod autem à me requiris de tuarum stylo literarum, facis profectò ex indole tua. Sed ne ego *Theoninum* dentem

ex-

excerceam ; vetor earum elegantiâ , quæ mihi misero omnes excusit. Aufer , inquis , cavillam. Non vicem rependo , mi *Majansi* , nec jocò , aut eironicos ; sed seriò ac vero voltu à me dictum. Dispeream , si quicquam legi unquam nec venustius nec elegantius. Papæ ! Nihil hîc *Aristarchus* quod *obelizei*. Hoc mihi velim vehementer credas , longo post te intervallo relicturum æquales tuos , si pergas esse *philellen*. quod per ego te Divos omnes oro atque obsecro. atque interim cum Musis oblecta te quàm bellissimè. & si quæ sunt ingenioli nostri vires , quibus tua possim juvare studia , iis utere, imò abutere. Vale atque salve carissimum mihi caput, meque tui amantem redama. Valentiæ in Edetanis IV. Idus Februarii. an. MDCCXXII.

IX. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO EMMANUELI Mignanæ amico suo egregio, S. D.*

SImul ac Salmanticæ accepi nuncium tristissimum, prope conclamatam esse matrem meam , qua nihil in hac vita mihi charius est ; rhedam conscendi , & quam maximis itineribus potui, Olivam perveni. Ut eam vidi , perii. Inveni tabidam præ nimio mei desiderio, vigiliis & inedia prope consumtam , vix ossibus hærentem; mœstissimum Patrem; lugentes fratres. Nullum unquam spectaculum vidi tristius. Veniebam quidem animo (ut in talibus casibus) ægerrimo. Sed ut matrem dilectissimam adeo male habitam vidi , multo major ægritudo atque mœstitia meum animum incessit. Illa tamen ad conspectum amplexumque nostrum summe gavisa est , & ut solent lychni jam prope extincti , cum infunditur oleum , veluti reviviscere cœpit. Deus opem afferat , & te servet incolumem. Olivæ , Nonis Juliis Anni MDCCXXII.

X. J. EMMANUEL MIGNANA GREGORIO MAJANSIO, *ſtudioſæ Juventutis Principi, S. P. D.*

ACcepi literas tuas mœroris plenas, quibus ſignificabas cariſsimæ matris tuæ valetudinem & cauſſam: & ut alia nobis accederet dolendi, redditæ ſunt illæ ſeriùs quàm oportuit, quocircà in tempore occurrere non potui dolori tuo, quibus debui, humanitatis officiis. Etſi, ut verum fatear, vix mihi tui conſolandi ſuppetit copia. Ægreſco, mi *Majanſi*, ego quoque. at quam ægritudinem, ſi rogas, neſcio. Ab animo an à corpore principium mali nondum habeo exploratum. Nec conſueta remedia ſunt uſui hoc tempore. Tædet me etiam librorum, tædet & horum hominum, paucorum me, ſi benè nôſti. Unde eſt ut requiram abs te potiùs amici hominis officia, quàm in te conſolando impendam. Utcumque tamen affectus, erigam mentem, ne in tanta calamitate deſideres humanitatem meam, qui tuâ cauſsâ omnia cupio. Quænam ſit materni amoris impotentia, cognôſſe te ex auctoribus, & nunc demùm experimento ſat ſcio. Iccircò tui deſiderio, quod diutius ferre non potuit, in id diſcrimen adductam fœminam Lectiſsiman ne mirêre; perpende potiùs quantum illi debeas, quæ tui deſiderio tantùm non extabuit: ut vel inde diſcas filii officia adverſus matrem tui flagrantiſsimam. O te beatum terque quaterque! Cui à à Divis datum frui blandimentis matris indulgentiſsimæ. Me miſerum, qui vix novennis amiſi cum matre ſolatium omne. Extorris domo exegi pueritiam duriſsimè. Ubi exceſsi ex ephebis Italiæ extrema attigi & *Cyclopum* regna. quodque gravius, ſolus, omnium egens, inter mille pericula & ærumnas. Sed quò me rapit inanis rerum recordatio? Redeo in viam. Quibus te doloris aculeis fuiſſe circumventum, triſti nuncio de matris valetudine accepto, quòd amore tui æſtuans in ſalutis diſ-

crimine ea verſaretur; pater in luctu, tota domus deſolata, dicere non attinet. Advolâſti demùm, ac petaſatus irrupiſti in cubiculum. Salvum te adveniſſe gaviſa eſt quantum dici non pote. Te complexa arctiſsimè oculos diſſuaviavit, adjungens illud, quod dici ſolet, *Zoe mou pſyche mou* mea lux, reddidiſti animam, atque alia talia quàm blandè, manantibus utriſque præ gaudio interim lacrymis. Recreata tuo conſpectu jucundiſsimo meliuſculè habere cœpit. Dî boni! quanta inde tibi lætitia! Undè ſpero brevi fore ut revocetur ſalus, quemadmodum *Demetrii* (ſi benè memini) revocata fuit, ex amore deficientis. Nôſti cætera. quod ut eveniat multa Divos omnes veneratus ſum, & adhuc veneror. Tibi etiam vehementer gratulor & patri cariſsimo, & familiæ univerſæ. Et ſi qua in re tibi ſum uſui fac ſciam. Senties nunquam benignitatem meam in te claudier. Vale cariſsimum mihi caput, & nos redama. Valentiæ in Edetanis XVII. kalendas Sextileis. an. MDCCXXII.

XI. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO EMMANUELI Mignanæ ſuo S. D.*

QUomodo valeas, quid agas, ſcire cupio. Mater mea ſe habet meliuſcule. Ego optime. Hæc ſcripſi, ne putes me oblitum eſſe tui, quem in oculis fero, & omni officiorum genere demereri opto. Vale. Olivæ. Pridie Nonas Septembres. Anno MDCCXXII.

XII. *JOSEPHUS EMMANUEL MIGNANA GREGORIO Majanſio ſuo S. D.*

OBlectâſti me, mi *Majanſi*, tam luculentâ amoris & obſervantiæ ſignificatione nuperis tuis teſtatâ. Equidem valetudinem noſtram tibi eſſe curæ vehementer gau-

gaudeo. Nec ingrata omninò tuarum intercapedo literarum eo quidem fuit tempore, quo nec ad reſcribendum ſuppetebant vires vi caloris languentes ac torpidæ. At nunc gratum, per, inquam, gratum præſtitum officium, quum per hos dies imbres effuſiſsimi animam reddiderunt, ut ſolet aqua animo defectis. Itaque utrumque probè & ſapienter abs te factum more tuo. De matre tua, quòd valet, tibi gratulor, vereque gratulor. Id ei ut ſit perpetuum diſcupio votis omnibus. Ego verò etſi non valeo, tamen convaleo, ac redire incipio in viam, unde aberravi totâ æſtate. Libros, chartas reviſo, excutio. Ubi lemas abſterſero diligentiùs, fortaſsè ad te pluribus. Et ſi vis verum dici, mallem coram. Tu ſi me amas, ut certè amas, fac ſciam quo tempore ad nos. Interin vale pugilicè. Valentiæ in Edetanis. III. Nonas Sept. an. MDCCXXII.

XIII. *J. EMMANUEL MIGNANA D. GREGORIO MAjanſio S. D.*

COnventum te volebam, *Majanſi*, à propugnatis Theſibus: & erat planè officii noſtri, ſeu potius amoris, tecum gratulari. quod quia minus licet, facio per literas, & ut boni conſulas peto à te mirum in modum. Res tuæ mihi curæ ſunt. etſi nihil adhuc extrico. Propenſum hominis in te novi animum. quædam tamen eum remorantur cum honeſto conjuncta. Sed nihil adhuc ſtatuit. De prælectione futura multa cum eo non tam ariolus, quàm non falſus vates. Unum te auditurum libenter profeſſus ſum. reliquos nihil moror. Quod ad noſtra attinet, ex adjunctis ſcire poteris. Ne fruſtrà ſim curabis diligenter. Vale Scholæ Valentinæ fulmen. Ex noſtro gurguſtiolo VII. kal. Quinctilis. an. MDCCXXIII.

XIV. *GREG. MAJANSIUS J. EMMANUELI MIGNAnæ, amico ſuaviſsimo, S.*

MAxime gaudeo res meas tibi curæ eſſe. Ab eo tamen homine nihil expecto. Ibit in alia omnia. Eat qualibet. Nihil ei debebo : tibi multum. Cetera coram. Vale. E Bibliotheca noſtra. Valentiæ VII. kal. Quintilleis Anni MDCCXXIII.

XV. *GREG. MAJANSIUS J. EMMANUELI MIGNAnæ ſuo S.*

SEpone tantiſper ſeveritatem tuam, & ride, ſi ſapis, eruditiſsime *Mignana. Juſtus Vindicius* meus paullo ante indignabundus, nunc frontè hilara ad te. Ille tibi narrabit quicquid ego poſſem. Quia ſum occupatiſsimus, plura non ſcribo. Quamprimum potero te viſam. Cura ut valeas. Ex noſtra Bibliotheca. Valentiæ VI. kal. Decembreis, Anni MDCCXXV.

XVI. *MIGNANA MAJANSIO SUO S.*

ACcepi *Juſtum Vindicium*, quem ſemel & iterum magna voluptate legi. Oſtendiſti te virum eſſe ſtrenuum. Si adverſarii tui conferantur in unum, non tamen audebunt eloqui. Vere feciſti homines confoſſiores ſoricina nænia. Volui hoc ſtrenarum tempore, ſimile aliquid remittere ex noſtra paupertina penu. Tempus defuit, non voluntas. Sed heus tu, cum ſoli erimus, quantum ridebimus! Vale, & mei, ut facis, memor eſto. Ex noſtra habitatiuncula. V. Kal. Decembreis. MDCCXXV.

XVII. *JUSTI VINDICII RELATIO DE DISPUTATIONE quam habuit in Valentinæ Academiæ Sacello, Gregorius Majansius Generosus, & Anteceſſor Valentinus, pro intellectu vero* §. eſt autem 3. Inſt. Imp.de rer.div.

Lectori veritatis amanti Juſtus Vindicius S. D.

NArro tibi recentem hiſtoriolam, Lector amans veritatis. Præpara jam evangelia. Meminiſti optimè *Plautinum* illud:

Iſtic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus,
Ut quæſtui habeant malè loqui melioribus.

Nempe (uti dixit ille alter Comicus)

Homine imperito nunquam quidquam injuſtius,
Qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Minimè igitur mirabere, ſuperioribus proximis diebus vaniſsimos fuiſſe rumuſculos, quibus traducebatur vulgò Propoſitio quædam, quam *CL.Greg. Majanſius*, ingenio egregio adoleſcens, judicioque mirabili, juris & antiquitatis peritiſsimus; diſcipulo ſuo tradidit, ut eam publicè defenderet. Alii (ſemper excipio prudentes viros) Propoſitionem, ridiculam; alii, falſam; &, qui magis erant benigni, cenſuerunt, puerilem. Illa verò pertinebat (ut apparebit poſtmodum) ad quæſtionem Phyſico-legalem, in qua a veritate aberrarunt omnes Juris interpretes ante *Joſephum Averanium*, Anteceſſorem Piſanum, Jureconſultum eximium, noſtrique ſeculi ornamentum. At non ita putavit maleferiatus homo, qui quo tempore debebat ſuum edocendæ juventutis officium exſequi, Propoſitionem ſubſcriptam manu CL. & prudentiſsimi viri *Thomæ Gueravii* Rectoris Academiæ, poſtique affixam (ut ſolet fieri) ita ut de plano rectè legi poſſet, auſus eſt (indignum facinus!) ſcelerata manu refigere, oſtentare deinde in ipſo foro maximo, per multorum domus circumferre, eamque irridendam, ſibiliſque explodendam proponere. Ubi, Sancte Pudor, moraris! Eheu indignitas! Impudentia regnat. Neque conſtitit ibi petulantia. Hæc tolerabilia eſſent.

ſent. Conjuratio inita eſt à Profeſſoribus aliquibus. Conventum eſt, ut quo die Propoſitio defendenda eſſet (erat autem is, decimus quartus kalendas Decembres elabentis anni MDCCXXV.) adeſſent cuncti (etiam non invitati) depreſſuri (ut inſolenter dictitabant) *Majanſii* audaciam præcipitem, & temeritatem inconſultam. Præterea Scurra quæſitus, qui Satyrum ageret, quique Comœdiam renovans priſcam, veluti de plauſtro conjiceret dicteria indigna, quibus quaſi digito ipſo demonſtraret *Gregorium Majanſium*, adoleſcentem modeſtum, optimè de bonis literis, & Juriſprudentia meritum. Advenit dies Diſputationi præſtitutus. Horâ ſolitâ adfuit convocata manus congerronum. Adfuerunt etiam (officii & humanitatis cauſſa) prudentiſsimi viri. Ergo iis omnibus præſentibus irriſoria quædam velitatio inita. Sequuta deinde pugna multò indignior. Grammaticorum ſubſcriptiones prolatæ pro re minime obſcura, lippis, & tonſoribus nota; & quo magis mirere ad argumentum minime ſpectante. Novum diſputandi genus, & ante hunc diem inauditum! Nihil adverſus id quod propugnabatur dictum eſt, præter convicia, & contumelias, quibus apertè petebatur *Greg. Majanſius*. Ipſe aderat; & quaſi ſurdo fabula narraretur, deſpiciebat omnia: donec redeunte re ad triarios, cùm videret, etiam Anteceſſorem in ſe furere palam; poſtquam ille evomuit quod ſtomacho libuit, ſedato animo ſurrexit, &, ut id quo de agebatur, intelligeretur, atque impugnari poſſet, petitâ ab omnibus veniâ, diſſerere cœpit, modeſte, & comiter: neque enim aliter ſcit. Non tulere id conjurati; & omnis humanitatis, gravitatiſque loci immemores nuda & inania reliquerunt ſedilia; juſſeruntque, ut ii derelinquerent, qui diſputaturi erant, cumque iis etiam adoleſcentulorum impudentium audaciſsima cohors. Tunc *Greg. Majanſius* voce clara inquit. *Abeant, abeant à nobis. Non deerunt viri prudentes, qui me audient.* Quæ cùm indignatus dixiſſet, exiſtimavit actus poſtremi ſuas eſſe partes, in quibus ipſe noluit,

de-

deesse sibi. Igitur differere cœpit adeo copiosè, eruditè, & eleganter, incredibili utens moderatione animi, ut quovis pretio redimenda ei hæc occasio fuisset, qua, tot egregiis viris præsentibus, ingenium ejus, & extemporalis facultas maximè enituit. Nec disputationi longissimæ, quam imparatus habuit, tam citò finem imposuisset, nisi anhelitum ægrè jam trahens (sed animo semper vivido) ab amicis palam admonitus, rogatusque, ut sibi vellet consulere, morem humaniter gessisset. Qui dies ille mihi, Deus immortalis! Ut ægrimonia maxima versa in incredibile gaudium! Hoc tantum dolui, quod noluisset invidia, testem esse. Quod cum ægre ferrem, cùm ivissem postea gratulatum *Greg. Majansio*, hortati cœpi, & orare, per amicitiam nostram, & discipuli jus (quæ mea gloria præcipua) ut mihi vellet dictare, quæ sibi in mentem venirent ex multis rebus, quas dixit, quo posteritati mandaretur tam egregia doctrina. Tum subindignatus ille. Apage te, *Juste*, cum tuo pessimo consilio. Adeo caussæ meæ diffidis, ut diligentiam hujusmodi desideres? Desunt ne alia monumenta, quibus bene merear de posteris? Fugitne te ratio? Non tibi venit in mentem, judicaturos multos, dolori mihi fuisse, quòd Lucumones illi reliquissent sedes; cùm è contrario mihi glorioſum atque jucundum fuerit, quòd non modo hiscere, me loquente; sed nec me audire ausi sunt? Facile mihi esset, redigere homines ad incitas. Sed quid tum postea? Quæ deinde gloria? Considera, quæso, quos disputatione *Scævolas* vincerem. Crede mihi, *Juste*. Non hic doctrinâ, sed ferulâ opus est. Quippè quæstionem Physices longè difficillimam, quæ prius expedienda fuerat, ad controversiam legalem decidendam, quæ in ambigui caussam incidit, Grammaticorum calculis (vide quos *Pythagoras*, à quibus dissentire nefas) existimarunt definiendam. Abisis ergo cum bona pace: & cogita potius, quâ ratione invidi mei malevoli, tam bene cupiant mihi, quam ego illis. Quod si pertinaciter nolunt,

lunt, redire in gratiam, cum pueris fac ita agi, ut æquum eſt. Cui rei poteris abhibere Cocum meum *Belliſonum*, qui ut *Mercator* ille *Cujacii* Lorariorum advocet, neceſſarias operas. Amo nimis eos, & viros velim evadere. Quod ad me attinet, obtrectent, maledicant: ſinito illos. *Plautinum* illud memoria teneo, & obſervare vellem.

Virtute ambire oportet, non favitoribus.

Sat habet favitorum ſemper qui rectè facit.

Hæc *Greg. Majanſius* amicè me dimittens. Sed cùm egò poſtea viderem, nihil eſſe quin malè narrando depravari poſsit; cùm mille audirem fabellas de Propoſitione defenſa; cùmque indignarer multorum (ut inquit *Cicero*) tantam perverſitatem eſſe, ut inventis frugibus, glande veſcantur; rem putavi dignam facturum meo egregio amore in *Greg. Majanſium*, ſi aliqua ex iis, quæ ille publicè differuit, memoria repeterem, & ſcriptis mandarem. Scio me rudi ſtilo illaturum inſigniſsimam injuriam Diſputationi ejus, cùm minimè poſsim diſſerere eâ copiâ, & eloquentiâ, qua ille dixit ex tempore, oratione latinâ bene longâ. Sed, ut æquo animo tulit, publicè derelinqui à ſannionibus, veluti *Catilinam* aliquem Literariæ Reipublicæ; ita patienter feret, à me nunc minui (procul ab omni fraude) ejus orationis dignitatem. *Cujus ſententias* (ut cum *A. Gellio* dicam *lib.* 12. *Noct. Attic. c.* 1.) *Cujus ſententias*, inquam, *communis utilitatis gratia, quantum meminiſſe potui, retuli. Amœnitates verò & copias ubertateſque verborum Latina omnis facundia vix quidem indipiſci potuerit, mea tenuitas nequaquam.... Hanc Præfatiunculam ſequebatur Diſputatio, quæ ut aliena a præſenti inſtituto prætermittitur. Aliquando tamen recudetur, Deo volente, in Recitationibus extemporalibus. Ea equidem præmiſſa Juſtus Vindicius ſic Relationem continuavit ſuam....* Hæc, & plurima alia, quorum meminiſſe nequeo, audivi ego diſputantem *Greg. Majanſium*, ſpretâ injuriâ inſigniſsimâ animo infracto & excelſo. Quam

Diſ-

Disputationem ne quis intempestivam judicet, scire debet, in Valentina Academia moris esse, ut Disputationibus illis, quæ vulgo dicuntur *Sabbatinæ*, veluti Pacificatores & Arbitros sese interponere soleant Professores publici, quoties occasio postulet. Cui officio *Majansius* adesse voluit, & verò debuit, ut dignitatem & jus tueretur suum adversus ignaviſsimos fucos, maledicentiæ aculeis se configere conantes: quos nullâ aliâ re procul à se abegit, nisi moderatione, & doctrinâ, dans profecto grande prudentiæ, & eruditionis suæ documentum. Nihil itaque respondit contumelioſis dictis, memor (sine dubio) ejus, quod *Cornelius Tacitus* dixit, *vitium parvis, magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti, & invidiam.* Quid, si etiam voluit, malevolos invidosque suos non aliâ pœnâ plecti, quàm suâ ipsorum conscientiâ? Nam, si aliquam cordis habent particulam, certè debet illos pigere, atque etiam pudere facti sui. Quanquam asseverari audivi, esse qui adhuc glorientur de re optimè gestâ. Scilicet homines egregii humanitatem suam ostenderunt publicè. Academiæ Rectorem, & Academiam ipsam maximè sunt reveriti. De Jurisprudentiæ studioſis optimè meriti sunt. Disputationibus solitis jussus est cludi ludus. (1) Quin & saluti ipsius *Majansii* bene consuliſse videntur, & labori ejus peperciſse: quia, neque discipulis suis debebit posthac (præter publicarum trium explicationum recitationem quotidianam) dictare, quæ defendant, quæ argumententur, quæ intra diem unum sollemni more recitent. Euge igitur viros bono publico natos!

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis!

(1) *Postea vero, cum Professores qui Propositioni à me dictatæ audaces admoverunt manus, veniam petere coram Decurionibus Valentinis jussi fuissent, tandem aliquando datus est locus Disputatiunculis similibus, ea tamen conditione ut eadem Propositio defenderetur iterum, jussis adesse, qui de injuria fuerant appellati, Præside me in eo secundo certamine. Sic illatæ injuriæ obviam ivi, & in ipsos autores propulsavi.*

XVIII. *GREG. MAJANSIUS PHILIPPO BULIPHONI, Juſtitiæ ſacerdoti integerrimo, S. D.*

QUi me alter eſt audacior homo? aut qui me confidentior? Adoleſcentulus qui virum graviſsimum, legulejus qui Jureconſultum egregium in amicitiam provocem? Agnoſco ita eſſe, *Philippe Bulipho.* Cur autem non liceat mihi, gloriabunde iſthæc fateri, cum animos mihi faciant virtus, & humanitas tua? Si ſcias quandiu ego te veneror, potius mirabere cur tandiu incluſerim meo pectore, honeſtiſsimam cupiditatem ineundi aliquam abs te gratiam. Rurſus ſi ego patiar a te amari immerentem (ſcio enim quantum mihi faveas) neque tanti beneficii gratias agam; ingratus ero. Ergo faceſſat a me male conciliatus ille pudor, qui ad hunc diem obſtitit, quominus aliquid literarum ad te mitterem. Neque augeam ego magnum numerum eorum, *quos, cum nihil refert, pudet: ubi pudendum eſt, ibi eos deſerie pudor.* Ac ne putes, a me confingi ſuperiora dolo bono, ut hunc primum amicitiæ aditum, qui ſolet alias difficillimus eſſe, mihi complanem; profecto ſcire te oportet, quinque annos jam eſſe, ex quo amici Alonenſes, cum queis Valentiæ mihi fuit magna familiaritas, celebrando ſæpiſsime virtutes tuas, ad eas amandas commoverunt me. Exin ego (quem enim non oblectet virtus?) amorem illum non deſtiti fovere. Sed eum pectore comprimebam: & ſubruſtica verecundia impeditus ſignificare tibi non audebam. Poſtquam autem veteri de te opinioni acceſsit graviſsimum teſtimonium *Emmanuelis Martini*; temperare mihi non poſſum, quia declarem tibi priſtinum erga te amorem tam excellentis viri laudibus mirifice auctum. Cumque ab eodem intellexerim te hominem humaniſsimum amare me (neſcio quamobrem) quid eſt tandem quod verear, ne meum

of-

officium tibi acceptum gratumque ſit ? Egō certe ſic animum induxi meum. Cum ingenii tui liberalitate permotus me cœperis amare, antequam ſperare poſſem meum nomen ad tuas aures perventurum; videor poſthac te quaſi meo jure promeriturus, ſi quidem non officiis meis, quæ nulla tanta eſſe poſſunt ; at certe grata liberalitatis tuæ confeſsione. Nam ſi hanc (ut ſpero) habueris acceptam, denegare mihi poſtea non poteris hæc eadem beneficia. Niſi forte tu minus grato, quam immerenti tribuas, aut illas ipſas virtutes, quæ ad expetendam amicitiam tuam impulerunt me, quaſque colis tantopere, odiſſe cœperis. Tu quod volueris facito. Ego ſatis officio meo feci. Virtutem & ſapientiam tuam amavi, colui, promereri cupio, & quantum potero curabo. Si te aliqua tangit cura tui, dilige me propter te ipſum. Ego autem eo magis in dies amabo te, quo plus expertus fuero virtutes tuas, ex quibus enitar magnum mihi meritum comparare. Vale. Salmanticæ, Pridie Kal. Februar. An. MDCCXXII.

XIX. *PHIL. BULIPHO GREGORIO MAJANSIO ADOleſcenti* philologotato, *ac Muſarum ocello, S.*

OCcupationibus factum eſt meis (quæ quidem hiſce diebus fuerunt graviſsimæ, atque curarum, & improbi ſane laboris plenæ) ne citius reſcriberem ad literas tuas, quas ad me pridiè Calendas Februarias. Ego verò, mi *Majanſi*, jam pridem te diligere cœperam, cum primum ſcilicet à *Martino* noſtro aliquam eximii ingenii tui notitiam, atque ingentis iſtius bonarum literarum, ac ſeveriorum ſtudiorum deſiderii, quo tantopere ab ineunte penè ætate conflagraveras, adeptus ſum. Sed poſtquàm apud eundem amicum, virum graviſsimum, aliam atque aliam è tuis epiſtolis, quas ſæpiuſculè ad illum, ac nonnulla alia tua ſcripta legere licuit,

atque exindè penitus cognoscere quantus profectò vir tam citò evaseris, te jam suspexi, colui, atque intimis, ut ajunt, medullis amavi. Gaudebam enim vehementer in iis veluti præsentem animi tui imaginem posse me contueri, atque ingenii tui aciem præstantem, verborum ac sententiarum pondus & copiam, vim facultatemque dicendi eximiam, ac demùm styli nativam quandam elegantiam ac venustatem penitissumè dispicere, atque ad admirationem usque contemplari. Accedebat præterea ingens gaudium, quo magnopere perfusus sum, identidem apud me ac seriò cogitans quantùm Hispaniis nostris (fuit enim in fatis, ut patriâ extorris, ac domo sæviss imis diutini belli casibus, atque hostium feritate ejectus, piissimi ac munificentissimi regis beneficio nostras eas appellem) quantùm inquam illarum splendori æquè ac commodo profutura sit ista tua adolescentia: quæ tot ac tam assiduis studiorum laboribus exculta, ac tam exactâ, ad universæ Sophiæ, ac sapientiorum virorum regulas, methodo expolita, suis deinde, ut sperare est, aucta præmiis, & magnum Reip. bonum sit allatura, & præcipuum ceteris adolescentibus exemplum, atque incitamentum ad ea studia capessenda, quæ, malum! jam penè in his regionibus exaruerant, & à nobis quàm potè longissimè exsulabant. Sed enim postquàm redditæ mihi sunt literæ tuæ, eæque amantissimè atque honorificentissimè scriptæ, quibus, quæ tua est humanitas (est autem maxima) me nihil tale meritum tot laudibus ornas, &, quod potissimum apud me est, ultrò me ad amicitiam provocas, quam egomet mihi jam olim expetebam, dexteramque istam tuam porrigis benevolentiæ ac fidei testem, ac mutuam à me fidem benevolentiamque flagitas; vix est ut significare possim quantus meo adversum te amori hoc tam egregio tuæ comitatis officio cumulus accesserit. Quid enim (ita me diespiter sospitet) mihi antiquius, quàm me, vel immerentem, ac penè dixeram inscientem, amari atque ob-

ser-

ſervari ab adoleſcente ornatiſsimo præſtantiſsimoque, cujus uſus & familiaritas magnam mihi allatura ſit voluptatem, immò & ingens decus atque ornamentum. Tu igitur me in amicitiam provocas? Itera dum iſta mihi. Tu me in amicitiam vocas? O nuntium mihi fauſtum ac felicem! O rem mihi gratam, & auſpicatiſsimam, atque ipſo melle mellitiorem! Ego verò & fidem tuam accipio, & te lubentiſsimus atque ex animo amplector, &, quandoquidem *inter bonos bene agier oportet*, tibi mutuam fidem, ac perennem meam æternamque fore erga te benevolentiam juratis verbis ſpondeo ac promitto. Habes igitur me hominem tibi devinctiſsimum, quemque hâc gratuitâ amoris profeſsione, veluti per æs & libram jure Quiritium, immò tuo potius jure tibi mancipaſti. Habes me *creſei*, *kai kteſei* omninò tuum. Utere ergo deinceps operâ noſtrâ uti voles, nunquam profecto in te excolendo aut exornando tibi deerunt quæcunque à me proficiſci poterunt amoris atque arctiſſimæ conjunctionis officia. Quando autem tuâ ipſe ſponte te mihi amicum obtuliſti, obſecro te ut iſthæc in poſterum firma ac rata ſemper ſient. Caveſis quæſo ne poſthàc eveniat ut à te requiram eadem humanitatis ac fidei argumenta, quæ nunc exhibes, ac te aliquando obtorto collo in jus ambulare cogam, agamque tecum violati fœderis, atque imminutæ amicitiæ nomine ex formula ac inſtituto majorum. Quæ quidem per jocum à me dicta ſunto. Facit enim comitas tua, ac ſanctimonia, & ſemper ſibi conſtans perpetuaque ratio virtutum tuarum, ut ne quid tale unquam ſperari poſsit. Tui igitur erit officii nos ſemper amare, cui te nunquam defore ſpero atque confido, idque ut facias te vehementer rogo atque obſecro, immò omnibus verbis flagito & obteſtor. Vale. Data Alonæ VII. Id. Martias MDCCXXII.

Emmanuel Martinus hoc addidit capitulum.

Si vales bene eſt, ego quidem valeo. Quando bonis

avi-

avibus, atque auſpicatò rem occepiſtis, reliquum eſt ut Deum Fidium propitietis, qui vos fortunet, veſtramque fidem perennare ſinat *anaitios*. Salvo tamen amore noſtri.

XX. *GREG. MAJANSIUS PHILIPPO BULIPHONI, Jureconſulto graviſsimo, S. D.*

QUo magis ego cogito cum animo meo quomodo tibi gratias agam pro incredibili tua humanitate, minus ſcio. Superat ea longiſsime omnem orationem. Cumque meum pectus liberalitate tua recluſeris, ut cor voluntatemque mancipio tibi tradam; eâdem os obſeraſti ut præ admiratione ipſius vix loqui poſsim. Debeo tibi in primo amicitiæ noſtræ congreſſu quicquid ab amico perveteri proficiſci poterat. Tantæ benevolentiæ quæ poteſt par eſſe gratificandi facultas? Et quid ego non expectem a quo ſumma accipio in primo aditu? Fateor me perſolvere non poſſe tam præclara officia. Sed non idcirco ingratus latitabo. Quocumque volueris nec vocatus ibo. Quod ſi me nexum obæratumque beneficiis tuis, velut æris confeſſum, tibi addixeris, erit mihi pergratum, ut ex conſcientia liberalitatis tuæ quam velis ſatisfactionem accipias. Nihil dico quantas quoque tibi debeam propter egregias laudes, quibus ſtudia mea extuliſti. Has ego (pace tua) non agnoſco. Neque unquam audebo tantas arrogare. Iſta eſt liberalitas comitatis tuæ, quæ quod in me cupit eſſe, perhumaniter concedit. Dicerem aliquid de judicii tui gravitate, ingenii præſtantia, ſententiarum pondere, verborum delectu, abſolutiſsima dicendi facultate. Sed vivam eloquentiæ imaginem quis dignè repræſentaverit? Igitur Timantem imiter neceſſe eſt. Contegam velo ſilentii quod oratione aſſequi nunquam potero. Sed nec hujuſmodi virtutes laudes ullas deſiderant. Ipſa-

ſarum uſus te ſatis extollit. Ea eſt eloquentiæ felicitas ut una (virtutem ſemper excipio) alieno præconio non indigeat. Cum otium tibi erit , velim legas particulam Commentariorum , *De collatione bonorum & dotis collatione* quam ad *Emmanuelem Martinum* miſi : ut ei a quo ſæpenumero accipio tam præclara præcepta & monita aliquam reddam rationem ſtudiorum meorum. Nam cui magis ſtudeam placere quam Hiſpanorum ſapientiſsimo? Scis optime quam horrida & inculta ſit illa pars noſtri juris , cui quadrat illud aptiſsime:

Ornari res ipſa vetat contenta doceri.

Ob hanc cauſſam eam ſelegi. Nam cum ibi exiguus ſit locus eruditioni , in qua mihi per ætatem non licuit magnos facere progreſſus , minus timendum fuit an inſtituto poſſem ſatisfacere. Neque enim nimis arduum fuit omnia juris fragmenta ad hanc rem pertinentia colligere & ita conjungere , ut , niſi cum opus eſſet interpretatione noſtra , Jureconſultorum verbis ferme loquerer , quo noſtræ orationi major auctoritas accreſceret: quemadmodum inter noſtrates eleganter præſtitit egregiè cordatus homo *Antonius Auguſtinus* , Hiſpaniarum immortale ornamentum. Si, quod ego volui, in his Commentariis aſſequutus ſum, non incaſſum elucubravi. Cui meæ opinioni , ſi tuum calculum adjeceris , audax forte facinus perpetrabo. Vale , & de reſcribendo epiſtolis meis noli laborare , niſi cum otioſiſsimus fueris. Nam ego quocumque pacto te colam, & obſervabo: efficiamque ut intelligas neminem eſſe tuarum virtutum ſtudioſiorem , quam ego ſum. Salmanticæ. Kal. Aprilib. Anni MDCCXXII.

XXI. *PHIL. BULIPHO GREGORIO MAJANSIO , ADOleſcenti præſtantiſsimo atque ornatiſsimo , S.*

EGo enim , mi *Majanſi* , quò magis te noſco (noſco autem quotidiè plurimùm ex humaniſsimis diſertiſſimiſ-

ſimiſque epiſtolis , ac ceteris egregiis tuis ſcriptis) eò magis magiſque te diligo , ac , vel invitus , ſi id quidem fieri poſſet, amare cogerer. Quî enim aliter ab homine, qui non ſit prorſus omnis humanitatis expers, atque omnium omninò ſtudiorum ac bonarum artium rudis ? Quandoquidem ea eſt animi tui comitas , ea morum ſuavitas, tam eximia ac præſtans ingenii acies, ac ſolers dicendi ſcribendique facultas , is diſcendi ardor & gloriæ ſtudium , ac demùm ea in ſeverioribus ac liberalioribus diſciplinis conſtans, ac penè dixeram pervicax cura ac diligentia ; ut profectò quidem mirari minimè liceat , in iſthac prima adoleſcentia ea te aſſecutum eſſe , quæ à graviſsimis viris , poſt exanclatos diutinos labores , atque exactas perennes , perpeteſque vigilias , vix ſperati ſolent. Quamobrem & amo ego te impenſiùs, chariſsimum mihi caput (quod equidem merito tuo facio) & te vehementèr hortari non deſinam, macte virtute adoleſcens, licet jam tuâ ſponte alacritèr currentem , ut incœptum iter teneas , atque avidiſsimè proſequaris, quò majores in dies fructus è tam præclaris initiis capere poſsis , eoſque maturiores exindè reddere ad Hiſpaniarum ornamentum , ac literariæ Reipublicæ commodum ac felicitatem.

Commentariorum tuorum in Titulos *De collatione bonorum* , & *dotis collatione Paradeigma* , quod nuper ad *Martinum* noſtrum miſiſti , unà cum eodem graviſsimo ac ſapientiſsimo viro , lubens perlegi , etſi mancum illud & mutilum, ac nimis in fruſtula veluti quædam diſcerptum, quàm uſus erat ad rectè judicandi animadvertendique facultatem. Sed tamen, utcunque res erat, miratus in eo ſum claram ac bene ordinatam ſcribendi methodum , perſpicuam abſtruſiores quaſque res in ordinem digerendi , atque expediendi rationem , ac nitidam orationis vim ac copiam : ut vel ex pauculis ejus excerptis conjiciendum ſit quàm benè atque æque illorum nitori & elegantiæ reliquum corpus reſpondeat.

Sed

Sed tamen hæc de Commentariis ſolummodò dicta ſunto. Quod autem attinet ad ipſum Prætoris edictum, cujus verba reſtituere conatus es (quod bona pace tuâ dixerim) non mihi planè arrident. Senſus aliquanto obſcurior eſt: ac præterea ipſa locutio minus convenit cum veteribus Edictorum formulis, quas opportet omninò rimari qui hujuſcemodi reſtitutiones meditatur. Hæc ego quidem verè ac ſincerè teſtor, atque ex penitiſsima animi mei ſententia. Neque enim aliter decet amicum cum amico colloquentem. At enim verò ut idem fidei pignus, ac monumentum in ipſo quidem initæ nobis amicitiæ veſtibulo uberius tibi exhibeam, reliqua etiam ſignificare audebo, ut integrum ingenioli noſtri judicium proponam. Quod porrò in imo mihi pectore reſideret, ni probè noviſſem præclaram iſtam animi tui indolem, ac moderationem, quæ me certum eſſe jubent, quæcunque dixerim tibi pergrata fore, atque æqui bonique te conſulturum. Nimis properè, mi *Majanſi*, ut ego quidem ſentio, ea te inceſsit cupiditas iſthæc tua ſcripta in publicum edendi. Mihi crede ſunt quædam, ut in arboribus, ita & in hominum ingeniis excolendis ſtata temporum intervalla: quæ qui nimiâ feſtinatione præverterit, næ ille minus bene ſuæ rei ac famæ rationem habuiſſe videatur. Aliud eſt tempus ſerendi, aliud ablaqueandi, aliud rigandi putandique, ac tandèm aliud glandem legendi. Illud profectò ego tibi confirmo, poſtquam in ſtudiorum ac cæterarum diſciplinarum pelagus altiùs devectus fueris, multas ſyrtes ſcopuloſque undequaque circuſpicies, quæ nunc penè oculorum tuorum aciem fugiunt: ac tunc equidem te pœnitebit, licet incaſſum, quod nimis citò procellarum fidei te commiſeris. Neque eò hæc dico, ut te â ſcribendo deterream, ſed tantùm ut ne typorum gloriolam nimis juvenili animo atque ardore arripere feſtines. Quidvis ſcriptitato, modò id vires exercendi causâ, ac cum pauciſsimis communices. Jam tempus erit, cum maturiore ac graviore

judicio aptiorem ſcribendi materiam, vel tutè ipſe tibi ſelegeris, vel temporum atque occaſionum viciſſitudines offerent. Quam enim in præſentia tractandam tibi propoſuiſti, inops eſt, horrida ac pene ſqualida, ut in ea excolenda fruſtra ingenii tui vires, ac ſtyli acumen elegantiamque abſumſiſſe videaris. Hùc accedit quod illius major pars, quæ inquam ad titulum de *collatione bonorum* ſpectat, jam antiquata eſt atque obſoleta. Meliuſculè autem, meo quidem judicio, operam tuam locaveris, ſi in primis in linguam Græcam addiſcendam omnibus, quod ajunt, nervis incumbes; quam omnis eruditionis, atque omnium doctrinarum *prototypon*, ac magiſtram rectè exiſtimabis: ac quæ ſummoperè utilis eſt, immò perneceſſaria, ad Latini ſermonis vim atque intimum ſenſum penitus eruendum: atque etiam magis magiſque ad noſtram Juris ſcientiam medullitùs exhauriendam. Hanc enim nemo eſt quin ſciat ex uberrimis Græcæ ſophiæ fontibus ad nos quondàm manaſſe, deindeque iiſdem literis ac diſciplinis mirificè excultam atque auctam fuiſſe; ac demùm, dum noſtras regiones horrida diù ignorantiæ nox olim premeret, eam apud Græcos, ac Græcis literis traditam, luculentèr floruiſſe, atque ad meliora tempora felicitèr ſartam tectamque fuiſſe conſervatam. Ita ut è Græco plerunque textu, ſive *autographo*, quàm multa ſæpiuſculè eruere cogamur ad noſtrarum legum genuinam lectionem reſtituendam, vel ad earum intelligentiam atque interpretationem exornandam. Sed præterea, ſi me audire vis, etiam Gallicæ linguæ adipiſcendæ tres aut quatuor menſes inſumſeris. Tot enim illius gentis ſummi viri in præſenti, atque antè acto ſeculo ſuâ vernaculâ linguâ in omni ſcientiarum ac doctrinarum genere innumerabiles atque egregios ſanè libros ſcripſerunt, ut jam minus eruditus videri poſsit qui eam linguam minimè teneat. Ac, ne a Juriſprudentia noſtra diſcedamus, unum mehercule opus inſignis J. C. *Joannis Domatii*, quo omnem juris civilis privati ac publici diſciplinam

in

in naturalem ac verè philoſophicam, & nitidiſsimam facilemque methodum digeſsit, atque à primis divini & naturalis juris initiis clariſsimo ordine legum diſpoſitiones deductas ſuo quamque loco diſtribuit aptavitque, ac tetram antea Juriſprudentiæ faciem, vetuſtate ac multo ſitu obſitam, ac magnis ambagibus obvolutam, emaculavit, ac ſpecioſam nitidam facilemque, & penè obviam reddidit juventuti juris ſtudioſæ (titulus eſt: *Les loix civiles redigèes dans leur ordre naturel*) hoc unum, inquam, opus me ſatis movebit, ut cuique ſtudiorum ac bonarum literarum cupido auctor ſim Gallicæ linguæ ediſcendæ. Sed ego fortaſſe nimis accuratulus hæc ad te. Tuæ igitur erit humanitatis, æquanimitatiſque, hæc amico animo tibi dicta, amicè, ut ſoles, accipere, ac tuâ ſi libet cenſurâ emendare. Ego enim nihil contendo, meum judicium tantum propono, atque id à te requiſitus, & *Martino* adhuc detrectantem impellente. tu tuum amplectitor: modò ne mihi ſuccenſeas, quod mei officii & adverſum te amoris eſſe duxerim liberiùs omnes animi mei ſenſus tibi aperire.

Ad *Cæſarem* fratrem, qui Mantuæ Carpetanorum agit, ſcripſi ut per proximum tabellarium mittat ad te librum parvæ quidem molis, quem in urbe regia edi curavi, ſed tamen quem ingenti, ſcio, lætitiâ atque alacritate excipies, ac non ſemel perleges, ob eximia atque immortalia *Martini* noſtri opuſcula, quæ, vel amico reluctante, publicæ luci committi volui. Non dubito quin rem tibi, atque omnibus literatis viris pergratam fecerim, ac eo nomine te ingentes mihi gratias habiturum. A me autem inibis maximam, ſi quas literulas etiam noſtras frater illi libello intexuit *Ariſtarcheo* more examinaveris. Vale, ac nos, ut facis, amare pergito. Data Alonæ v. Id. Majas MDCCXXII.

XXII. *GREG. MAJANSIUS PHILIPPO BULIPHONI, Jureconsulto egregio, & amico singulari, S. D.*

NUdius quartus accepi ab ornatissimo tuo fratre, *Cæsare Buliphone Emmanuelis Martini Apasteroſin*, cœleste munus, mihique gratissimum. Illico ei rescripsi; & tibi gratias agere volebam, cum ecce mihi reddita Epistola tua: cui breviter pro temporis angustiis respondebo. Et ut ab iis incipiam quæ postrema sunt in tuis literis, rem fecisti non solum mihi, sed & omnibus gratissimam, dum divinam illam Elegiam edi curasti. Ea quidem talis est, ut nisi compertum haberem, propria te, non aliena niti virtute, videri posses famæ tuæ immortalitatem hoc tuo facto ambiisse. Sed cum ista suspicione sis prorsus liber, egregium testimonium dedisti singularis tuæ cum *Martino* amicitiæ, ingentis studii utilitatis publicæ, & ardentissimæ propensionis Hispanæ gloriæ amplificandæ. Utinam viri principes tandem aliquando excitentur, & incipiant ei favere. Habent notitiam scriptorum amici nostri, quæ rei literariæ maxime interest publici juris fieri. Ego nihil magis opto ut in lucem prodeat, quam magnum illud *Etymologicon*, quo facile spero, penitissimas Latine linguæ divitias reseratum iri. Vera loquor. Ex quo ludum reliqui, Dictionario non utor, & tamen indigeo. Adeo quæ huc usque habemus Hispani, non solum imperfecta, sed & barbara sunt. Vehementer etiam exopto (ut cetera præteream) ne publica luce fraudetur Tractatus ille *de animi affectionibus* ad Stoicorum sententiam compositus. Nulla res mihi magis arridet, quam Philosophia moralis: in qua prisci sapientes nimis solent desipere. Stoicos tamen audire vellem *Martini* ore differentes. Qui (quo est judicio, eruditione, atque eloquentia) proculdubio Sectam illam Christianæ Religioni proximam cordatius quam ceteri repræsentabit.

De fratris tui disertissimi viri *Præfatione* quid ego dicam?

Po-

Politiſsima , & elegantiſsima eſt. Atque recenſio illa Scriptorum *Martini* noſtri , mihi omnibuſque Hiſtoriæ literariæ amatoribus jucundiſsima ; quæque ſitim augeat legendi (utinam aliquando expleamus) cetera ejus opera , immortalitate digniſsima.

Venio ad præcipuum caput epiſtolæ tuæ. Numquid vereris , *Philippe Bulipho* , me refractariolum eſſe , cum ita timeas , ne prudentiſsima conſilia tua minus quam debeant, probentur mihi ? Ego vero libentiſsime legi, & ſum amplexus. Et cum antea exiſtimarem aliquid me præſtitiſſe ſatis diligenti diſcuſsione prope mille legum, nonnullarum nova illuſtratione , diſpoſitione methodica, qua quicquid hactenus de *Collationibus* diſputatum eſt, in paucas chartulas conjeci ; tamen poſtquam juſsiſti me hos primos impetus prodeundi in publicum reprimere, neſcio quo pacto deſpicere videor illa ipſa, quæ , paullo ante ſperabam , Juriſprudentiæ ſtudioſis non futura ingrata , ſi forte fierent juris publici. Equidem ego (dicam ingenue ac libere) cum viderem adhuc adoleſcere, ingenium meum, animoque meo reputarem, aſsidua lectione crebraque exercitatione nutriri illud ac confirmari oportere ; animadvertens in me facilitatem quandam redigendi in epitomen res ab aliis difuſe confuſeque tractatas ; conſtituebam hanc ætatis meæ partem tranſigere in inſignioribus Juriſprudentiæ Tractatibus (quibus nec modus nec finis eſt) certis finibus concludendis , donec longo ſtudio atque uſu accedente , majora poſſem aggredi , & perficere. Sed cum tibi , & *Emmanueli Martino* aliud videatur, non debeo a vobis diſſentire viris plane doctiſsimis , & prudentiſsimis. Pergam igitur lucubrare. Sed mihi ſolum (ut dicitur) Muſiſque. Pater meus receptui canere jam jubet. Intellexit enim, me eum ſtudiorum curſum inſtituiſſe , quem vel apud Scythas,aut ubi vis tenere poſsim. Nihil in hac urbe præter tua juſſa expectabo. Vale , & amice , ut facis , mecum agere perge. Salmanticæ XIV. kal. Jun. An. MDCCXXII.

PHIL.

XXIII. *PHIL. BULIPHO GREGORIO MAJANSIO, ADOLESCENTI ornatissimo S.*

EGo verò, *Majansi*, consilium tuum Olivam repetandi valdè probo. Jam enim is homo es, ut ubicunque terrarum, ac vel apud Scythas (ut probè autumas) studiorum tuorum rationem rectè prosequi possis, ac tuam vitam ad selectiorum doctrinarum, ac scientiarum omnium uberiorem cognitionem excolere. Neque enim Salmanticensis scholæ disciplina mihi multùm arridet, ubi per summam contentionem scholasticorum nostratum more quotidiè garritur, & tempus frustrà teritur: ac uti quisque maximè per altitonantia ac barbarica verba, sive potiùs monstra verborum, tricis ambagibusque, ac futilium distinctionum, & captiunculârum fucis præstigiisque potissimùm pollet, ita doctissimus, nullâ habitâ veritatis ratione, omnium hominum calculis videtur. Quare, obsecro te, quàm citiùs ad patrios lares advola. Erit namque *Martino* nostro pergratum, mihi certè gratissimum, te quam propiùs accedere: undè aliquandò faciliùs ad nos excurrere poteris, ac nos tuo jocundissimo conspectu recreare. Quod ut facias primo quoque tempore utriusque nostrum verbis te vehementèr oro atque obsecro. Ceterùm de vitæ tuæ ratione instituenda non omninò, suâ pace dixerim, *Martino* nostro assentior. Quidni enim optimus quisque Ictus esse possit, atque egregius advocatus, qui simul omnia rabularum vitia ac fallacias, quas ille elegantissimè tibi appinxit, omninò vitare sciat? Ego certè omnem prorsus barbariem totâ vitâ exhorrui, ac illam quàm pote longissimè à me amandare studui, & tamen Neapoli olim in forensem exercitationem totum me dederam, ac famæ simul, & rei familiaris rationem aliquam habebam. Quamobrem non mihi profectò videtur te

om-

omnem operam perditurum, si eò etiam tui præstantissimi ingenii vires conferas. Sed id tu melius videbis; ac pater tuus oculatissimus, qui quod è re tua erit maximè providebit. Plura ad te scribere vellem, sed tamen minimè possum. Non enim firmâ utimur valetudine: quanquàm spero brevi me ex hac morbi, ac pharmacorum molestia emersurum. Tu, si sapis, benè vale, ac nos, ut facis, ama. Alonæ v. Eidus Junias. An. MDCCXXII.

XXIV. *GREG. MAJANSIUS PHILIPPO BULIPHONI Jureconsulto eruditissimo, S. D.*

TRisti nuncio accepto de penè conclamata salute suaviſsimæ Matris meæ, Salmantica Olivam advolavi. Nullus dies in tota vita mihi acerbior fuit, quam decimus ante kalendas Julias, quo die adveni paternam domum. Inveni Matrem dilectiſsimam vigiliis, quas desiderio mei transegit, attenuatam, viribus defectam, adeo amiſsis lineamentis priſtini oris, ut vix agnoscerem eam. Gaviſsa est multum adventu meo. Recreari cœpit, & veluti reviviſcere. Te, Jesu Chriſte veneror, *quam potes affer opem.* Tu, *Philippe Bulipho*, ab eo precare, ut Matri salutem, mihi solatium afferat.

Epiſtolam quam miſisti Salmanticam, transmiſit Amicus. Permolestum est mihi, quod in ea legi, te non uti valetudine firma. Utinam æque valens sis atque ipsa salus. Quod me vocas ad forum, in eo tu, tanquam optimus Patronus, causſam agis patronorum. Sed vide ne in hac causſa, qui in ceteris omnibus tam integre versaris, suspectus sis. Mihi quidem videtur *laudabile vitæque hominum neceſsarium advocationis officium*, ut cum imperatore loquar *Anaſtaſio*. Sed genus illud vitæ, irrequietum, rixoſsum, moleſtiarum plenum, eligerere non audeo. *Jacobum Cujacium* summæ sapientiæ virum legi solitum dicere, cupere se dediſcere quicquid ex forensi

usu

uſu imbiſiſſet. Non, puto, eum pœnitebat fori uſum callere, ſed forenſis vitæ pigebat, tædebatque. Scio quam ſterile ſit Theoretices ſtudium. Sed plenum eſt amœnitatis, jucunditatiſque : & divitiis omnibus tranquillitatem animi antepono. Utinam Deus concedat mihi : patroniſque minime invidebo clientium ſalutationes, obſequia, munera. Valetudinem tuam cura diligenter, & vale. Olivæ. Nonis Juliis. Anno MDCCXXII.

XXV. *GREG. MAJANSIUS PHIL. BULIPHONI, JUreconſulto præſtantiſsimo, S. D.*

SAtin ſalvæ, *Philippe Bulipho* ? Ne quæſo me ingratum arguas propterea quod aliquot dies literarum officium intermiſi. Equidem valde fui ſollicitus & adhuc ſum de ſalute tua. Sed cum ita te amem, ut multum colam præterea, non audeo tibi nimis moleſtum eſſe. Quare hoc in poſterum intelligas velim. Cum literas meas deſiderabis, putato, me tui reverentiæ, cum accipies, amori ſatisfacere. Tu noſtri, ſi quem habes, retine : & de ſalute tua diligenter ſcribe. Mea mater meliuſcule valet. Adfuit hodie ſacris. Si quid me velis, præſto adero. Vale. Olivæ VIII. Kal. Septembreis. Anni MDCCXXII.

XXVI. *GREG. MAJANSIUS PHILIPPO BULIPHONI, & Vincentiæ Linaræ natam recens filiolam gratulatur.*

CAndida lux, puras qua primum luminis auras
Linara accepit, ac Buliphone ſata;
Pauca precor : redeas tu jucundiſsima ſemper:
Quamque ſenis Pylii tu numerere magis.
Lucis in obſequium tantæ Sol aureus ore

Per-

Perpulchro niteat; pulchrius illa suo.
Grata Patri, Matrique suos nata exigat annos;
Cumque aderit parcat sera senecta genis.
Simplicitas prudens, & candor amabilis illam
Exornet: dotes has putet esse sibi.
Quam bene Socraticam tractat Pater optimus artem;
Tam facilè fusum pollice verset ea.
Vincat Penelopen, etsi superetur ab Helpi:
Doctrina huic cedat; non tamen ingenio.
Numquid multa precor? Patribus si debita tantis
Poscenda, optarem, par ut utrique foret.
Valentiæ in Edetanis, III. Eidus Februarias An. MDCCXXVII.

XXVII. *MARTINUS BULIPHONI SUO, S. D.*

ITane mi *Bulipho*? (quod felix, faustum, fortunatumque siet) *Linaria* tua auspicatissimo partu marem edidit? *Yperey*! O lætum nuncium! Vix mihi temperare queo, quin aliquid pangam.

Nuper fœmineam peperit Linaria prolem,
Atque auxit sexu deteriore domum.
Scilicet illa rudis Lucinæ forte laborum,
Non explorato pondere fudit onus.
Nunc emendatum profert lepidissima pignus,
Edit & optatum patre volente marem.
Quare? Ut virtutem genitoris proderet infans,
Doctrina, & clari dotibus ingenii.

Vale, & congerrones tuos saluta meis verbis. Alonæ IX. kal. Martias an. MDCCXXIX.

XXVIII. *GREG. MAJANSIUS PHILIPPO BULIPHONI J. C. gravissimo, S. D.*

CUm legi literas *Martini* nostri, exsilui præ gaudio. Nunc tibi ac tuæ *Linariæ* ex animo gratulor. Opto

ut utriquè veſtrûm ſit proprium gaudium iſtud. Fac ut illa inſerviat valetudini ſuæ ; tu etiam tuæ. Nunc ad veſtrum *Carolum*, voluntatem, mentem, ac verba refero.

Carole votorum quondam pars magna meorum,
Cui modo naſcenti plauſit uterque Parens:
Carole ſalveto, & Pyliam producito vitam,
Carus apudque homines, Carus apudque Deum.
Te Genitrix lactare ſuo vult ubere: felix!
Lac etenim illius cum pietate bibes.
Illa novas aures caſte, ſenſuſque ſequaces
Implebit monitis blanda ſalutiferis.
Atque rudi repetes docili cum murmure voces,
Primus in ore Deus, prima Maria tuo.
Socraticas Artes Genitor te, Carle, docebit;
Suavis & auſteris imbuet imperiis.
Illius exemplo diſces palleſcere chartis,
Sollicita & legem mente agitare Dei.
Sancto igitur prognate viro, ſanctâque Parente,
Matre eſto major; non minor eſto Patre.

Valentiæ in Edetanis, Poſtridie Nonas Martias Anni MDCCXXIX.

XXIX. *CREG. MAJANSIUS JANO INTERAMNENSI Ajalæo Doctori Theologo ſapientiſſimo, S. D.*

ARdeo cupiditate incredibili, eruditiſsime vir, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, inſinuandi me in amicitiam tuam. Ea enim es ſcriptorum tuorum claritudine, ea ingenii ſuavitate, & erga ſtudioſos omnes amore, ut qui te non admiretur, invidus, qui non exoptet affabilitatem tuam experiri, inhumanus eſſe videatur. Alieniſsimus ego ab utroque vitio. Nam ex quo mihi contigit, aliquid legere ex tuis ſcriptis immortalibus, ſtatim cœpi, te ſuſpicere, ac venerari. Et ut eſt ſtilus certiſsimus ingeniorum index, lenitatem

tuam

tuam cognovi, amavi, tentare per literas cupivi. Sed me ſæpe ad te ſcribere conantem deterruit quidam, ſive pudor pene ſubruſticus, ſive (quod certius eſt) conſcius timor imperitiæ meæ, quæ tam egregio viro ſe prodere non audebat. At poſtquam *Emmanuel Martinus* glorioſiſsimum ætatis noſtræ ornamentum miſit ad me divinam ſuam *Apaſteroſin*, cum in eo libello legerim tuum elegantiſsimum Carmen, & diſertiſsimas Epiſtolas, ita ſum denuo correptus admiratione tui, ut temperare mihi nullo modo poſsim, quin avide arripiam occaſionem hanc gratulandi tibi de perpetua conſtantia virtutum tuarum. Perge, vir eruditiſsime, Hiſpaniæ gloriam tueri. Exterorum occentationibus opponemus te. Ego interea applaudere tibi non deſinam. Et, ſi alius eſſe mei uſus non potuerit, ſaltem vota faciam pro incolumitate tua. Una cum his literis habebis Elegiam, qua noſtri *Martini Arcam* primus novum Aſtrum ſalutavi. Vereor ne illa diſpliceat auribus tuis delicatiſsimis : videorque te audire vulgatum illud objicientem mihi : Nihil graculo cum fidibus. Sed condonabis hoc ardentiſsimæ cupiditati, qua jam diu exopto, abs te doceri, & informari. Confirmo tibi ex imo pectore, me non prius incœpturum ſatisfacere mihi, quam te corrigente minus errare didicero. Vale, vir humaniſsime. Meque numera inter obſervatores tui. Salmanticæ. IX. kal. Junias. Anno MDCCXXII.

XXX. *JANUS INTERAMNENSIS AJALÆUS JUVENI optimo, eruditiſsimo, ſibique cum primis colendo Gregorio Majanſio, S. P.*

REdditæ ſunt mihi tuæ literæ ; ſuperûm fidem immortalium ! quàm elegantes ! quàm venuſtæ ! quàm ſupra modum etiam benignæ ! quàm (uno verbo) omnino plenæ concinnitatis & officii ! In amicitiam igitur te meam, quod exoptabas, non dicam inſinuaſti, leve

enim eſt hoc ; ſed planè in intimiores illius receſſus adytaque literis tuis altius te te penetraviſti; multum me interim fortunæ meæ gratulante , quòd quoquo modo meruerim , nactuſvè fuerim tuam. Legi etiam, neque ſemel, *Elegiam* tuam , quam *Muſis* ipſis *Apollineque* dictantibus , literis auro opportunius incidendis conſignaviſti. Ego verò , mi *Gregori* , odi ſemper , angue pejus & cane , blanditias. Sed id interim a me habeto : ſuſpicari me , cùm verſus tuos legerem , in *Tibullianos* , *Propertianos* , aut *Ovidianos* incidiſſe. Macte igitur iſto ingenio tuo , atque iſta dexteritate pangendi , conſcribendique: ita quippe , quemadmodum auguror , fiet , ut ſi tecum exoriantur aliqui (& ſat erunt pauci) qui idem præſtare poſsint & velint, hi Muſas (hoc eſt bonas , atque amœniores literas) ab Hiſpania jam penè exules , cum bono deo ſiſtant , ne omnes ad exteros commigrent: non ad Italos dico , Batavoſvè , ſed ad Scythas uſque , atque Maſſagetas. Tam validè enim abiguntur hodie , ac propelluntur.

Jam quod in meas laudes ſtudioſius , atque fortaſsis etiam uberius, quàm par erat, excurris ; id magni ego pretii loco habeo. Sed videſis , ne te tranſverſum egerit effuſa nimium erga me candidi prorſus animi benevolentia. Quidquid erit , ero tibi ſemper gratus acceptor , imo obnoxius etiam & verecundus ; ac proinde ſi quid operâ , aut officiis valeam , totum id licebit ut habeas inter tua. Vale. Madrito , Nonis ipſis Junii Anni MDCCXXII.

XXXI. *GREG. MAJANSIUS JANO INTERAMNENSI Ajalæo Doctori Theologo, S. D.*

DEcimo kal. Julias patrium limen ſalutavi. Meos tanquam Ulyſſes vix cognoſcebam. Nam fratercu-los quos reliqui infantes , aut infantiam egreſſos , inveni

jam

jam grandiuſculos : ſuſpexi Patrem confectum curis. Quid dicam de Matre ſuaviſsima ? cujus ad aſpectum obrigui ut marpeſia cautes. Aſsidua mei cogitatio coëgit illam dies atque noctes tranſigere inſomnes ; ſumma inedia conſequuta ; incredibilis inde corporis animique debilitas : adeo ut ſit inſtar miraculi oſsibus ſuis poſſe adhuc ſuſtineri. Siccine videam feminam ipſa virtute paullo ante valentiorem , ipſaque vita mea dilectiorem mihi, & tanto dolori adhuc ſuperſim ? Ergo meis ſtudiis hoc ſum conſequutus , ut diſtractus a ſuaviſsima meæ Matris præſentia , eam abſens excruciarem deſiderio mei; excruciatæ nulli eſſe poſſem ſolatio ? O me miſerum! cujus hæc contingunt. Sed ne videamur hactenus fruſtra philoſophiam affectaſſe , quicquid eſt laboris, patienter toleremus , & ſi quid eſt præterea , quo Deus velit patientiam noſtram exercere , id omne (adjuvante ipſo) æquo animo feramus. Tu, vir ſanctiſsime , precare Deum, ut aut vires nobis ſufferat, ad hæc & qualiacumque perferenda , aut tantis laboribus imponat finem. Vale. Olivæ. Nonis Juliis. Anno MDCCXXII.

XXXII. *Fr. JOANNES INTERIANUS DE AJALA PRÆclaro atque optimo juveni Gregorio Majanſio amico ſuo , S. P.*

QUod parentum domum , tuamque adeò , ſanus atque integer ſalutaveris , pergratum mihi fuit ex tuis literis didiciſſe. Quod verò in eadem nonnulla tibi vidiſſe contigerit, quæ non ſatis ad ſtomachum guſtumque tuum comparata erant, moleſtè fero. Graviſſima quidem ſunt hæc, ſed quæ tamen æquo ac patienti animo ferri debent , iis præſertim qui Religionis dogmatibus probè imbuti , res humanas non cœcæ atque imprudentis arbitrio fortunæ gubernari ac regi, ſed Providentiæ legibus ac placitis obedire firmiſsimis argumentis

tis perſuaſum habent. Et meminiſſe, juvenis, immo vir optime, debemus, viam hanc, per quam imus ad patriam, non mollibus deliciis ſtratam eſſe; ſed ſpinis obſitam, tribuliſque, ac muricibus undique circunſperſam. Id quod mihi injungis, planè mei muneris cenſeo. Quare nihil dubites, me apud Deum Opt. Max. precibus etiam atque etiam inſtiturum, ut Matrem incolumem ſervet, teque ad immortalitatem uſque ſoſpitet. Vale. Matrito XII. Kalend. Sextil. An. MDCCXXII.

GRE-

GREGORII MAJANSII,
GENEROSI, ET ANTECESSORIS VALENTINI,
EPISTOLARUM LIBER III.

---

1. *ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMOQUE VIRO* Don Andreæ de Orbe & Larreategui *Archiepiſcopo Valentino, Hiſpaniarum Regi a Conſiliis, Collegæ quondam in Sanctæ Crucis Majori, in Academia Pinciana Sexti Decretalium Interpreti, Violatæ Fidei apud Hiſpalenſes Inquiſitori, apud Conchenſes Præſidi, Barcinonenſi Epiſcopo,*
Don Greg. Mayàns & Siſcàr,
S. D.

DEFERO tibi munus literarium, ILLUSTRISSIME VIR, ex tuo merito, parvum; ex meis viribus, mediocre; ex animo, magnum; ab argumentis digniſsimum acceptatione tua. Juris ſunt Diſputationes variis à me conſcriptæ occaſionibus. Pleraſque earum defendi in certaminibus publicis. Reliquas amicis, defendendas tradidi. Nunc ingloriæ atque neglectæ jacebant inter adverſaria mea. Quid facerem? Permitterem eas exedendas inertiſsimis tineis? Non ita mereri videbantur, cum in ſcholaſtico pulvere, & eruditorum hominum frequentia conciliarint mihi exiſtimationem aliquam. Præterea videban-

tur

tur tales, quæ, nisi me falleret opinio, legum studiosam juventutem adjuvare possent ob multiplicium rerum cognitionem variam; provectiores etiam delectare ob non paucas opiniones, si Jureconsultorum sensum scrutemur, perantiquas; si interpretum omnium intellectum, novissimas. Ergo quamvis sapientis esse negetur, fortunam sæpius experiri ultro; eam iterum, tentare placuit. Atque, ut pro votis mihi res eveniat, libellum hunc, ad te mittendum censui, *honori*, & *meritis dedicans illum tuis*. Sic fiet, ut mihi Disputationes istæ, quantum potuerint, debeant: & ut nanciscar occasionem, qua abs te emendatus ego edoceri possim; cum in hoc, sicut in Jure etiam Canonico, & aliis scientiis, peritissimus sis, & te, ut sapientissimum Doctorem, venerari debeam, uti certè veneror. Fiet etiam (quod valdè opto) ut tibi gratus videar. Denique, ut cognoscas, sciasque; quis tibi studiorum meorum esse possit usus. Te Deus incolumem servet, sospitet Christianæ Reipublicæ bono. Valentiæ in Edetanis VII. Eidus Majas. Anno MDCCXXVI.

II. *PRÆFATIO, QUAM PRÆMISI DISPUTATIONUM Juris Libro I.*

FEstivissimè dixit (more suo) Comicorum Princeps:

Negotii sibi qui volet vim parare,
Navem & Mulierem, hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotii
Habent, forte si occœperis exornare.
Neque unquam satis hæ duæ res ornantur:
Neque eis ulla ornandi satietas est.

Idem ego quotidie prædicare soleo de Jurisprudentia Romanorum, adversus legulejos ignavissimos, qui quoniam nihil operæ collocant in exornandâ eâ, frustra etiam ab aliis collocandam putant. Fucos dixeris, non ho-

homines. Nonne poſt Boſsianos, Azones, Accurſios, Bartolos, Baldos, & Caſtrenſes, plurima Alciatus docuit, quæ illi omnes ignorarunt? Nonne quamplurima poſteà Goveanus, Auguſtinus, & Duarenus eruerunt, quæ latuere Alciatum? Num Donellus, Hotomanus, & Cujacius, Juriſprudentiæ promovendæ deſeruere viam, quia prius illi arripuiſſent? An autoritate horum ſubſtiterunt Petrus & Antonius Fabri? Numquïd ſuperiores omnes, Scientia Juris clariſsimi, à ſcribendo potuerunt deterrere Jacobum Gothofredum, qui omnium ante ſe Interpretum gloriam judicio, & induſtria ſuperavit? Omitto plures alios, egregios viros. Etiam hoc, hoc, inquam, ſeculo quo vivimus, Juriſprudentiam Romanorum mirum in modum illuſtrant duo acutiſsimi viri, Henricus Brenckmannus, & Joſephus Averanius. Ego hæc qui ſciam, videamque, in utramque dormiam? *Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus*? Deus aliam mentem. Pro virili adnitar, Spartam hanc exornare: cujus voti nunquam, niſi quàm ſerò damnabor. Itaque, ut non ſolum ipſe, ſed alii etiam viam illuſtrandæ Juriſprudentiæ ſequi poſsint; elucubravi libellum, quem *Jureconſultum* inſcripſi, in quo, ingenio maximo viros ad pulchrum provoco certamen gloriæ. Et ne imitari videar tubicines, qui milites excitant ad prælium, atque ipſi tamen non pugnant; antequam illum publicarem, è numero Diſputationum mearum decem has præmiſi, quæ libellum juſtum efforment, quem fratres deinde novem, volente Deo, ſequentur. Quid in his Diſputationibus præſtiterim, ſupervacaneum erit admonere. Tu, mi Lector; ſi Juris es peritus, cognoſces facile, quam mihi laborioſum fuerit diſputare, de rebus acutiſsimis, ſolidè; de parum cognitis, verè; de communiſsimis, noviter; de difficilimis, expeditè; denique, ubique, breviter, &, vel in obſcuris, clarè. Sin minus es intelligens, ſurdo fabulam narravero. Hæc præmonenda duxi, Prologorum morem ſequutus. Scio tamen lectoribus pleriſque, pro

non ſcriptis fore. Namque meis auribus videtur Terentianus Maurus inſuſurrare dudum:

Pro captu Lectoris habent ſua fata Libelli.

III. *DOCTOR DON MATHIAS CHAFREONIUS, PRIMARIUS in Salmanticenſi Academia Juris Canonici Profeſſor, Adoleſcenti ornatiſsimo Doctori Don Gregorio Majanſio, Juſtinianei Codicis Interpreti in Academia Valentina, S. D.*

TUum ego, mi Gregori Majanſi, Diſputationum Juris inæſtimabilem librum libenti animo acccepi; libentiore legi, perlegi. Vis tibi proferam judicium? Vix ego poſsim explicare. Hoc tibi ſanctè dejero, viſas mihi miracula Diſputationes tuas. Admiror enim in ſingulis, ſummam copiam, brevitatem, perſpicuitatem, elegantiam. Argumenta partim communia ſunt; remota partim. Experiri voluiſſe videris, quid in utriſque poſſes perficere. Communia enim, noviter: nova, communiter ſcribis. In illis es ingenioſiſsimus; judicioſiſsimus in his; feliciſsimus in omnibus. Quid de emendationibus dicam? Tuæ dignæ ingenio: & quæ vel ſine autoritate tua, ob ipſam, inquam, evidentiam, admitti deberent. Sed fortaſſe nihil majore prædicatione dignum, quàm facilitas tua ſcribendi. Audio enim te diebus ſingulis per tres explicare horas Inſtitutiones Juſtiniani. Scio præterea, quantus helluo ſis lectionis variæ: quam officioſus omnibus. Video denique te crebrò libellos emittere. Et tamen otium ſupereſt tibi, ut graviſsimas ſcribas Diſputationes Juris, tanto ingenio, tanta eruditione, & facundia prædita, ut videare dies noctesque, nihil meditari aliud; nec cogitare aliquid, niſi ut ex omni antiquitate ſelectiſsima excerpas, & oratione illuſtres nitidiſsima, omnino aurea. Macte igitur adoleſcens præſtantiſsime. Perge quâ cœpiſti. Majorum gentium Jureconſultis, qui-

bus

bus nunc jam potes comparari, ſuperior eſto. O utinam, utinam; ut ego poſsim in dies magis, & magis gloriari auditore tali, cui primam Juris Canonici in hac noſtra Academia detuli lauream: utque Hiſpania renovet hoc tempore Goveanorum eximiam, Covarrubiarum, & Auguſtinorum gloriam. Deus ita faxit: & te incolumem, ſanum, vegetumque ſervet literarum bono. Salmanticæ XIV. Kalendas Martias An. MDCCXXVI.

IV. *DOCTOR DON SIMON BALNEARIUS, INSTITutionum Juſtiniani in Salmanticenſi Academia matutinus Interpres, Jureconſultiſsimo Adoleſcenti Doctori Don Gregorio Majanſio, Anteceſſori Valentino, S. D.*

PErjucundæ mihi, imò admirabiles fuerunt tuæ literæ, quibus omninò ſum expertus, tuam in me voluntatem, ne de me dicam judicium, quod à tuo animo prolixo, & humanitate ſingulari certiſsimè proceſsit. Mene idoneum putas tuarum Diſputationum cenſorem? Tam eſſem efrons, ut munus hoc abs te amicè mihi delatum, ſeriò auderem ſuſcipere? Deus aliam mentem. Non ſi me in ambulatiunculis, quas hic habuimus, expertus es contentioſum, ut te de rebus maximis acutè, ac eloquenter diſputantem audirem; nunc habebis alium, quàm admiratorem tui. Vellem etiam, dignum laudatorem eſſe. Sed noſtræ opis non eſt. Nam, etſi mihi nihil videtur, facilius eſſe, quam tua ſcripta laudare; nihil tamen experior difficilius, quàm id ipſum præſtare, prout eorum dignitas poſtulat. Cum enim in alienis ſcriptis nihil excellens conſiderem, quod non emineat in tuis; vix ſingula percurrere volenti oratio ſuppetit, quæ ipſe in te admiror, & adnitor dicere. Quibus enim verbis efferam ingenium, judiciumque tuum, quibus ita Deus nobilitavit te, ut videatur velle, veluti miracula nos

venerari ea? Quibus extollam laudibus memoriam tuam, quæ velut antiquitatis penus ſuppeditare tibi videtur ſelectiſsima quæque teſtimonia, & exempla, ex omni ævo? Quâ oratione prædicabo ſtilum tuum? Quid eo eo eſt ordinatius? purius? elegantius? Quid copioſum æquè in tanta brevitate? Imò, quid copioſum æquè in verborum copia majori? Maximas ob tuam doctrinam tibi debeo gratias. Maximas tibi debet Hiſpania ob tantam gloriam, quâ per te fruitur. Maximas ipſa Juriſprudentia ob lucem illam clariſsimam, quæ accrevit ei, à Diſputationibus tuis. Maximas denique tu ipſe immortali Deo, à quo tam excellentibus donis locupletatus es. Vive igitur memor beneficii tanti: & bono publico natus diu vive. Salmanticæ Poſtridie kalendas Martias Anni MDCCXXVI.

V. *EXCELLENTISSIMO DOMINO DON ANDREÆ de Orbe & Larreategui, Archiepiſcopo Valentino, & Regii Caſtellæ Senatus Gubernatori ſapientiſsimo.*

HÆc Theoremata Juridico-Canonica inſcripta tibi, Excellentiſsime Domine, ad te audeo mittere, non quòd ea exiſtimem, digna eſſe, quæ à te occupatiſsimo viro mereantur legi (quid enim Regii Senatus Gubernatori vigilantiſsimo, maximis intento negotiis, cum Diſputationibus umbraticis adoleſcentuli otioſi?) neque quòd putem me tibi venditare poſſe pro vero obſequio fumum, cùm hujuſmodi munuſcula (ſi poſſunt ita nominari) vel ab ineptiſsimo quoque facile deferri queant: ſed quòd ejuſmodi ſunt, ut licet ego nollem, ſuâ tamen ſponte, ſe tua eſſe dicerent, utpote ab eo profecta, quem tot beneficiis devinctum, veluti nexu quodam feciſti tuum. Itaque, ſive tu has Theſes probaveris, ſive improbaveris eas; tuæ tamen illæ futu-

turæ ſunt ea lege, qua cetera quæ ſunt in bonis noſtris, ut, ſi placeant, maneant; ſin aliter, liceat, pro derelictis habere. Me quocumque modo juvabit, ſatisfeciſſe conatui benemerendi de te, quoniam aliter nequeo videri gratus. Tu, Excellentiſsime Domine, pro humanitate tua, bono meo animo contentus eſto: ſic integritas, & juſtitia in te vigere pergant, ut in te diu admiremur *Covarrubiarum*, ac *Ramorum* (qui, & quanti viri!) & felicitatem, & ſapientiam. Ita Deus faxit. Valentiæ in Edetanis. VIII. Kal. Julias. Anno MDCCXXVII.

Tibi devotiſsimus

Joſephus Scrigius & Matoſes.

VI. *ILLUSTRISSIMO DOMINO* DON ANDREÆ DE Orbe & Larreategui, *Archiepiſcopo Valentino*, & *Regii Caſtellæ Senatus Gubernatori meritiſsimo.*

FElicitati ducerem maximæ, ſi tam grato animo acciperes hoc literarium munuſculum, quam ego defero tibi ad te propenſo. Nec dubito plane, quin ita futurum ſit. Nam tua illa benevolentia quæ me cogit eſſe gratum, faciet etiam ut grate atque jucunde percipias hos fructus, non tam ingenii mei, quam liberalitatis tuæ. Præterea confido, placiturum tibi donariolum quod refricabit dulcem memoriam ſtudioſorum laborum, per quos feciſti digna omnium plauſu tua illuſtria merita. Unum illud me angit, quod in hac occaſione, in qua ego poſſem oſtendere venerationem meam erga tuas virtutes; tu pro tua modeſtia quæ (licet tacite) Tribunicia quadam poteſtate intercedit; id minime ſines; eò ſane iniquior tibi, quo æquior omnibus es. Nam

qui

qui ceteris faves, tibi soli infensus præcludis aditum omni laudi. Enitere autem quantum licet, efficere poteris ut domestici sileamus laudes tuas; non ut desinamus de te sentire egregie; non ut Hispania omnis obmutescat: quæ plane videt te, in egentissima Urbe providentissimum annonæ, corruptelarum emendatorem, delictorum ultorem, inimicum vindictæ, Justitiæ amantem, malorum perniciem, bonorum confugium. Auget apud omnes amorem admirationemque tui, cum liberalitas, tum affabilitas efficiens, ut sis, magis alienus, quàm tuus; cum te communices omnibus, & nulli neges; cum neminem excludas, etiam miserum; neminem anteferas etiam divitem; quemlibet, aut re, aut consilio juves. Denique cum talem te geras in maximo Justitiæ clavo, ut pro quiete publica semper sis irrequietus, nullum alium expectans præmium præter gaudium publicæ felicitatis adipiscendæ per labores tuos. Verum publica tua erga Hispaniam, Regemque merita alii referant, extollantque. Privata erga me, veluti ingratum, & immemorem jamdiu me incusabant. Publice igitur protestor, me singulari benevolentia, optimis consiliis, ac ingentibus beneficiis abs te ornatum, veluti alterum Parentem habere, ac venerari te. Unum hoc enixe rogo, ut tot beneficiis erga me tuis, novum hoc addas gratam acceptamque hujus munusculi oblationem.

Præfixerunt hanc Dedicationem suis Propositionibus Legalibus, quas in Gandiensi Theatro uno eodemque die, 9. scilicet Kalendas Octobres anni 1730. strenue, me Præside, propugnarunt, D. Augustinus Baxterra, & D. Josephus Amusquibar, auditores mei.

O mihi Thesea pectora juncta fide!

IL-

VII. *ILLUSTRISSIMO DOMINO* DON ANDREÆ DE Orbe & Larreategui, *Archiepiſcopo Valentino, & Regii Caſtellæ Senatus Gubernatori meritiſsimo.*

VIrtutes tuæ tot ac tantæ ſunt, ut minime mirandum ſit, eſſe quamplurimos qui ambiant Patrocinium tuum. Quippe ſumma prudentia moderaris maximum Juſtitiæ clavum: & neque ſuperbum te faciunt dotes ingenitæ; neque per longum ſtudium & experientiam quæſitæ; nec favor Principis; neque tot Clientium obſequia. Faciles aditus, benignoſque affatus unicuique præbes. Non te alicujus gratia a Juſtitia deflectit. Non potentium timor ab æquitate ſemovet. In privatis cauſſis publiciſque ſic verſaris, ut mentis tuæ vaſtitatem prope incredibilem, & ſingularem ſapientiam ſuſpiciant omnes. Quî aliter cum tot tamque diverſa munera egregie obieris? Didiciſti Privatus quid ſingulis; Collega quid ſocietati hominum; Epiſcopi Vicarius quid litigantibus; Violatæ Fidei Quæſitor, Quæſitorumque Præſes quid Religioni; Epiſcopus & Archiepiſcopus quid ovibus; denique Juſtitiæ ſummus Antiſtes quid debeatur omnibus. Mirandum igitur non eſt, te paſsim quæri Patronum ob tot egregias virtutes. Idque eò juſtius atque libentius ego facio, quò magis omnibus eſt notum, me aliud facere non poſſe. Nam ex quo fratrem meum, non privata ſolum ſignificatione aliqua, ſed publica etiam commendatione, ac tuo teſtimonio graviſsimo exornare voluiſti; tibi devinxiſti in perpetuum *Majanſiorum* Gentem. Neque tuus ille favor ſucceſſu caruit. Effecit enim, ut, frater meus animo infracto & conſtantiſsimo indignitatem repulſæ, ſumme verteret gloriæ. Sciebat enim optime Dignitatibus omnibus atque triumphis anteferendum eſſe Patrocinium tuum ſolos benemeritos amplectens. Quoniam igitur & tua publica merita, & privata erga gentem meam beneficia omne poſ-

tu-

tulant obſequium, patere me tuos præfigere Titulos ſyſtematibus iſtis Propoſitionum legalium, ut tuo lecto nomine torqueantur invidi iniquitatis conſcientia, excitenturque boni ad bene de te, ac de Republica merendum. Sic tu perpetuo ſis felix. Sic te Rex Catholicus propter integritatem vitæ, conſiliorum ſapientiam, & circa juſsiones fidem prope ſe habere perſeveret, & remuneratione afficiat majori, ut enixis votis efflagitat a Deo Opt. Max.

Illuſtriſsime Domine,

Tibi addictiſsimus & obſequentiſsimus Cliens

Don Emmanuel Mayàns & Siſcàr.

VIII. *BENEDICTO XIII. PONTIFICI MAXIMO.*

Beatiſsime Pater.

IPſam Dei gloriam commendo tibi, cum his literis ſupplicibus in tuam mentem revoco præclariſsima merita venerabilis viri *Don Joannis Riberæ* Patriarchæ Antiocheni, & Archiepiſcopi Valentini. Unus ex eis fuit, qui ob innocentiam vitæ, ac Divinæ gratiæ abundantiam fecere ſeculum illud, verè aureum. Dixeris hominem a Deo datum. Unâ cum lacte ſuxit veræ Religionis amorem. Vix in eo ratio illuxerat, jam hæreticos oderat, ac duo illa inferorum monſtra, *Conſtantinum*, & *Ægidium*, pietatem ſimulantia longe ab ſe rejecit. Auguria illa fuerunt reportandæ poſtea victoriæ a Mauruſiorum gente, quam impiam fæcem Patriarcha autore & impulſore, *Philippus Tertius* ab Hiſpania expulit. Adoleſcentulus cum eſſet, morum exemplar erat,

non

non coætaneis modo, ſed ſenioribus etiam; adeo ut pius ille ſapienſque vir, *Dominicus Sotus* e cathedra & in magna dixerit frequentia, miſiſſe Deum *Riberam* ut ad ejus morum exemplar componerentur ceteri. Quid ætate progrediente feciſſe dicam, qui talis erat puer? Renunciatus Doctor Theologus ſapientiam e Cathedra, pietatem ubique profeſſus eſt. Electus Epiſcopus Pacis Juliæ ſuas omnes oves doctrina pavit, largitione paupe-res, & egeſtati ſublevandæ, deficiente pecunia, vendi-dit bis, a Patre ſuo nobiliſsimo *Don Petro Afanio Ri-bera* ad ſe ſemel iterumque ſupellectilem miſſam. Deni-que creatus Archiepiſcopus Valentinus, & Patriarcha Antiochenus, dignum ſe illo, qui ſemper fuerat, præſ-titit. Sibi (ut in omni anteacta vita) præparcus erat, e-fuſiſsimus in pauperes, præſertim in eos qui Deo pau-pertatem voviſſent, & in egenas viduas, virgines indo-tatas, noſocomia, orphanotrophia. Singulis diebus poſt peracta ſacra, ac Deo gratias habitas confitentibus va-cabat: ipſe poſtea ſacram adminiſtrabat Euchariſtiam: ipſe ſæpiſsime deferebat eam ad ægrotos. Sæpe viſitavit Provinciam univerſam, erogatis in pauperes copioſiſsi-mis ſummis. Ipſe ad populum ſacras orationes habebat: vix ſuggeſtum fuit in omni Dioœceſsi, e quo ille con-cionem non habuerit. Diffidenſque ſui laborum comi-tes afferebat magnum illum *Anadonem* tuum, eique ſi-miles Apoſtolicos viros. Synodum ſexies congregavit, & mille abuſus profligavit, diſciplinam morum ſtabili-vit, divinum cultum auxit. Viſitabat ægrotos uno comi-tatus præfecto largitionibus piis. Nec liberalis ſolum Ar-chiepiſcopalium redituum diſpenſator erat, ſed ſui e-tiam patrimonii in Deum reſtitutor (ut ita dicam) mu-nificus. Sumtibus ſuis fundavit Capuccinonum Provin-ciam: conſtruxit etiam Capuccinarum cœnobium. Au-guſtinianarum invexit reformationem, & Ordinario ſub-didit. Denique erexit inſigne illud *Corporis Chriſti Col-legium* toto Orbe celeberrimum ob Dei cultum eximium.

Hæc qui foris agebat, quid domi ſuæ peregiſſe dicam? Juſtum exigebant volumen ejus vitæ puritas, innocentia, in ſe ipſum aſperitas, jugiſque Dei meditatio. Duodecim pauperes toto anno domi ſuæ alebat. Præterea nobiles, ſed egenos pueros educabat quamplurimos, tum apud ſe, tum alibi magno Reipublicæ bono. Familiam habuit Epiſcoporum Seminarium, utpote ex ea duodecim infulati fuerunt. Nonne tibi videtur, *Beatiſsime Pater*, ſe in eo viro Deum oſtendiſſe mirabilem? Atqui quod dixi vix earum rerum quas referre poteram, pars eſt milleſsima. Hoc unum addam. In omni vita nihil antiquius habuit, quam ſacri *Corporis Chriſti* venerationem promovere. Quintis omnibus feriis, innixus genibus in maximi ſui ſacelli angulo, matutino tempore tres horas integras, veſpertino totidem infixus erat. O Chriſtianæ fidei ſolidiſsimam columnam! Jam non ego miror ſanctiſsimum illum Anteceſſorem tuum *Pium V.* cujus, ut officii ſucceſſor, ita etiam & vitæ repræſentator es, miſiſſe ei Pallium, dum Epiſcopus eſſet: qui honos (ut noſti) nunquam præter ordinem deferri ſolitus, niſi viris illis, quorum merita erga Chriſtianam Rempublicam ſingulariſsima eſſent. Quæ cum ita ſint, non (puto) dubitabis favere meritis ejus, quæ tam illuſtri teſtimonio comprobata ſunt. Ergo Sanctiſsime *Benedicte*, Pontifex Maxime, per Dei gloriam quam tantopere promoves, te oro, & obteſtor, ut jubere digneris peragi cauſſam apud te pendentem de tanto viro in Beatorum album referendo. Cujus cauſſa etſi nullo deprecatore indiget, ſpero te minime repudiaturum illum. Tibi enim adhibeo *Antiocheni Patriarchæ* amiciſsimum *Divum Ludovicum Bertrandum*, qui quem in terris habuit in *Chriſto* ſibi cariſsimum, & in cœlo nunc ſempiterna caritate conjunctum, eundem vult, & (ſi fas eſt dicere) optat, ut ſcribas in Beatorum matricula. Deum optimum veneror, ut hanc tibi mentem det, ac ut imperii tui felicitatem in Eccleſia perennet, & in dies

pro-

prosperet. Abs te autem obsecro ut mihi benedictionem largiaris, utque a Deo impetres, ut me tali viro similem sua gratia faciat. Mantuæ Carpetanorum, &c.

Scripta fuit hæc Epistola jussu Illustrissimi viri D. Andreæ Orbis & Larreategui, Archiepiscopi Valentini, & Regii Castellæ Senatus Gubernatoris. Scripsi ego Greg. Majansius Anno 1729. sexto decimo Kal. Januarias.

IX. *BENEDICTO XIII. PONT. MAX.*

Rector & Valentinum Collegium Corporis Christi F. P.

Beatissime Pater.

SI quam habet famam hoc *Regale Collegium*, uti certe habet ubique gentium ob eximiam statamque Divini cultus observantiam, illam omnem debet venerabili Viro *Don Joanni Riberæ* Patriarchæ Antiocheno, & Archiepiscopo Valentino, Institutori nostro. Admirantur omnes & obstupescunt tantam in sacris ritibus peragendis gravitatem majestatemque, ut videatur Deus in Terris non potuisse sanctius coli, nisi e cœlo Angeli delabantur, ministratores ejus. Tantam sacrarum cæremoniarum curam, & tam exactam sollicitudinem a quo dicemus proficisci potuisse, nisi ab eo qui habebat inflammatissimum pectus Divini cultus amore, quique nihil unquam antiquius habuit, quam ut omni modo, quo posset, animis hominum infigeret *Corporis Christi* adorandum mysterium? In eum finem ipse pium illum morem invexit qui ad hunc usque diem in Hispania obtinet, ut *Sanctissimi Corporis* præfatis laudibus, conciones omnes incipiantur. In eum etiam finem nunquam ipse voluit insignibus suis gentilitiis uti; sed eis prætulit venerandi Sacramenti signum. Eucharistiam sacram ipse ministrare gaudebat, ac felicitati summæ deputabat ad ægrotos deferre. Denique suæ devotionis

posteritati reliquit monumentum perpetuum, cum *Corporis Christi* adorando nomine, hoc indigitavit *Collegium*. Tali nos, *Beatissime Pater*, Institutore gloriamur; cujus probatus spiritus laudatusque fuit piis omnibus viris, quos eo tempore Hispania eximios habuit. Probatus enim *D. Ludovico Bertrando*, *D. Theresiæ a Jesu*; & cui non probatus? Cum etiam apud exteras Nationes virtute celebres viri, amicitiam ejus expetiverint, ut institutionem vitæ, officiique sui regendi ab eo acciperent: e quorum numero pro millibus nominare unum sufficiat insignem illum Præsulem, & sacræ Purpuræ ornamentum maximum, *D. Carolum Borromæum*. Igitur mirandum non est, sanctissimum illum Antecessorem tuum *Pium V.* cujus Tu es Orbi Christiano imago viva, cum eligeret eum Patriarcham, hæc ipsissima verba apud Cardinales habuisse. *Est* (inquit loquens de *Don Joanne Ribera*) *lumen totius Hispaniæ, rarum exemplum virtutis, & probitatis, specimen morum & sanctimoniæ, adeo ut ipsi erubescamus ad ejus humilitatem & parcimoniam. Non solum exercet munus Episcopi, sed etiam Parochi, ministrando sacramenta, & deferendo ea usque ad domos infirmorum: & agit potius vitam monasticam, quam Episcopalem. Et multi Episcopi in Hispania sequuntur vestigia illius.* Quid hoc illustrius testimonio? Otiosum igitur addere quæ de illo senserint ac dixerint felicis memoriæ Antecessores tui *Clemens VIII.* ac *Paulus V.* quorum hic eò progressus caritate erga Patriarcham, ut ademerit sibi Pectoralem Crucem, eique miserit. Quid ergo deest, sanctissime Pontifex *Benedicte*, nisi tuus calculus? Virtuti favebis cum faveris Antiocheno Patriarchæ. Religionis causam exaltabis, cum eum extuleris: quo autore factum est ut ab Hispania expellerentur Mahometanæ fæces. Dei gloriam augebis, cum Dei servum super altaria erexeris. Igitur per pietatem tuam, per justitiam tuam, per viri merita illustrissima, per Divinæ gloriæ incrementum, pro Parente Filii (licet immeriti)

ob-

obſecramus te (utinamque exoremus) ut peragi jubeas cauſſam apud te pendentem de referendo in numerum Divorum tam venerabili viro. Facies rem digniſsimam imperii tui felicitate, & virum tibi devinxeris, cujus preces apud Deum maximam tibi affere opem poterunt ad Chriſtianæ Reipublicæ procurandam ſalutem. Nos a Deo petimus enixe ut te diu ſervet incolumem Catholicæ Religionis bono: & abs te obſecramus ut benedictionem tuam largiaris nobis. Valentiæ Edetanorum. . . . . Anno MDCCXXIX.

Ego Greg. Majanſius hanc Epiſtolam ſcripſi Anno 1729. ſexto decimo Kal. Januar.

X. *GREG. MAJANSIUS VINCENTIO ALBINIANÆ, Profeſſori Valentino & amico ſuo egregio, S.D.*

LIteras tuas jam diu expecto, neque ullas video. An quia deeſt argumentum? At de hoc ipſo queri poteras, & argumentum haberes. Iſta ceſſatio literarum certe me ſollicitat. De tua igitur ſalute, tuiſque rebus fac me certiorem, & noli poſthac committere, ut excuſatione potius expleas officium ſcribendi, quam aſſiduitate literarum. Si vis ſcire quid agam, lego, ſcriptito, deambulo, valetudinem curo diligenter. *Decani Alonenſis* literas illas ad Serreſium, quas cupiebas legere, inveni, & his adjunxi. Eruditæ ſunt, elegantiſsimæ, perbellæ, ut ejus omnia. Eorum exemplar his adjunxi. Si quid acciderit novi, facies ut ſciam. Vale. Olivæ. Kal. Septembribus MDCCXXIX.

XI. *EMMANUEL MARTINUS JANO SERRESIO GAllo, Congregationis Oratorii Presbytero, S. D.*

NIhil potuit mihi accidere optatius, vir ornatiſsime, quàm hoc literarum officium, ad quod perhuma-

maniter mē vocas; ut hæc noſtra inter nōs neceſsitudo, ſtudiorumque ſocietas, in omnem poſteritatem propagetur. Illud verò me rubore maximo affecit, te ingenii noſtri nervulos, ſi qui ſunt, tanti feciſſe, ut pares judicaveris, *Meditationibus tuis metaphyſicis* (verbis tuis loquor) corrigendis, emendandis, delendis. Quandoquidem autem, pro tua in nos benivolentia, viſum tibi eſt opera noſtra uti, morem tibi gerens, quid in ea re, obſcuriſsima profecto ac ſalebroſiſsima, aſſequar ſentiamque, facilè prodam. Ea tamen conditione, ut ſi ineptiæ tibi noſtræ minus arriſerint; me nugas egiſſe omnino putes. Ais igitur initio ſtatim operis, te nunc demum agnoſcere, ætate retrò acta, multa in animum tuum irrepſiſſe falſarum opinionum ludibria, quibus te tamquam compedibus implicitum atque irretitum, ad veritatem inveſtigandam obtorpuiſſe. Quam tu tamen veri cauſſarumque ignorationem ſenſuum fraudibus adſcribis. eoque fidem iis abrogandam cenſes. Quòd ſi ita eſt, facere non poſſum quin id ex te quæram, cujuſnam rei vel ope, vel monitu, veterum opinionum falſitatem deprehendiſti? Certè, vel ſenſuum vel rationis. Præterea enim nihil eſt, cujus in hac re auxilio uti poſsis. Si ſenſuum, temerè quidem facis, quando eorundemmet fidem, vel infirmam ſtatuis, vel nullam. Undenam, quæſo, exploratum tibi eſt, quin tum illi maximè veritatem objiciant, quum tibi fallere maximè videntur? Cùm præſertim cenſeas, tum eos fallere, quum videntur ſedulò veritatem objicere? Si rationis, graviùs peccas. Quî enim à judice te liberatum iri confidis, vel ſenſuum pravitate detorto, vel præſtigiis corrupto? Illi enim rationis ſunt veluti adminiſtri; quorum eſt munus, ei externa omnia nunciare, atque deferre. Quòd ſi vel falsò id exſequantur, vel præpoſterè, rationis judicium conſtare minimè poterit. Mea diligentia, inquis, meiſque artibus, eorum fallacias occupabo, inſidiarumque ſuſpicione facilè me ſurripiam. At cave profectò, ne

dum

dum fidem ſenſibus funditùs detrahis, ad indagandam veritatem, quod unicè cupis, tibimet aditum præcludas. Quò enim te referes in tanta rerum caligine, abjectis ſenſibus? Qui ſi nos deficiant; nec pedem uſquam tutò figere licet, nec certi aliquid definire. Quandoquidem illi rerum ſpecies extrinſecus objiciunt; ex quibus, aſsidua cogitatione commentationeque, illa in animo noſtro coaleſcunt ſimulacra, quibus ſcientiarum ratio conſtat ac ſuſtinetur. Ais te tanto operi aggrediundo jam pridem fuiſſe paratum, eaque te cura multò antea confectum; diſtuliſſe tamen in id ætatis, in quo ratio & conſilium plenè adoleviſſent; ut ne te aliquando pœniteret inſtituti tui, vel præmaturè ſuſcepti, vel præproperè. Quaſi verò ætate ſenſuum fides augeretur, ac minus illi deſiperent: vel cautiùs nobis conſulere daretur, oppreſsis domeſticis eorum inſidiis; quas nec damnare licet, nec rejicere; nedum effugere. Quamobrem immenſi moliminis res eſt (ne dicam irriti) vera à falſis dijungere velle ac ſegregare (quod ipſe conaris) &, quaſi adhibita vanno, è tot quiſquiliis, & fallaciarum glumis, purgatiſsimam veritatem educere. Præſertim tibi, cui ſenſuum fides vel abrogata penitus vel ſuſpecta. Quonam igitur utendum tibi eſt criterio? Quî, ſodes, offuſam tibi caliginem abſterges? Equidem te jam in iis ipſis quæ ſtatuis, ſpecie veri deluſum agnoſco. Ais enim te rebus iis fidem habere, quas ſimpliciſsimas appellas; cujuſmodi ſunt corpus, locus, numerus, tempus. Atqui ea omnia *Pyrrhonii* jam olim acutiſsimis argumentis exploſerunt. Itaque & Geometriam, & Phyſicam, & Arithmeticam, & Muſicam de medio tollebant. Tametſi illi multò cautiùs quàm tu. Propterea quòd ipſi, cùm de ſingulis rebus dubitarent; nihil omnino ſtatuebant: nec illud quidem ſe nihil certi ſtatuere. Quamobrem & *Zetetici* dicti ſunt, & *Sceptici*, & *Ephectici*, & *Aporetici*. *Zetetici* quidem, quòd ſemper in veritatis inquiſitione verſarentur. *Sceptici*, à diuturna opera, quam in ſpeculan-

lando, perpendendo, consiederando, impendebant. *Ephectici*, à cunctando, & hæsitando. *Aporetici* denique, quòd semper addubitarent. Tollebant enim omnem demonstrationem, & judicandi instrumentum. Tu verò cùm sensibus bellum indixeris, veritatis tamen latebras rimandas suscepisti. quod omnium est longè difficillimum. Diutiùs in *Pyrrhoniana* hac schola præluderem, cui semper fui addictissimus, nisi mihi tecum res esset, viro doctissimo, & singulari industria prædito: cui non dubito quin *Scepticorum* omnes disputationes, tractatus, commentationes (præsertim *Sexti Empirici*, viri acutissimi) jam pridem notæ fuerint atque perspectæ. Interea tamen sic habeto, me libentissimè amplecti *arrepsian* tuam; quæ ad veritatem indagandam plurimùm valet: quam natura in profundo penitùs abstrusit, ut ajebat *Democritus*. Cave sis autem ne *Xenophanis* illud te deterreat:

Kai to men oyn saphes oytis aner iden, oyde tis estai
Eidos.

Quod ad me attinet, postea quàm *Eustathium* dimisimus, nescio quis me torpor invasit, & fastidium gravioris studii. Ne tamen nihil agere videamur, sæpe tractamus literulas; non tam erudiendi animi caussa, quàm ut eum à calamitosissimi temporis abstrahamus molestiis. Vale. Mantuæ novæ in Carpetanis, III. Eidus Januarias MDCCVII.

XII. *EXCELLENTISSIMO VIRO D. D. LUDOVICO, Ignatio, Francisco Borgiæ, Carrotio & Scintillæ, Fernandetio Cordubensi, Pontio Legionensi, Ximenio Urreæ, Duci Gandiæ, Comiti Olivæ, &c. Clavigero majori Religionis Montesianæ; Administratori perpetuo Commendæ Calzadillæ in Jacobæa Militia; Hispaniarum Regi à Cubiculo.*

Don Franciscus Pasqual & Miralles,

S. D.

OPtavi semper, Excellentissime Vir, ut occasio aliqua sese mihi offerret, qua meum erga te, gratis-

tiſsimum animum, publicè declarare poſſem. Igitur avidè nunc arripio eam. Supremam Juris Laureolam accipere cupiens, in animum induxi, me non poſſe illam honeſtè petere, niſi in Juriſprudentia aliquod edidero prius bene navatæ operæ exemplum, uti ſolebant olim, qui militari aliqua corona inſigniri cupiebant. Idcircò ex variis, & difficillimis oppidò argumentis Juris, Propoſitiones iſtas ſelegi, quas diſputationi publicæ examinandas proponerem. Has ego ſpero, eò magis futuras conſpicuas, quò plus adjeci novitatis, non ejus quidem, quæ à Jureconſultorum mente aliena ſit, (quod dedecet interpretem) ſed quæ illi maximè conſona (quod debet eſſe apud nos, veritatis norma) in eo præferat ſolùm aliquam novitatis gratiam, quòd occulta prius ſententia, nunc tandem pateat. Præterea, cùm ægre ferrem, peritiſsimorum in aliis Facultatibus objurgationes hominum, qui dum Scientiæ noſtræ latitudinem non conſiderant, incuſant graviter, non ita facile noſtrates defendere ſolere variam argumentorum copiam, ut in Diſciplinis aliis, vel tirones faciunt; meum eſſe intellexi, ut pro virili adniterer, illam inertiæ opinionem à me propellere. Faciam autem periculum, non ingenii mei fiducia, quod planè ſentio, quam exiguum ſit; ſed ejus auxilio confiſus, cui nomen dedi; ſub cujus clypeo tutior confido eſſe, quàm ſub fortiſsimi *Ajacis*, *Teucer* ille. Quoniam igitur hìc mea exiſtimatio agitur, meminiſſe tui neceſſe debeo, ut ſi quis gloriæ fructus (quantuluſcunque ille) mihi acceſſurus ſit, eum in obſequium tuum, derivem omnem; non quòd ſic exiſtimem nomen illuſtrare tuum, tot Anteceſſoribus egregiis, Principibus, inquam, Imperatoribus, Regibus, Pontificibus, ſanctiſsimiſque viris ac fœminis, toto orbe clariſsimum; ſed ut tibi omninò perſuadeas, me qui in hac re puſilla, cupio tibi eſſe officioſus, in majoribus aliis officioſiorem fore (quod ſpondeo tibi, atque recipio ſolemniter) quandocumque mea facultas, aut occaſio tu-

lerit. Poſtulo igitur à te jure humanitatis tuæ, qua me ac meos complecteris, ne deſpicias nunc tenuitatem muneris, ſed voluntatem egregiam ſuo pretio æſtimes. Vale, Vir Excellentiſsime. Ego Deum veneror, ut gens tua clariſsima novis adaucta gloriis de perpetuitate certet cum diuturnitate Mundi. Valentiæ in Edetanis, Pridie Nonas Januarias, Anni MDCCXXVII.

XIII. *FRANCISCUS BLANQUETUS DOCTORI DON Gregorio Majanſio & Siſcari Jureconſulto eximio, & Valentino Legum Anteceſſori celeberrimo, cariſsimo capiti ſuo, S. D.*

MIrabere forſan, doctiſsime *Gregori*, me tibi Latine ſcribere auſum, qui nec vulgari ſermone id præſtare ſatis queam. Ceterum etſi verum hoc eſſe fateor (nec enim verſum ullum te dignum exarare me poſſe cenſeo) gratiſsimum tamen tibi futurum confido, quod in re honeſta periculum fecerim, cum vel ſola aſſequendi voluntas non minimum laudis afferre conanti ſoleat. Eſt enim interdum laus velle quod non poſſis, modo honeſtum quid præclarumque intendas. Spe itaque hac ductus, ac ſimul incredibili quodam perculſus deſiderio terſiſsimum literarum tuarum ſtilum, qui mihi videtur aurei ſeculi ſimilimus, poſthac, quantum poſsim, imitandi, impolito meo manum admovere libuit. Ut vero illud aſſequi poſsim, eſto mihi, eruditiſſime *Majanſi*, veluti *Mercurius* vialis. Indica, quæſo, viam, qua ad Antiquitatis itur cognitionem. Mitto humaniſsimi conſultiſsimique viri Doctoris *Joſephi Fineſtreſii* ad literas tuas reſponſum. Tui amantiſsimum eſſe haud dubites velim : qui ut eſt eruditiſsimus, ſimilem te ſibi avidiſsime quærit, & amat. Ego etiam ex animo. Vale. Cervariæ, Poſtridie kal. Mart. an. MDCCXXVII.

GREG.

XIV. *GREG. MAJANSIUS FRAN. BLANQUETO, ANteceſſori Cervarienſi, S. D.*

CUm mihi nihil videatur inficetum æque, quam inſipida Juris, aut cujuſque ſcientiæ cognito, nullâ eruditionis mica condîta; optime quidem guſtui indulges meo, cum ad eximiam notitiam, quam in utroque Jure adeptus es, adjungere te velle ais majorem antiquitatis cognitionem, & elegantiam ſermonis (quantum in te ſit) aureo ſeculo proximam. Tu id quidem facies pro tuo ſingulari judicio. Nam quo plus habueris notitiæ priſci ævi, eò magis penetrabis in abdita Juris myſteria, ad quæ nemini unquam acceſſus patuit, niſi hac via. Hanc eandem trivere viri maximi *Ant. Auguſtinus*, & *Jac. Cujacius*, utriuſque Juris Anteſignani egregii. Hanc etiam tu, ſi ad veram gloriam contendis, fortiter inſiſte. Sic fiet breviter, ut qui ad hunc diem ſucceſſu progreſſus es tam proſpero, utroque jure diſcendo, docendoque, multò majorem poſthac in dies facias, utque bono publico magis prodeſſe poſsis. Me ſi non adjutorem, (ut de me falſo ſperas) incitatorem tamen habebis, ut qui tibi omnia honeſtiſsima cupiam. *Joſephi Fineſtreſii* literas accepi, doctas, elegantes, humaniſsimas. Conciliaſti mihi amicum eruditiſsimum modeſtiſsimumque. Gratias tibi debeo immortales. Vale. Valentiæ in Edetanis. XIV. kal. Aprileis Anni MDCCXXVII.

XV. *FRANCISCUS BLANQUETUS GREGORIO MAjanſio, S. P.*

JAm pridem *Fineſtreſium* noſtrum, tui cauſſa, magis amo. Amat te ille viciſsim, quàm poteſt maximè. Te carius, habet nihil. *Majanſii* ſui eruditionem, ingenium, & diligentiam, tollit in aſtra. Inceptis te per-

ſtare, avet plurimum. Ut vel hinc intelligas, quàm brevi altas radices egerit amicitia veſtra. Vis cum eodem, de re Literaria diſputare? Perge: ſponte ſua aderit ipſe, operâ mea nulla. Exulto gaudio, quod vobis literarum commercium, me procurante, patuerit. Quippe quod non exiguo Juriſprudentiæ ornamento futurum aliquando, præſagiam. Spero enim pulcherrimas exercitationes veſtras, publicæ te luci commiſſurum, cum poſsis. Idemque facturum *Fineſtreſium*, fortunâ ſecunda, minimè dubito. Habet is ditiſsimos miræ ſapientiæ ſuæ theſauros, quibus doctis pariter, ac indoctis ſitim expleat. Utinam evulgare illos queat. Utinam etiam, in tam præclaro munere, vobis me ſocium præbere poſſem. Sed quominus valeam, ſumma utriuſque eruditio facit, quacum decertare, temerarium planè foret. Eminùs verò vos egregios diſputandi magiſtros obſervabo, ut, ſi vobiſcum minus, cum paribus tamen contendere diſcam. Latinam epiſtolam, à te expecto. Hanc meam, ſpongiæ tuæ committo. Scis, quanti ſemper fecerim obelos tuos. Vale, & ut me ames, te amari ſcias. Cervariæ XI. Kal. Febr. MDCCXXIX.

XVI. *GREG. MAJANSIUS FRANCISCO BLANQUETO Juris Canonici egregio Profeſſori, S.D.*

ETſi *Ariſtarchus* eſſem, facere non poſſem quod jubes. Summo judicio ſcribis, ſumma elegantia: adeo ut irrideri putem abs te, qui mihi tuarum literarum cenſuram defers, cum potius ego debeam tibi committere mearum. Quod me facere optas, ut in lucem publicam emittam Epiſtolicas aliquot Diſputationes ad *Fineſtreſium* noſtrum, id ipſum ego vehementer cupio. Verum ſcis non quidvis publicandum eſſe. Quam plurimas epiſtolas eſſe oportet, ut aliquas ſeligas, quæ poſt accuratiſsimam limam mereantur legi. Itaque hoc ſerio

trac-

tractabimus, cum bonam habebo epistolarum copiam. Nihilque magis me ad id impellet quam cupiditas ostendendi, qualis, quantusque vir *Finestresius* sit. Ego quidem existimo, neminem unquam in Catalaunia fuisse *Finestresio* nostro in Juris scientia clariorem. Hoc serio loquenti crede mihi. Igitur mea plurimum interest, tanti viri amicitiam posteritati relinquere consignatam literis.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Suavissime *Blanquete*, qui tam præclarum amicum conciliasti mihi. Fruere ejus consuetudine doctissima. Vale, & memor esto mei. Valentiæ in Edetanis, Postridie kal. Martias, Anni MDCCXXIX.

XVII. *GREG. MAJANSIUS JO. BAPT. CAPRARIO suo, S. D.*

QUæ in celebratione *Apotheoseos* sanctissimorum adolescentium *Ludovici Gonzagæ*, & *Stanislai Coscæ*, te vidisse, audivisseque memoras, mihi gratissima sunt. Illud etiam, tibi visa mea, quia bona, Latina quædam epigrammata: suspicari tamen te non esse mea, quia ea tibi non recitaverim. Bonum factum. Malo sic illa abs te probata fuisse. Alioqui poteram existimare, te amicitiæ nostræ aliquid concedere. Res ita se habet. *Hieronymus Julianus*, Præpositus domui, quam *Professam* vocant, voluit ut ego negotium susciperem pangendi omnia epigrammata Latina, quibus ornandi parietes: quia Jesuitæ tirunculi, quibus hujusmodi res demandari solent, Philosophiæ, aut Theologiæ intenti erant. Recepi me id facturum ea conditione, ne versiculis nomen apponeretur meum: nam unum, aut alterum Epigramma, unam item, aut alteram Oden, Elegiamve scribere, quæ sine fastidio legi possit, facillimum est: plurima poëmata de eodem argumento, difficillimum. Neque

que poſtea habetur ulla ratio feſtinationis poëtæ, ſed ejus dexteritatis: quam ſi in aliquibus verſiculis, ut tibi videtur, oſtendi, multum gaudeo. Si in aliis non æque, minime dolebo. Fratres mei te ſalutant. Ego te videre cupio, & amplecti. Vale. Olivæ, IV. Eidus Julias, Anni MDCCXXVII.

XVIII. *JOSEPHUS OCTAVIUS BUSTANTIUS GREGORIO Majanſio doctiſsimo viro, ac amico ſingulari, S. P. D.*

ERgo ne inſalutatus *Majanſius* meus Mantua exceſsit? Quamnam ego prætermiſsi juſtiſsimi officii excuſationem idoneam adferre queam? Ah Dii Deæque omnes malè perdant negotia, quæ hiſce diebus me domi occluſum ab amplexu cariſsimi capitis prohibuere. Ita profecto res habuit. Nimium deſideriis meis ipſe indulgens adhuc per aliquot dies diſceſſum tuum protrahi ſperaveram, teque expeditis negotiis meis commodè videndi copiam mihi non defuturam. Cum verò ita maligna ſors me eluſerit, per ſanctiſsimas amicitiæ leges oro ego te, ac ſupplex obteſtor, ne amori meo, vel minimam quidem, notam adſperſeris. In amore apprimè ſcio quàm turpe ſit vinci, nec meherclè unquam patiar. Fungantur itaque eo officio, cui meæ curæ obſtitere, literæ; teque, atque optimum Parentem incolumes, feliciterque adſecutos Valentiam excipiant. Facio equidem audacter, qui inconcinno, atque jamdiu inexercitato ſtylo latinas literas ad te: ad te, inquam, diſertiſſimum ſanioris eloquentiæ magiſtrum, quo nomine univerſa te Hiſpania ſuſpicit, ac veneratur; cuique doctiſſimæ elucubrationes, quæ in publicum prodiere, ſummam nominis celebritatem jam compararunt. Sed quidni faciam? Ab extero homine hujus linguæ lepôrum prorſus ignaro conſcriptam Hiſpano idiomate epiſtolam

ma-

magis forsitan fastidires. Satis deinde superque tibi patet qualis, & quantulus sim. Siquid mihi immeritæ laudis communes amici (nescio qua conscientia) apud te tribuerint, semel aut iterum tecum collocutus omnino difflavi. Deposui coram te larvam; ac veluti quadrupes ille, qui aliquando Leonina pelle indutus ferociores belluas exterruerat, postquam infelici edito ruditu notum se præbuit, earum stolidam credulitatem ridere poterat, vel certè secum gratulari, qui lepidè illis tamdiu illuserit, id profecto mihi imposterum tecum alloquenti usu veniet. Verumtamen ad alia. Ab janitore nostro libellus tuus *Disputationum Juris* mihi liberaliter a te dono missus redditus fuit. Quantum in Latini sermonis puritate, atque elegantia valeas, quantum in abditisimis Jurisprudentiæ latebris illustrandis ingenio, ac incessanti studio profeceris, quisquis ex eruditisimo illo opere rectè existimaverit: mirabitur sanè quicumque tuam ætatem noverit, namque incredibile videtur tam paucis annis tam vastam eruditionis, doctrinæque supellectilem acquiri posse. Redderem tibi pares pro tanto munere gratias, si verba animo suppeterent. Illud verò scias pergratum id mihi fuisse; cumque omnes fœcundi tui ingenii fœtus, tamquam locupletisimos omnis disciplinæ thesauros, plurimi faciam, avidisime expecto quos in lucem editurum te pollicitus es. Parentem tuum ornatisimum virum, tanto ac tali filio dignum, meo nomine multùm valere jubeto, tuque operâ meâ utere, abutere. Vive diu, & vale. Mantuæ Carpetanorum VIII. Eidus Octobreis, MDCCXXVII.

XIX. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO OCTAVIO BUSTANTIO, S. D.*

BEne sit tibi, carisime *Josephe Bustanti*, qui reditum in domum meam, quem inter amplexus amico-

corum expectabam hilarem, multo jucundiorem reddidisti suavissimis literis, in quibus humanitas tua cum stili elegantia certans sic dubiam mihi facit mentem utra alteram præcellat, ut pronunciare debeam, mihi non liquere. Bene sit tibi, bene sit, qui tuæ dulcissimæ communicationis fructibus, quibus ego præsens fruebar, absentem etiam minime carere sinis. Nam eo quod inconcinnum vocas stilum tuum, quid aliud facis, nisi more tuo modestissime loqui, & de mei ruditate conscientiam meam multo certiorem facere? Quo magis ego existimo egregias illas laudes quas in Disputatiunculas meas tam liberaliter efudisti, non a judicio tuo, quod ita falli non solet, sed a voluntate profectas, quam si cæcam dixero, scio Amorem tuum non repugnatum ire. Pater meus Olivæ mansit. Cum ab eo discedens huc redirem nihil mihi tantopere commendavit, quam ut amicitiam tuam persancte colerem. Ego vero id libentissime faciam, memor illius aurei proverbii, *amicitias immortales esse debere*. Expecta igitur a me summa in te studia, & officia: minime fallam opinionem tuam. Vale. Valentiæ in Edetanis. XIII. kal. Novemb. Anni MDCCXXVII.

XX. *GREG. MAJANSIUS FRANC. GALLIANO OPTIMÆ indolis adolescenti, & amico suo summo, S.D.*

CUm ego essem Madriti, quò cum Patre me contuleram, ut pertentaremus, num *Comes Oropesanus* solvendo esset mille solidos argenteos quos Patri ejus Barcinone credidimus in summa illius domus egestate; humanitatis gratia adii ad *Mercurium Lupi Pacciecum* Marchionem Villenensem, cujus Pater *Joannes Emmanuel Ferdinandi Pacciecus*, Magnatum nostri temporis sapientissimus, dum in vivis esset, impense me dilexerat. Marchio humanissimus summa benignitate mihi ostendit, selectissimam suam Bibliothecam; dumque varios li-

libros inſpicerem, forte incidi in *Claudii Floridi Catechiſmum*, quem Marchionis Pater e Gallica lingua in Hiſpanam vertendum commiſit *Fratri Joanni Interamnenſi Ajalæo*, viro elegantiſsimi ingenii, ut dedicaret eum *Ludovico I.* tunc Aſturum Principi. Tum ego. Scio, Vir Excellentiſsime, hos libros, quia ſunt apud te, non vendi, ſed dari. Continuo ille afferi juſsit exemplaria duo, mihique dedit. Domum reverſus cœpi legere: tantumque mihi placuit ſolidiſsima *Floridi* doctrina, & ejus exponendæ ratio; præterea adeo viſa eſt elegans *Interamnenſis* verſio, ut maxime probaverim ſapientiſsimi Marchionis conſilium qui autor fuerit *Interamnenſi*, ut tam egregium Opus interpretaretur. Cumque viderem a multis deſiderari *Catechiſmum* illum, nec facile poſſe obtineri, quia non eſſet cujuſvis adire Corinthum; literas dedi ad Excellentiſsimum Marchionem, petens ut excudendi privilegium quod in *Joannis Interamnenſis* favorem ejus pater obtinuerat, juberet cedi Librario cuidam Valentino, cujus ſumtibus recuderetur opus, ejuſque beneficio in manus omnium pervenire poſſet. Liberalitate ſumma id conceſsit Excellentiſsimus Vir, adeoque *Catechiſmus* elegantiſsime in hac Urbe recuſus eſt, duobus tomis in 8. Eum igitur tibi mitto, intelligens tibi pro tua eximia pietate & religionis amore gratiſsimum fore. Cura ut valeas, mi dulciſsime *Galliane*. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Valentiæ in Edetanis, Poſtridie Eidus Majas An. MDCCXXVIII.

XXI. *GREG. MAJANSIUS FRANCISCO GALLIANO ſuo, S. D.*

CUm his literis habebis *Orationem* quam ſcripſi in laudem immaculati Conceptus Sanctiſsimæ *Mariæ* Dei hominumque Matris. Cum ante paucos dies ab hac Urbe diſcedens Olivam proficiſcerer, eam miſi *Archiepiſ-*

piſcopo Gubernatori, cui adeo grata fuit, ut mihi juſſerit, ut meritorum meorum Indicem conficerem, eique mitterem, quem ipſe poſſet oſtendere Primariis Conſiliariis Regiis. Ea de cauſſa Valentiam redii, ut *Bordazario* traderem meritorum Catalogum, quem deinde juberem ab Academiæ Secretario ſubſcribi. Exemplum adjunxi, ſed tibi ſoli: nolo enim ut hæc in vulgus emanent, ne homines creduli ac leviſsimi ea expectent quæ nunquam eventura ſunt. Nam a viro de me optime merito enixe contendi, ne ullo modo cogitaret, me togam aliquam Juridicam induturum. Quid igitur? inquies. Quantum conjicere poſſum, ſpero propediem vacaturam Præpoſituram quandam legalem propter aſcenſum ejus qui obtinet. Hoc ſi contigerit, noſtri *Archiepiſcopi*, & amicorum omnium officia implorabo. Nec puto mihi defutura. Exitus erit, qui Deo placebit. Certe cogitationes ſpeſque meæ eò nunc intendunt. Vitam amo tranquillam, curarum aculeis liberam. Ab ampliſsimis Cardinalibus *Ludovico Belluga*, & *Alvaro Centigneo* literas expecto, quas ubi accepero protinus ad te, ut nihil ignores quod ad noſtram laudem exiſtimationemque pertineat. Craſtino die Olivam repetam. Scribe ſæpius, & longius. Cura te (ſi me amas) diligenter. Vale. Valentiæ. Pridie Nonas Auguſtas. An. MDCCXXIX.

XXII. *GREG. MAJANSIUS FRANCISCO GALLIANO ſuo, S. D.*

DEus me adjuvat. Quod felix fauſtum fortunatumque ſiet, Competitorum Theſes impugnavi fortiter, adeo ut ipſis obtrectatoribus meis viſus fuerim, ut ſoleo, cavillator egregius, amicis acerrimus veritatis demonſtrator. Meas Propoſitiones, quas his literis adjunxi, propugnavi poſtridie Eidus Januarias. Irruerunt in me Competitores veluti Moloſsi in Taurum. Habui ar-

ma

ma paratiſsima, &, quantum potui, ſuſtuli. Peſsime homines excepi, & ſcholaſticorum ſibilis expoſui. Auditorum frequentia incredibilis fuit. Vel extra Theatrum erat turba ingens & innumerabilis. Denique die ſacro *Divo Joanni Chryſoſthomo* feliciſsimo augurio ſortitus ſum *l. qua quiſque* 1. *de edendo*, quam integræ horæ ſpatio expoſui declaravique inſequenti die, conſecrato *Divo Cyrillo Alexandrino*. Nihil volui ſcribere. Perinde quaſi apud meos diſcipulos legem illam explicaturus eſſem, legi quæ potui, præcipue meum Commentarium *De edendo*, quem ſeptem ab hinc annis dictavi. Diligenter apud memoriam repoſui ſingula capita quæ pertractaturus eram, ordine maxime naturali, qui mirifice ſolet adjuvare memoriam. Denique habui Orationem vere extemporalem, atque ita ut talis videretur viris prudentibus. Quanquam nonnullis,

His ſaltem Oedipis, quorum ſcit nemo Latine,

Ut licenter & joculariter dicam cum ingenioſiſsimo Poëta *Jacobo Falcone*, admirationi viſa fuit oratio, continua, nulla hæſitatione interrumpta, & præter morem vulgique captum erudita: adeo ut rumoris neſcio quid ſparſum fuerit, fuiſſe me feliciſsimum, cui ſorte contigerit, in eum textum incidiſſe, cujus recitationem multo antea memoriæ mandaveram. Quaſi argumentum aliquod in jure eſſe queat, de quo & multa nos non legerimus, & aliquid ex tempore non poſsimus dicere. Ipſo orationis initio auditorum excitavi admirationem. Nam miſsis illis tranſlatitiis ac puerilibus invocationibus; poſteaquam Chriſtiano ritu me ſigno Crucis munivi, incœpi Dei auxilium implorare ſacris illis precibus *Divini* Pſaltæ:

Ad te, Domine levavi animam meam:
Deus meus, in te confido, non erubeſcam:
Neque irrideant me inimici mei: etenim univerſi,
qui ſuſtinent te, non confundentur.

Ad hæc videres ſe omnes invicem intueri. Mirum ubi-

que ſilentium. Quid verbis opus eſt? Hominum omnium ingratiſsimus eſſem, niſi Dei beneficentiam in me confiterer inefabilem.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,

debitas ei gratias referre poſſem. Succeſſum igitur, inquies, proſperrimum expecto. Imo alia omnia. O quas ego te res, niſi Chriſtiana caritas prohiberet! Unum dicam quod omnibus eſt notum. Quæ ubique terrarum prodeſſent aliis, mihi obſunt Valentiæ. Gratia quæ mihi cum N. eſt, multis eſt ingratiſsima. Ejus commendatitiæ literæ propter nonnullorum in illum Vatinianum odium.....

Excedit animus quem propoſuit terminum.
Sed difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius
A noxiorum premitur inſolentiis.
Qui ſint requires, apparebunt tempore.

Per me nunc liceat eos tibi ignotos eſſe, ne furiis eos devoveas. Quamquam (quæ tua pietas eſt) ſpero te votis omnibus petiturum, illis meliorem mentem, mihi animi fortitudinem atque conſtantiam ad hæc & quæcumque Deus voluerit toleranda. Vale, & me amare perge. Valentiæ in Edetanis. kal. Februariis An. MDCCXXX.

XXIII. *GREG. MAJANSIUS ILLUSTRISSIMO BARONI Jo. Bapt. Schombergio, S. D.*

QUando dies hodiernus mihi genialis fuit, jucundiſsimos ſermones tecum ſerens, habeto tu noctem Atticam legens aliquas lucubratiunculas communis amici noſtri *Emmanuelis Martini*. Has igitur literas comitantur quædam illius *Leges*, quas confido tibi gratiſsimas futuras, quia pertinent ad librorum conſervationem nitoremque, cui tu ſtudes tantopere. Atque, ut videas, quantus ſit *Decanus Alonenſis* in Hendecaſyl-

la-

labis pangendis, lege quos ille ſcripſit, cum *Philippo Buliphoni* nata fuit filia. Nihil in tanta eruditione dulcius, nihil in tanta dulcedine eruditius ſcribi poteſt. Dixeris *Martinum Catullo* ita eſſe ſimilem, ut nec ovum ovo ſimilius. Et ſi in aliquo diſsimiles videntur, proculdubio differunt in eo, quod hic noſter & docto illo doctior eſt, & facetiarum parens, cum ille ſit nequitiarum. Cura ut valeas. E Bibliotheca. Valentiæ. Pridie Eidus Majas anni MDCCXXX.

EMMANUEL MARTINUS ALONENSIS DECANUS Philippo Buliphoni & Vincentiæ Linariæ natam recens filiam gratulatur.

RUmor, ò Bulipho vetus ſodalis,
Ad nos detulit, eſſe te beatum
Prole, quam ſuperi invidere poſsint.
O lux candidulo nitens lapillo,
Aſpectuque hilari dies venuſta,
Quæ te dicier audiit parentem!
Huc huc ò Genetylli, Diva præſens;
Quæ vitæ auſpiciis faves recentis:
Infantem gremio fove benigno,
Dum primordia ſortis atque lucis
Eluctatur inops. Levana fauſto
Amplexu pueram leva: & papillam
Natæ Rumina tu admove labellis.
Tu Cunina ſacras tuere cunas,
Contortoque abigens ſtrigas flagello,
Ac truces Lamias; retunde quicquid
Aptum perdere faſcino maligno.
Huc Eduſa, cibis eduliiſque
Infantum ſolita excubare. Tuque
Cuſtos Potua pervigil bibendi,
Auferte hinc mala carmina, & nocentes

Hinc

Hinc arcete manu. Cubæque ſanctæ
Lætum numen ades, toroque molli
Extractam alveolo loca puellam.
Quum movere gradum illa fluctuantem
Tentabit, Statanus manu cadentem
Pupam ſuſtineat, regatque greſſus.
Primæ te quoque præſidem loquelæ
Fabuline, precor, ſonos reſolve
Linguæ crimine ſegniter fluentes.
Spectra, & terricula, horridaſque larvas,
Et ludibria pervolantis umbræ,
O Paventia diſcute, & paventem
Quod tandem pote territare pupam.
Huc huc Faſcine (namque tu malignos
Peſſundas oculos) puellulæque
Ne tu dive ſinas nocere quemquam:
Sed præſens abige invidas pupillas.
Adſis utque lubens volenſque grata
Suſpendam veretilla. Tu Perenna,
Præſes temporis & volantis ævi,
Quæ mortale genus per ævitates
Vel durare ſinis, negaſve; luſtra
Ad patris modulos, piæque matris,
Indulge annipotens; ut ore ſanctum
Parentem referens, pudore matrem
Et forma; ſeriem creet nepotum,
Quæ olim ducat avos manu trementes.
Voſque, ſancta fides jugo tenaci
Quos ſtringit, lepida vidente prole,
Perennate pares ſenex anuſque.

XXIV. *GREG. MAJANSIUS CL. BARONI JO. BAP. Schombergio, amico ſuaviſſimo, S. D.*

DUabus Epiſtolis tuis reſpondere debeo, quarum alteram Barcinone dediſti quarto Nonas Julias; alte-

teram Parisiis duodecimo kal. Septembreis ; utramque Hispane, non solum purè , sed elegantissime scriptam. In illa significas , te Barcinonem perveniisse salvum , & incolumem: de quo maxime gaudeo. Addis in tabernis librariis nullum egregium librum inveniisse præter *Vincentium Garciam* Vallis Fogonæ Curionem. Papæ! Hunc tu *Catullum* ! Nescio quid de te dicam , aut cogitem, viro alioqui modestissimo. Sed ut serio loquar , habes ingeniosissimum, & lepidissimum Gotholanorum Poëtam. utinam ille fescenninæ licentiæ non indulsisset. Quem in universa antiquitate ei opponeres jocorum festivitate, ac lepôre vix invenires unum. Nunc si expectas ut de illo proferam judicium meum,

Introrsum turpis, speciosus pelle decora.

Lætor *Raimundum Cortadam*, *Sanctæ Annæ Priorem*, uti vocant, veterem condiscipulum, & amicum meum tam illustria humanitatis officia tibi præstitisse , te deducendo , ac reducendo. Minime dubito quin Barcinone (quæ tua perlustrandi vetera monumenta aviditas est) quas vulgus *Herculis* appellat, columnas videris; itemque illam inscriptionem celeberrimam *L. Cæcilii Optati* , aliasque plures. In altera Epistola scripsisti perveniisse te Parisios postridie kalendas Augustas itinere prospero. Quod mihi fuit gratissimum. Nostra literaria munuscula tibi accepta fuisse , lætor. *Librum missalem* , & *Breviarium Mixtarabum* invenire, difficilimum est. *Interamnensis Poemata* mittam propediem. Etiam *Inscriptiones Saguntinas*, ubi eas accepero. Interea unam adjungam his literis, ut puto, ineditam. Ea reperitur in agro Carcaxentii, in *Divi Rochi* sacello , ubi basis quædam marmorea quadrata , cui ut credere par est, superjecta olim statua, aut ædificium aliquod. Inscriptio sic habet.

FABIAE
L. F
FABVLLÆ
P. LICINI..
LICINIAN..
MATRI PIISSIMAE

Josephus Emmanuel Miniana diem obiit extremum sexto Kalendas Auguſtas. Viris omnibus doctis qui eum noverant, magnum reliquit deſiderium ſui, mihi luctum acerbiſsimum. Vir fuit ad unguem factus. Vellem Valentiæ ejus morti præſentem adfuiſſe. Mihi enim ſæpiſsime dixit, velle ſe omnia ſua ſcripta, & quicquid haberet ſchedularum, mihi dono dare. Nunc proculdubio omnia Harpyiarum manibus contrectata, atque diſcerpta erunt. *Hiſtoriam* tamen *De Rebus Hiſpaniæ* puto in archivo Cœnobii cuſtodiri. Illud inter cetera doleo, ſurreptam & occultatam eſſe *Hiſtoriam de Bello Ruſtico Valentino*. Sic ille inſcripſit *Hiſtoriam de Auſtriacorum Fœderatorumque ingreſſu in hoc Regnum Valentinum*. Res tuæ mihi curæ ſunt. Te in oculis fero. Tu perge me redamare, & vale. Olivæ. Pridie Eidus Septembreis. Anno MDCCXXX.

XXV. *GREG. MAJANSIUS ILLUSTRISSIMO BARONI Jo. Bap. Schombergio ſuo, S. D.*

TUam epiſtolam tertio kalendas Novembreis Pariſiis ad me datam jucundiſsime legi, tum quia te optime valere intellexi, tum quia plane perſpexi, te nihil aliud cogitare niſi ut ſelectiſsimos libros undecumque eruas. Emtas tibi Madriti *Petri Rhuæ Epiſtolas* multum lætor. Spero tibi gratam futuram hujus eruditiſsimi viri notitiam, quam a me habuiſti. Nemo vidit acutius, ne-

mo

mo detexit eruditius atque modeſtius *Antonii Guevaræ* Mindonienſis Epiſcopi pudenda mendacia. Utinam *Rhua* multo plures Epiſtolas ſcripſiſſet, & alia ingenii ſui monumenta ad poſteros tranſmiſiſſet. Valde miror ejus Epiſtolas a nemine converſas eſſe in linguam Latinam. Forte quia hic ſcriptor (ut multi alii Hiſpani) cognitus eſt pauciſsimis. *Jo. Burch. Menckenii* literas avidiſsime expecto: etiam cl. viri *Franc. Dionyſii Camuſati*. Maximas gratias tibi debeo propterea quod tales viros conciliaſti mihi. Librorum quos invenire potui catalogum his literis adjunxi. Eligito, & emam, niſi alius antevenerit. *Inſcriptiones* omnes quotquot *Sagunti* hodie ſuperſunt, cum his literis habebis. Eas diligentiſsime deſcripſi prout ad me tranſmiſſæ cum erratis etiam Lapicidarum. Quicquid ad te pertinet, ſtudioſiſsime curo. Etiam atque etiam vale. Valentiæ Eidibus Decembribus Anni MDCCXXX.

INSCRIPTIONES QUÆ SAGUNTI extant.

M' ACILIO. M' F. C.....
..... FO PROCVRA.....
CAESARVM. CONVEN-
TVS TARRACHON.

P. BAEBIO. L'F.
G.A.L' MAXIMO
IVLIANO ÆD. FLAM'
POPILIA AVITA
EX TESTAMENTO
C' POPILII CVPITI
PATRIS'

SILA
IVSTO AN.....
GN. LEPIDI
SEVIRO. EQVIT
VRBANO. TRIBV
SORTITO. PH
SAGV

M. CALPVRNIO. M. F
GALLVPERCO
AED. II. VIR. PONTIFICI
MANLIA. CN. F.

D. M.
FVL. MANSVE
TAE. AN. * XXXV.
FVL. G .....
.....SVMA

* *Vel* xxxi. *nam* x. & v. *colligantur.*

L. BAEBIVS
OPTATVS. AN. XLV
BAEBIA. EVCHE
..... RO. ET SIBI

EG. III. GA
II COHORTI GALLICAE
..... IVIVM ROMANORVM

M. PVBLICI
VS. PHILOD
AMVS.....

.....BAEBIA
.....ANNO XXX
.....MONTA.

ANTONIAE L. F.
SERGILLAE
VEGETVS.
LIBERT

CLAVDIO INVICTO
PIO. FEL. IMP. III COS.
II. PROCOS.

C. MARIVS IACVS
MARIA. HYGIA. ENV
SA. AN XVIII

MARIA. HYGIA.
MARIA. PRIMI GENI
S. ET. S.

CLAVDIO IMP.
VICTORI. O. F.
PONTIFI. MAX.
COS. I. PROCOS

Q. FAB. GN. F.
GAL. GEMINO.
PONTIFI. SALIO
D. D.

AVG

..... AVLO AEMILIO
PAVLLI· F. PAL
REGILLO XVVR
SACNS. FAGENDI
PRAEFECTO. VRB...
IVRI. DICVND.....
QVAESTORI:
Ti. CAESARIS. AV...
PATRONO.

DEO
AVRELI
ANO·

L. ANTONIO. L. F.
GAL· NVMIDAE·
PRÆFETO MILI. LEG.
PRIMÆ ..... M·
SERGIVS..... ET·
SERG..... ET. SIBI·

GENIVS BAEBIVS
FILADES. ET
GN. BAEBIVS.

POPILIAE L. F.
RECTINÆ. AN XVIII
C. LICINIVS. C. F.
CAL· MARINVS.
ROCONIVS ROMANVS
VXORI

Q· FAB. GN.F.
GAL. GEMINO
PONTIFI. SALIO
D· D.

MARTI
AVGV

MECVRIO AVG...
BAEBIVS EVNOMI...

F.R.A.

M. BALBVS. G.N. E.
GAL. FAVTVS·

SENATVS ET POPVLVS
SAGVNTINORUM CLAVDIO
INVICTO PIO FœLICI
IMP· CÆSA· PONT· MAX·
TRIB. POT. P. P. PROCOS.

CORNELIAE. F. L.
FAVSTILLA.

DIANAE MAXIMAE .....
VAGGA MOVR.....
ABRAM TORCAM°

IMP. M. AVRELIO CLARINO
NOVILISSIMO.
CAESARI. §. PIO § FELICI
INVICTO AVG.
PONTIFI. MAXIMO
TRIBV. §. D. D COS. §
PROCOS

SERGIAE. M. F.
PEREGRINAE
L. IVLIVS AETICVS
ET PORTIA MELETE

SERGIAE. M° F.
PEREGRINAE
M. SERGIVS VESTO
AMITAE

C. VOCONIO. C° F.
GAL PLACIDO ÆD.
II VIRO II FLAMINI
II QVESTORI
SALIORVM MAGISTRO

G. GRATTIOS
POLYANTO
AN. LV
GEMINIA FHEBAS
VIRO ET SIBI

...CEREALI
LEGI. III GALLICÆ
IIICOHORTIS GALLICÆ
.....IVIVM ROMANORVM

LVCIVS VALERIVS

M. ACILIVS. L° F.
FONTANVS·
ERIPVIT NOBEIS VNDE VICENSVMVS ANNVS
INGRESVM IVVENEM MILITIAM CVPIDE
PARCAE FALLVNTVR FONTANVM QVAE RAPVERVNT
CVM SIT PERPETVO FAMA FVTVRA VIRI.

V. F.
G. GRATTIVS
HALYS ... SIBI ET
GRATTIAE MYRSINI
VXORI KARISSIME
AN. XXXXVII
SIBI ET SVIS.

F. CALPVRNIO
ARMONICO
AN XXV
CALLA

Q. CINIO
Q. F. GAL.
AEDIL. II VIRO
EX. D. D.

IVLIAE NEREIDI
Q. GEMINVS
XAMNIVS. A.
..... LVCILLI
..... DVVMVIRI
..... VRBIS
..... PRAEFECTI

ANTONIVS. A. V. C.
AN.. XXV.

POMPEYVS
BATONIVS. SEVER
BATONIVS. MARCEL.
SALONICVS. MARCIA
.... SERGIVS CRESCENS

Q. CAECILIO
Q. GALLO.
AEDIL.
LOE.

GREG.

XXVI. *GREG. MAJANSIUS JO. BAPT. SCHOMBERgio, illuſtriſsimo Baroni, S. D.*

O Te felicem, cui longe diſsitas Regiones proſpere licet peragrare! Literas quas Hagæ duodecimo kalendas Februarias dediſti, jucundiſsime legi. Fuit etiam mihi gratiſsima *Petri Hondtii* epiſtola, propterea quod videor ſperare poſſe ejus beneficio prodituram in publicum *Joſephi Minianæ* Hiſtoriam de Rebus Hiſpaniæ. Tu autoritate tua confirma eum, & perfice ut hanc rem ſuſcipiat. Illa conditio eſt duriuſcula, ut aliquam editionis partem coëmamus. Lucrum omne futurum *Hondtii*, cur non & ſumtus? Imo remunerationem exigere videtur ei dono dare tam egregium opus. *Blaſius* tamen *Joverius*, Proprætor Valentinus, cujus autoritate ſpero me adepturum *Minianæ* Autographum, recipiet emturum ſe juſto pretio ſexaginta exemplaria. Nimirum *Miniana* Latinam linguam privatim docuit ejus filiolum *Hyacinthum*, qui Magiſtro defuncto hoc minerval præſtabit. Reliquas editionis conditiones, omnes honeſtiſsimas, intelliges ex literis, quas ad *Hondtium* dedi. Clariſsimorum virorum *Menckenii*, & *Camuſati* literas accepi, ſumma voluptate legi. Utrique reſpondi. Accepiſſe te *Inſcriptiones Saguntinas*, & tibi gratiſsimas fuiſſe, mihi pergratum eſt. Madritum (ut juſsiſti) miſi omnes libros, quos elegiſti. Numeravit pretium Procurator tuus. Miſi etiam *Ant. Bordazarii* (qui tibi ſalutem plurimam dicit) *Ortographiam Hiſpanam*. Ineruditum vulgus putat eſſe meam: quia ſcilicet ait modeſtiſsimus homo, me ſuum eſſe *Lælium*, *Scipionemque*. Vidit ille, obſervavitque *Ortographiam* meam. In quamplurimis imitatus eſt. Hoc ipſe prædicat. Hinc illi, quibus natura ſenſum abſtulit communem, meam eſſe opinantur. Quod quam falſum ſit, apparebit, cum ſyſtema meum prodibit. Quanquam

nunc

nunc gravioribus distineor. Cura nihil aliud nisi ut valeas. Opto tibi propitium reditum in patriam. Ubi in eam perveneris, fac me certiorem. Valentiæ. Duodecimo Kalendas Aprileis. Anno MDCCXXXI.

XXVII. *GREG. MAYANSIUS JO. BAPT. SCHOMBERgio illustrissimo Baroni, & amico suo, S. D.*

SAlvum & incolumen te pervenisse Dresdam patriam tuam, vehementer gaudeo. Debes immortales gratias Deo Opt. Max. propterea quod licuit tibi peragrare, passibusque tuis veluti metiri universam Europam, sano semper corpore, mente vegeta, nullo salutis dispendio, minimo itinerum incommodo, maxima semper voluptate perlustrandi vetera, inquirendi recentia, singula quæque notandi, reponendique apud memoriam tuam, quam egregiam habes. Rediisti domum, dives libris, experientia & usu rerum. Neque trium solum linguarum absolutam cognitionem adeptus es, ut olim *Ennius*, qui propterea dicere consueverat, se tria corda habere; sed tot linguas didicisti, quot sunt præcipuæ Nationes, quas peragrasti. Quod argumentum est tuæ vastissimæ memoriæ: maximeque interfuit ad singularum Provinciarum res inquirendas, perlustrandasque. Denique (quod omnium caput est) rediisti domum, æque modestus ac ex ea prodiisti: quod permirum est in adolescente, nobilissimo ac bene numato, qui trigesimum annum nondum, aut vix attigit. Ex animo igitur tibi millies gratulor: & in reliquis omnibus æque propitium tibi opto *Jesum Christum*. Illud maxime admiror, te veluti oblitum Hispaniensium rerum ea negotia mihi demandasse, a quibus difficulter me expedire potero, non voluntatis defectu, sed subsidiorum inopia, quibus opus est ad ea perficienda. Quibus enim ego committam curam delineandi monumenta vetera, procul

hinc

hinc distantia, quæ tu tantopere desideras? Tu ipse ais Procuratori tuo Madritensi commisisse, ut Segoviani Pontis Ichnographiam tibi mitteret, & potuisse te impetrare nihil, cum tamen esset pecunia paratissima. Equidem ego quod attinet ad Theatrum Saguntinum aliquid possem perficere, propter loci vicinitatem, & in animum induxeram Saguntum me conferre, ut desiderio tuo satisfacerem. Sed in hac re nulla mea diligentia necessaria est. Nam felici casu contigit. ut Theatri Saguntini exactissimam haberet Ichnographiam cl. vir *Josephus Castelvinius* Canonicus Valentinus, quam efformavit *Emmanuel Martinus* anno 1705. mense, ut opinor, Decembri, aut paullo ante, ac subjectis notulis singulas Theatri partes designantibus, misit ad illustrissimum & eruditissimum virum *Jo. Castelvinium* Cervellionis Comitem, ac Valentinæ nobilitatis ornamentum eximium. Hanc igitur Ichnographiam jussi denuo a Pictore repræsentari, quantum fieri potuit exactissime, adhibita, quam nominant *Claviculam*. Habes hanc Ichnographiam cum *Martini* nostri Dissertatione eruditissima in *Monfalconiano* syntagmate *Antiquitatis explanatæ*. Nihilominus accipe ejusdem viri Epistolam de eodem argumento, quam non te pigebit legere; est enim egregie erudita.

Ut obtinere possem cetera antiquitatis monumenta, unicum mihi confugium erat ad *Josephum Finestresium* Antecessorem Cervarienſem, & præclarissimum Catalauniæ decus. Hic misit mihi descriptionem Columnarum, quas vulgus *Herculis* appellat, quæque extant Barcinone in vico Paradisi ceteris eminentiori. Quarum situs arguit, fuisse illas in porticu alicujus templi.

Præterea vir eruditissimus diligentissimusque delineavit Turrim, quæ *Scipionum* solet appellari, propterea quod in ejus lateribus sunt duo mancipia, quæ sui heri videntur deplorare funus; & hæc imperitum vulgus *Scipiones* esse existimavit. Hæc turris extat etiam num,

val-

valde tamen deformata in colliculo juxta viam prætoriam quæ a Tarracone Barcinonem ducit. Distat a Tarracone pass. M. D. Basis amplitudo est 26. palmorum: altitudo 48. Supra statuarum caput ab uno angulo in alium hic titulus excurrit vetustate jam bona ex parte obliteratus.

ORN:::TE.EAQVÆ:::L:::O:::VNVS:::VER:::BVSTVS:::I::S:::NEGL:::
VI:::VA:::FL:::BVS:::::::SIBI.PERPETVO REMANERE

Hæc aliquanto discrepant ab iis quæ referunt *Pujadesius* & *Lud. Pontius Icartius*, qui hoc etiam addit, Cardinalem *Franciscum Ximenium* illac transeuntem abduxisse secum inscriptum marmor quod erat inter illas statuas. Mihi vero haud fit verisimile. Nam si ita contigisset, vir ille sapientissimus Inscriptionem illam interpretandam dedisset alicui viro erudito: quod nullibi legimus. Præterea non constat an ea loca peragraverit maximus ille vir. Denique *Pujadesius* negat supereſse in Turri vestigia aliqua extracti lapidis.

Redeo ad meum *Finestresium*. Vir exactissimus delineavit etiam manu sua Arcum vulgo *de Barà* secundum figuram quam habebat anno 600. aut circiter. Quo tempore Arcum illum vidit descripsitque *Hieronymus Pujadesius* Barcinonensis, vir diligentissimus in patriis rebus sermone patrio illustrandis, laudabilior futurus, si cautius se gessisset, atque *T. Livium* Historicum gravissimum imitatus fuisset, qui, *Quæ ante conditam condendamve urbem, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo habuit.* Quanquam, ut cum ipso *Livio Pujadesium* excusem, *Detur hæc venia antiquitati ut primordia urbium augustiora faciat.* Ut vero redeam ad Arcum, cum *Josephus Finestresius* intellexisset, eum ruinosum esse, & in dies a barbaris piscatoribus deformari, ut exinde lapides eruant ad suas casas ædificandas, denuo describi curavit, nova delineatione,

quæ repræsentaret illius monumenti superstitem faciem. Ex qua descriptione liquet, periisse jam inscriptionem illam, quæ *Antonii Augustini* tempore jam erat valde corrupta, cum in *Dialogo* 4. pag. 142. dixerit vir eruditissimus, literas non bene legi, videri tamen arcum positum *L. Licinio Suræ* cuidam, in cujus honorem, aut ejusdem liberti, memorat esse Barcinone multas Inscriptiones. Vixit Trajani tempore, ac ter consul fuit: quod illis temporibus præter Cæsares, paucis & non nisi raro contigit. Huc usque *Augustinus*. Cujus interpres Latinus *Andreas Schottus* vir eruditissimus, ejusdemque *Augustini* quondam, non solum amicus, sed etiam familiaris, hæc addidit. *Hæc autem inspectio legendo tamen eruta est.*

L. LICINI. L. F. SERG. SVRAE. CONSECRATVM.

An hæc addiderit *Schottus* ex aliquia schedula *Ant. Augustini*, an vero de suo, ut sæpe solet, mihi non liquet. Certe constat lectionem illam conjecturalem esse. Et quanquam mihi probabilis videtur, tamen in rem esse puto, Inscriptionem subjicere, qualis eo tempore legebatur.

EX TESTAMENTO..LI....SERG...SVRÆ CON.....TVM

Si forte putaveris ad epigramma restituendum conducere legere Inscriptiones Barcinonenses, quarum *Augustinus* meminit, quasque non descripsit, invenies eas, quæ quam plurimæ sunt, apud *Pujadesium*.

Ut vero redeam ad Arcus delineationem, ea quidem est exactissima: nam is cui hoc negotium commisit *Finestresius*, est homo doctus, præterea habitator oppidi habentis in suo territorio præclarum illud antiquitatis monumentum. Denique unus in paucis cui debemus, ne penitus interierit ille Arcus. Situs est in ipsa via prætoria, quæ a Tarracone Barcinonem ducit, distatque a Tarracone VI. Pass. mill. Cui rei destinatus fuerit, non ni-

niſi divinando, dici poteſt. Duas habet facies. Unam Orientem verſus, in qua erat inſcriptio, quam ſupra memoravi. Altera Occidentem verſus, in qua nulla fuit inſcriptio. Utraque facies ejuſdem ſtructutæ eſt. Amplitudo Arcus conſtat viginti quatuor palmis. Altitudo conſtabat ſexaginta ante annos centum & triginta.

Non contentus hac diligentia *Joſephus Fineſtreſius* mihi etiam miſit deſcriptionem Pontis qui vulgo dicitur *de Ferreras*. Nimirum aquam e fluvio Gajano hauſtam per quatuor milliaria Tarraconem duxerunt Romani. Hodieque ſupereſt integra forma, per quam inter duos colles non longe ab oppido *Vallmoll* ſupra triplicem arcuum ordinem aqua decurrebat. Hujus Pontis altitudo eſt 260. palmorum; longitudo 1880. Meminit horum Arcuum eruditiſsimus *Auguſtinus Dialogo* 4. p. 143. aitque ſimiles eſſe Arcubus Pontis Segoviani. Quod tibi indico, ut æquiori animo feras, ad te non eſſe tranſmiſam Segoviani Pontis deſcriptionem.

Quod attinet ad circum & Theatrum Tarraconenſe ſcripſit *Joſephus Fineſtreſius* vereri ſe, an ulla adhuc ſuperſint veſtigia notabilia. Annis enim ſuperioribus omnia ſubverterunt Angli, qui in naves aliquot onerarias quamplurimos Tarraconenſis agri lapides inſcriptos conjici curarunt, & in Angliam avexerunt. Nihilominus ille negotium comiſit amico ſuo erudito & antiquitatis ſtudioſiſsimo Proprætori primario illius Urbis. Quicquid ille ad me miſerit, protinus ad te. Interea hæc antiquitatis monumenta quæ nactus ſum, Pictori cuidam diligenti deſcribenda dedi, & ubi deſcripta erunt, curabo tradi tuo procuratori Madritenſi. Ne vero hæc Epiſtola vacua eat ad te, duas Inſcriptiones adjungam, ineditas, ut puto. Utraque extat Dertoſæ. Altera eſt in Eccleſia Cathedrali, in Baſi Turris incœptæ, atque ſic habet.

Q· HERENIO ETRVS
CO MESSIO DECIO
NOBILISSIMO
CAES· FILIO D· N·
SANCTISSIMI TRA
IANI DECI P· F· INVIC
TI· AVG· * ORD· D· C· D·
DICATISSIMVS
NVMINI EIVS.

* *Ordo Decurionum Civitatis Dertoſæ.*

Altera extat in angulo Turris Caſtri Arabice *Zuda*, cujus exemplar ſubjicio.

M. SALLVSTIO
FELICI PEREG
RI DEFVNCTO
SODALES HERCVLANI.

Ne vero longinqua ſolum perſequar, cum proximiora, quæ certius poſſum deſcribere, in promtu habeam; ecce etiam duas Inſcriptiones, quæ in hac Urbe repertæ fuerunt anno 1727. Altera menſe Novembri inter ruinas antiquæ & celeberrimæ Portæ Valentinæ, quæ vulgo *de la Xerea* dicebatur, ubi nunc ponuntur ſacræ & magnificentiſsimæ ædes Congregationis Oratorii *D. Philippi Nerii.* Ea vero aliquanto mutilata ſic habet.

.....I IMP
.ESPASIANO AVG.
/ESPASIANI F. CONSER
..TORI PACIS AVG.

Poſita eſt hæc Inſcriptio in Sacrarii angulo exteriori e regione ædium ſacrarum. Lapis eſt niger longitudinis palmorum trium & dimidii, altitudinis duorum. Altera

Inſcriptio reperta eſt in vico Miraculi ad latus Horti *D. Joannis* cognomento *Hoſpitalis* in domo ejuſdem Congregationis, & ibidem viſitur e regione etiam ſacrarum ædium medio vico. Altus eſt lapis quatuor palmis, latus duobus. Inſcriptio eſt integra, & claris literis ita ſcripta eſt.

L· SCRIBONIO
EVPHEMO
SEVIRO AVG.
L· RVBIVS
EVTYCHES
AMICO.

Illud perquam dolendum eſt, menſe Junio ejuſdem anni repertum fuiſſe in eadem Congregatione Itinerarium Valentinum, cum aperiretur foſſa ad conſtruendum parietem internum Sacelli Communionis. Quod barbarus Lapicida ſtatim obliteravit fabrilis upupæ ictibus ut quadraret lapidem formoſiſsimum duriſsimumque, qui nunc ſitus eſt in angulo dextro ſacrarum ædium. Spes tamen affulget aliquas Inſcriptiones iterum exorituras (ut cum *Lucretio* loquar) *dias in luminis oras*, cum excavabuntur conditoria, nam prædictæ ædes plenæ ſunt lapidibus ſubterraneis. Sed de his fortaſſe multa nimis.

Epiſtolæ tuæ reſpondere diſtuli, tum quia aliquod tempus neceſſarium fuit ad ſuperiora monumenta amicorum opera colligenda; tum quia ſum oppreſſus dolore quem contraxi ex morte mei cariſsimi fratris *Vincentii* qui Eidibus Juliis Deo animam reſtituit, morte obita certe invidenda. Nunc ut mentem avertam a cogitationibus triſtibus Epiſtolarum collectionem edere paro. Quamobrem hæc Epiſtola hodie dabitur ad duos; ad te videlicet, atque ad *Antonium Bordazarium*, qui te ſalutat.

P. Hondtius, approbavit omnes conditiones a me propo-

positas, excepta illa de numero exemplarium sibi persolvendorum, quæ centum esse voluit. Nimis dura conditio; sed cui parere necessarium est, cum apud exteros ignoretur *Minianæ* meritum, & apud nostrates negligatur. En sortem nostram! *Minianæ* Historiam pigre describunt quatuor Fratres Trinitarii. Simul ac erit excripta, mittam ad *Hondtium*. Eam ego approbavi ex delegatione Regii Castellæ Senatus. Hanc censuram meam subjicio tuæ. Cura ut valeas, & me amare perge. Valentiæ in Edetanis, Postridie Eidus Novembreis, Anni MDCCXXXI.

XXVIII. *EMMANUEL MARTINUS ILLUSTRISSIMO amplissimoque viro Antonio Felici Zandedario, Archiepiscopo Damasceno, & Pontificio Legato apud Regem Catholicum, S. D.*

CUm proximis diebus sermones conferremus, ut sunt fere colloquia, & varia, & aliud ex alio elicientia, casu *Theatri Saguntini* incidit mentio. Quod cùm à me delineatum omnibusque numeris expressum dixissem; tuum pervasit animum illud videndi cupido, unà cum notulis sive descriptiuncula quadam, à nobis adjecta, non tam eruditionis ostentandæ gratiâ, quàm obscurissimæ rei explanandæ. En igitur illud, vir amplissime, ex oblivionis tenebris redux ac redivivum, etsi lacera veste atque obsoletâ. Cujus ego veram priscamque structuram, omnibus indagatam vestigiis, quàm brevissimè potero seræ posteritati consecrabo.

Theatrum Saguntinum peropportuno loco & saluberrimo situm est. Septemtriones enim versus & solem orientem sese pandit, amœnissimæ valli, quam fluvius etiam præterfluit, imminens; & pelagus eôum prospectans. Austro & flatibus occiduis objectu montis defenditur. à quo in amplexum sinuato cohibetur & cingi-

gitur. Quare boream tantùm eurumque, vitales illas animas, ad perflatum admittit. Cæteris humanæ ſaluti infenſis intercluſo aditu. Quod in primis cavendum monet *Vitruvius* in theatris conſtruendis. Nam cùm ibi ſpectantium animi voluptate maximâ perfundantur, immota corpora delectatione illâ capta ac delinita; hiantes habent meatus, venaſque patentes, in quas facilè inſidunt circumfuſi ſpiritus: qui ſi nocentes fuerint atque inſalubres, vel vitio aliquo infecti, afflatu ſuo corporibus exitium afferent. Iccircò vitandi à meridie impetus. Sol enim æſtu ſuo torrente quum theatri curvaturam implet, aër concluſus hemicyclo, nec vagandi habens poteſtatem, perpete illa verſatione & circumactu, ac vorticoſa rotatione, efferveſcit. Quo fit ut corpora naturali humore exſucta adurantur, nimiſque excandefacta in morbos incidant. Habet porrò Theatrum noſtrum ingenio & naturâ loci comparatum *tò ſynechoyn*, quod in eo apprimè neceſſarium. Vox enim curvamine amplexuque illo montis collecta, ad ſummum uſque cum incremento ſcandens, robuſtior aures pulſat, diſcreta verborum terminatione. Quod ego profectò expertus ſum. Quippe *Aſinii* verſus ex *Amphitruone*, quos vir ornatiſſimus, mihique omnibus officiis conjunctiſsimus, *Emmanuel Mignana* ex ſcena recitavit, de ſumma cavea perbellè hauſi. Quod me, ita vivam, incredibili perfudit voluptate. Sunt enim illæ rupes vocales. Nec id ſolummodò, ſed *pentaphone*. Et hæc de Theatri poſitione. Nunc ad ſtructuram. Ejus igitur hemicycli ambitus quem Græci vocant *perimetron*, habet palmos noſtrates ≔ ſive ſpithamas, vel dodrantes DLXIV. Dimetiens verò quam illi *diametron*, ductâ ab utroque cornu lineâ, palmos CCCXXX. Altitudo Theatri ab orcheſtra ad ſummam caveam, palmorum CXXXIII. cum ſemiſſe. Ad ſummæ verò parietinæ ſuperſtitis faſtigium palm. CXLIV. & ſemis. Orcheſtræ diameter habet item palmos XCVI. A qua certum eſt totius Theatri deſcriptionem ordiri, veluti à

cen-

centro. Igitur orcheſtra nomen ſortita eſt *apo toy orcheiſthai.* propterea quòd in Græco theatro locus is eſſet ſaltationibus geſticulationibuſque deſtinatus: tametſi apud Romanos longè alium habuit uſum; ſaltem ex quo C. *Atilius Serranus*, & *L. Scribonius Libo* ædiles curules, ſuperioris *Africani* ſententiam ſequuti, Senatorum ſubſelliis orcheſtram aſsignârunt. In ea igitur honeſtiſsimo loco ſedebat Princeps, ſeu prætor in ſuggeſtu. Cujus exſtant veſtigia in medio orcheſtræ ad podium. Deinde Veſtales, Sacerdotes, Legati, Senatores. Neve autem anteriorum objectu pulpiti proſpectus poſterioribus adimeretur, ſolerter admodùm excogitatum eſt, ut orcheſtræ pavimentum à principis ſuggeſtu leniter & ſenſim in acclivitatem exſurgeret, uſque ad imum gradum equeſtrium: depreſſo identidem & ſcalpto in orbem pavimento, in modum balthei, ſedilibus locandis ac defigendis: relicto inter ſedilium ordines ſpatio aliquantulum elatiore, quod ingreſſum exitumque præberet. Quod adhuc nemini homini obſervatum credo. Et me ſanè fugiſſet, niſi terram, quâ tota orcheſtra obruta erat, removere juſsiſſem, adſcitis foſſoribus. Ab orcheſtræ ſolo equeſtria erumpunt, ſive gradus quatuordecim equeſtri ordini attributi, legibus *Roſcia*, & *Julia theatrali.* Ad quorum ſeptimum duo vomitoria aditum præbent. Qui iccircò cæteris latior, ne anguſtiâ loci equeſtris multitudo comprimeretur; ſed libero greſſu inſubſellia ſeſe diffunderent. Quoniam verò Theatrum hocce in duriſsimo ſaxo fundatum eſt, cujus pervicacia artis conatus & ſolertiam deluſit, eò duas habent tantum januas equeſtria. Quæ cùm equitum numero admittendo non ſufficerent, additæ ſunt hinc inde ſcalæ geminæ in aperto & propatulo loco, quarum imi gradus fornicem ſubeunt, in ipſo proſcenio. Summum gradum ordinis equeſtris excipit præcinctio. quo nomine appellârunt veteres gradum cæteris duplo altiorem latioremque, qui reliquos minores veluti præcingeret & com-

plec-

plecteretur. *diazomatha* vocant Græci. Sunt enim quasi transversa quædam cingula. Unde ab aliquibus dicti sunt *balthei*. Graduum nimirum refractiones & areolæ in orbem procurrentes. quæ ideò inserebantur , ut ordinum discrimina, Senatorii nempe, equestris, & plebeji, manifestâ ipsâ divisione in oculos incurrerent , nec quicquam esset inter eos commercii. Sequuntur deinde duodecim gradus popularium , altiore loco remotioreque. In quibus videlicet è plebe homines sedentes spectabant. In hæc sedilia per plures aditus diffundebantur, ad quos ducebant interiores fornices & concamerationes. Superior item porticus. Cujus duplex erat usus. ut haberet nempe populus quo se reciperet, si subitus aliquis turbo vel imber ludos intercepisset, & ut subjectum theatrum ab aquarum injuria & sordibus vindicaret. Habet ea porticus januas octo anticas , & posticas totidem è regione. obliquas tamen , & quæ se mutuo respiciant. Ut spiritu per eas admisso theatrum refrigeraretur, nec aër immotus & stagnans obtorpesceret. In hasce januas scalaria septem ascensum præbent, erumpentia ab imo equestrium gradu, qui ad orchestram. Non quidem perinde intersecta & variantia, ut in amphitheatris, sed recto ductu & continentia. Quo fit ut cuneos efficiant quàm longissimos, & aspicientium oculis oppidò quàm jucundos. Ab imis nempe subselliis ad summa. Erant autem hæc scalaria, viæ inter cuneos ad ascensum vel descensum. Nam cùm gradus illi sedentarii elatiores essent quàm pro modulo humani gressûs, nec nisi summa cum difficultate scandi possent, solerter admodùm excogitata sunt hæc scalaria , binis singulis gradibus interjectis. Nisi ubi præcinctiones interveniunt. Ibi enim quaterni inseruntur. Horum *klimakion* latitudo palmorum trium cum dimidio , graduum verò altitudo palmi & sesquidigiti. Quam quidem dimensionem duplam exhibent subselliorum gradus. Hæc scalaria eò adhibita, ut cuneata illa multitudo expeditum haberet exitum , ac veluti ad

manum, quo ſe cumque vertiſſet. ne illo intercluſſo, ad corporis neceſsitudines ſubeundas adigerentur. Porro qui excuneati erant, ut theatrali verbo utar, in iis ſpectabant ſtantes. Inter Januas internas externaſque illud intereſt diſcriminis, quod internæ quidem ſunt quadratæ, ſeu *tetrapleyroi*, & latiùs patent: externæ verò arcuatæ & minores. Eſt præterea ſuperior illa porticus lata palmos XV. cum quadrante, alta verò XII. cum dodrante. Ergo latitudo altitudine major. Quam ob cauſſam? In proximo ratio. Ut ne videlicet dum glomeratim ingrediuntur vel egrediuntur, porticûs anguſtiâ laborarent. Quæquidem porticus ad theatri angulos minimè pertingit, ſed multò ante ſubſiſtit utrinque exſecaturque XXXV. palmorum intervallo. quod implebant quaterni gradus, à ſuppoſita cavea eò tantùm diſcreti, quòd ſummus popularium latitudine cæteros anteïbat, atque erat veluti præcinctiuncula quædam ſive areola, ſuperiorem ordinem ab inferiore diſpeſcens. Unde ſuſpicari ſubit, ſedisſe eò loci lictores, accenſos, viatores, apparitores, alioſque magiſtratuum ſatellites, cùm ut eorum obſequio præſtò eſſent, tum ut ſubjectam caveam à contentionibus & rixis deterrerent, triconumque inſolentiam frangerent. In quam ego ſententiam eò libentius adducor, quod ab illis ipſis gradibus ſcalæ quædam ſecretæ per occultos mæandros in carceres ducunt: quorum alter ſuperſtes adhuc, in eoque bojæ muro affixæ, ſive annuli ferreï deligandis maleficis. Adde, hanc ipſam porticum in medio frangi, relictâ intercapedine palmorum viginti duûm: in qua utrinque gradus quaterni, porrecti palmos ſeptem cum ſemiſſe. Quos eâ fini ſtructos arbitror, ut ſatellites undique ſedilibus imminerent, pacificandæ caveæ. In eorum medio ſpatio ſtatuam aliquam ſtatutam fuiſſe, veſtigia quædam nos monent, tametſi fugientia & penè obliterata. Ipſius nempe baſeos indicia. Quod vel ipſa ſtructuræ ratio, & operis concinna modulatio poſtulabat: ad totius hemicycli medium deſignan-

nandum. Hujuſce baſeos latera palmorum ſenûm cum dodrante. In ſummo caveæ gradu, ad utrumque theatri angulum, ſex patent fornicatæ feneſtræ, ternæ utrinque. Num aëri admittendo? Equidem nullus aſſequor. Si quis earum uſum me docuerit, magnam à me profectò inibit gratiam. Supra porticum quatuor item gradus adjecti ſunt. At cui ordini? Sanè ſenatorius in orcheſtra, equeſtris in quatuordecim, plebejus in cavea. Quid præterea reliquum? Cùm hos gradus animo volverem, penè de gradu dejectus ſum. Si tamen in re adeò obſcura conjecturis uti licet, crediderim in remotiſsimis illis gradibus ſpectâſſe ſervos, libertos, meretriculas, & alia id genus è pullata plebecula propudia. Ne videlicet ejuſmodi ſordes cum honeſtiore plebis ordine conjungerentur. Juvat opinionem noſtram ſupremi gradus ſtructura. qui omnium latiſsimus. etiamſi ipſas præcinctiones annumeres. Quod eo conſilio factum exiſtimo, ut eſſet locus in plano ſedilibus locandis, fœminarum ſeſsioni. Nam illis ex Auguſti decreto, nonniſi ex ſuperiore loco ſpectare licebat. Ubi etiam deſpectiſsimi ſtabant parieti innixi, &

——————————— *pulla ſordida veſte*
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.

ut ait *Calpurnius*. A lictorum ſedilibus in ſummam hanc gradationem aſcenſum præbent quædam *klimakides*, tam ad utrumque theatri cornu, quam in medio. Ut per eas ſatellites temperiùs accurrerent, ſi fortè opus eſſet eorum operâ. At in ea pullatorum ſedilia quinam aſcenſus, quinam introitus? optimi mehercule, & concinnâ quadam ratione diſpoſiti. Sunt enim ſcalæ quædam penè ſummam porticum rejectæ & projectæ, montique inſiſtentes, quæ ducunt ad arcuata quædam oſtiola, in extremo muro, quorum unum tantùm ſuperſtes. In adverſa parte hujus muri mutuli quidam identidem prominent, ſpatio palmorum decem cum ſemiſſe inter ſe diſsidentes. formâ quadratâ, palmorum binûm in ſingula

latera. Ad quorum explanationem scire te oportet, tam theatris quàm amphitheatris velorum umbracula olim superduci solita, arcendo æstui & soli: quæ malis subrectis adligabantur, funibus infernè transversim extensis; ne videlicet pendula laxitate suâ fluitarent. Igitur mali illi per excavatos orbes in summis lapidibus trajecti, vel funibus alligati (utrumque enim fieri solitum) hisce mutulis excipiebantur; in quorum medio firmitatis caussâ fossulæ quædam excavatæ sunt. Ne per lapidis lubricum antennæ lapsantes, parum firmæ nutarent. Paries supra hos gradus assurgens ævi contumeliâ dirutus est, minimaque sui parte superstes: & ea quidem absque fastigio sive coronide. Subselliorum gradus altiores sunt quàm pro modulo architectonices. Habent enim palmos duos cum quadrante. longè aliter quàm *Vitruvius* præscripsit. latitudo ad amussim respondet regulæ *Vitruvianæ*. est enim palmorum trium cum quadrante. Miraris tam effusam latitudinem. Nihil magis profectò ex usu sedentium. Ne videlicet qui in superiore gradu spectabant, diuturna compressione, retractioneque crurum laborarent, vel inferiores impactu pedum læderent. Fortassè etiam ut ponè transitus pateret, si qui surgerent, vel seriùs intrarent. Præcinctionis altitudo, ad præscriptum artis, dupla. Est enim palmorum quaternûm cum dodrante. In hæc sedilia per complura ostia aditus patebat quæ vulgus appellabat *Vomitoria*. Unde homines glomeratim ingredientes, in subsellia sese fundebant, ac veluti vomebantur. In hos aditus binæ porticus ducunt. Altera superior illa & subdialis: qua de nos abundè. Altera inferior, per abdita montis viscera in cuniculi morem serpens, & ab illis ipsis lumen recipiens. Nisi hanc, fornicem appellare malis quàm porticum. Quæ lata palmos novem cum quadrante, alta verò duodecim. Structurâ præpostera. Quandoquidem oportebat ut latitudo altitudinem vinceret; ob eam rationem quam attulimus, cùm de alterius porticûs dimensione ageremus.

Sed

Sed quid faceret architectus obsistente monte ? Loci quadam necessitate in eam angustiam adactus est. Nam, ne sis nescius, ductum est hoc opus fornicato saxo. Unde nec æqua latitudine excurrit ; sed lunatâ formâ, utrinque sensim arctatur & gracilescit. In utroque theatri cornu multa exstant vestigia, vexata quidem tot sæculorum injuriâ, & afflicta, sed quæ operis majestatem abundè testentur. In quîs varii fornices conspiciuntur, partim semiruti, partim adhuc superstites, qui scenæ cooperturam (ut *Vitruviano* verbo loquar) sustinebant; maligno quodam fato pesumdatam, nec usquam loci comparentem. Universa hujus theatri gradatio (singulis hominibus spithamis singulis cum dimidia tributis, & scalariis rejectis, quæ ascensui & descensui vacabant) capiebat hominum millia septies, cum quadringentis viginti & sex. Quibus adjici debent qui in summo gradu supra porticum, vel illatis cathedris sedebant, vel stantes & parieti innixi spectabant. Quos mille circiter fuisse arbitror. Itemque amplissimus ordo in orchestra, cujus hemicycli ambitus sexcenta mihi sedilia complexu suo videtur admittere. Quibus in unum collectis, reddunt summam hominum novies mille & vicenûm senûm. Et hæc quidem sunt quæ pro explananda hodierna theatri facie, quàm brevissimè & strictim, mihi dicenda videntur, iis prætermissis quæ ad exornationem potiùs, & ambitiosæ eruditionis pompam, quàm ad institutum nostrum pertinere videbantur. Nunc igitur ad theatri frontem convertatur oratio. In ea proscenium, pulpitum, scena. Proscenium appellârunt spatium illud ante scenam porrectum, in quo pulpitum excitatum erat, quo actores fabularum prodirent. Pulpiti in theatro nostro nihil supereſt, præter muri fundamentum, ab orchestra disitum palmos circiter duodecim. Cujus muri altitudo, secundum Architecti præscriptum, fuisse videtur pedum quinûm tantùm, sive palmorum nostratium senûm cum besse : uti qui in orchestra sedebant, spectare possent

agen-

agentium geſtus. Igitur pulpitum depreſsius erat ſcenâ. Quod in theatro noſtro etiam deprehenditur. Scenæ nomine id totum appellârunt, quod è theatri regione inter duo ejus cornua protendebatur. Cujus longitudinem ad orcheſtræ diametron duplicem fuiſſe, veterum ſcriptis proditum eſt. Ea in theatro noſtro fere tota interciedit, excepto procurrente pariete, qui inter ſcenam & pulpitum limes erat: & ad theatri angulos pertingit. Ab orcheſtra ad ſcenam palmi ſunt viceni octoni & ſemiſ. quorum duodecim proſcenio vacabant. reliqui pulpito aſsignati. Ergo latitudo pulpiti palmorum erat ſexdecim cum ſemiſſe. Quodquidem ſpatium opportunum viſum eſt ſcenicis actionibus. In hujus parietis medio, quod orcheſtræ centrum reſpicit, planus exſtat hemicyclus; ex cujus circinatione teſtudineatus ſive convexus murus aſſurgebat, qui in modum conchæ fornicabatur. Id appellabant *valvas regias*, ab ornatu & amplitudine. Græci *baſileion & oikon endoxon*, teſtante Polluce. Singulæ utrinque portæ erant, eâdem formâ, ſed minores, quas vocabant *hoſpitalia*. propterea quòd hoſpitibus & peregrè advenientibus in ſcenam deſtinatæ. Quædam exſtant earum veſtigia in ſcena noſtra, ejus præſertim quæ ad ſiniſtram, cujus rotundationem licet deprehendere. Dextra periit funditus. Niſi quòd reliqua ſunt muri utriuſque lateralis indicia quædam ad apertionis angulos. In earum ſingulis areolis machinæ collocatæ erant triangulares, axibus verſatiles, quarum frontes depictæ erant, pro fabularum, quas agebant, opportunitate. Comica nempe ſcena pro comœdiis, tragica pro tragœdiis, ſatyrâ pro ſatyris. Quæquidem ſcenarum genera diſsimili admodùm diſparique ratione ornabantur. Tragica nimirùm columnis, ſignis, faſtigiis, cæteriſque regali magnificentia inſtructis. Comica autem ædificiis privatis, mœnianiſque, ac feneſtris communium domorum ſpeciem referentibus. Satyrica verò arboribus, ſpeluncis, montibus, aliiſque id genus rebus agreſtibus, topiario

ope-

opere deformatis. Ergo pro fabulæ argumento machinæ illæ ſubitò vertebantur, & aliam proinde picturæ faciem oſtendebant. Iccircò à Grajis dictæ *periaktoi* à verſatione nempe & vertigine. Ex illis machinis Dii loquebantur. Poſt ſcenam multiplices exſtant muri ſemiruti, ex quibus ille qui areolas ſuſtinet, ſtrias quaſdam exhibet, ſive ſulcos quibus trabes ductiles inſertas arbitror. ad pecmata ſurſum trahenda, quæ Græci vocant *egkyklemata*. Reliquis parietibus ſuperſtructa fuiſſe autumo loca illa, quæ Græci *Theogogeion*, *keraynoskopeion*, *bronteion*. *Theogogeion* locus erat, unde Dii loquuturi è ſublimi ſuper ſcenam apparebant. *Keraynoskopeion*, alta verſatilis machina, inſtar ſpeculæ, ex qua Jupiter fulmina ejaculabatur. *Bronteion*, locus poſt ſcenam, in quo utribus calculis refertis, & per aëra verſatis, tonitruum fragorem imitabantur. Adde choragia, quibus maximè opus erat amplitudine & laxamento, cùm ad choros parandos, tum ad ſcenicas veſtes, reliquamque ſcenæ ſupellectilem & inſtrumenta aſſervanda. Inde enim promebantur omnia ad ludos neceſſaria. Horum choragiorum etiam hodie parte fruimur ſuperſtite, ad ſiniſtrum ſcenæ latus. Quoniam verò hoc theatrum in declivi montis ſitum, pronas in ſe habebat aquarum corrivationes, quarum lapſu & impetu torrente brevi conſenuiſſet; objecti ſuperiùs ſunt muri quidam, in modum alarum utrimque porrecti, qui ædificio huic *polyteleſtato* inſtar aggerum eſſent, ipſumque, ob aquarum ut ita dicam, incurſionibus conſepirent communirentque: quorum illæ repulſu fractæ & diſgreges, per præcipites montis anfractus irrito lapſu divertebantur. Illæ verò quæ gradibus impluebant in orcheſtræ conflugem undique collabentes, per proſcenium pulpitum ſubibant, ſubter quod erat cloaca, quæ univerſam illam proluviem excipiebat, ſuperſtes adhuc: quamque ego veſtigandi cupidine libentiſsimè ſubivi, unà cum *Vincentio Turreſio*, ornatiſsimo juvene, mihique arctiſsimâ conſuetudine conjunc-

junctiſsimo. Qui mihi etiam adjumento fuit in hoc opere dimetiendo, ex ejuſque ruderibus & penè abolitis veſtigiis veritate eruenda.

Hæc ſunt quæ ad *Saguntini theatri* illuſtranda veſtigia ex paupertina noſtra penu depromere licuit, vir ampliſsime. in quibus non dubito fore pleraque, quæ defœcatiſsimo tuo judicio parum arrideant. Quæ uti caſtigatiora reddas, per fortunas oro atque obſecro. Scio enim quàm ſint veſtrates antiquitatum ejuſmodi ſagaces. Nec neſcio quàm tu in ea ſtudia devexus, ex quo Urbem tenui, & rerum dominam Italiam. Italiam, literarum, ſtudiorumque altricem, eruditionis faſtigium & columen, ingeniorumque proventu regionum omnium ferafiſsimam. Vale. Ex Muſæo noſtro, octavo Idus Januarias. MDCCV.

XXIX. *DON GREGORII MAJANS ET SISCAR JURISconſulti Olivenſis, & in Academia Valentina Juſtinianei Codicis Interpretis Cenſura juſſu Regii Caſtellæ Senatus.*

NIhil unquam gratius mihi contigit, quam ex delegatione ampliſsimi Caſtellæ Senatus legiſſe, & in cenſuram vocaſſe *Fratris Joſephi Emmanuelis Minianæ Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis Hiſtoriæ de Rebus Hiſpaniæ Libros decem*, progredientes inde, unde ſcribere deſiit *Joannes Mariana* Societatis *Jeſu* ornamentum eximium. Quid enim jucundius quam teſtimonium dicere de tali viro, cujus viventis virtutem ſapientiamque ſemper ſum admiratus, vita defuncti conſilium, & conſuetudinem, quæ cum eo mihi conjunctiſsima fuit, tantopere deſidero? Quid mihi honorificentius evenire potuit, quam ab Regio Senatu tanti operis cenſuram mihi delegari? Equidem ego exiſtimabam omnia honoris puncta tuliſſe me, cum ille vir modeſtiſsimus ſingulos

Co-

Codices mihi recognoſcendos traderet: quos ego libentiſsimè legebam, & felicitatem ſcribendi Hiſtoriam numeris omnibus abſolutam ſummè demirabar. Verum ex quo dicere compellor ex officio quæ de illa ſentio, nihil eſt quod me non aſſequutum putem. Hoc unum me male habet, nullam meam orationem futuram parem, vel Autoris meritis, vel operis. Nam quid de *Miniana* dicam ego? Fuiſſe illum religioſiſsimum virum, modeſtiſsimum, prudentiſsimum, judicio præditum acerrimo, ſtudio pertinaci, profanæ ac ſacræ eruditionis peritiſsimum, verſatiſsimum in linguis, Latina præſertim, & Græca? Facile quidem hæc dici poſſunt. Sed non ita facile credi poteſt, quam ille hæc omnia poſsideret, teneretque. Dicam in eo viguiſſe Hiſtorici perfectiſsimi dotes illas, diligentiam ſummam, veritatis amorem incredibilem, criticum acumen, dicendarum tacendarumque rerum eximiam ſcientiam, & ad res exponendas, earumque cauſſas dexteritatem prudentiamque expeditiſſimam? Nunquam ego iſthæc ita prædicabo, quin multo majora fuiſſe fateatur quicumque legerit Hiſtoriam hanc. Verum age, quoniam in tantas anguſtias ipſa nos adducit tantarum laudum amplitudo, quaſi per indicem eas attingamus: unoque verbo ſignificare contenti ſimus judicium, & Autoris, & operis. *Marianæ* ſimilis *Miniana* fuit: hujus Hiſtoria illius. *Marianam* nominavi? Nominavi virum cujus laudibus ego nihil poſſum adde-re. Ille ſiquidem tranſtulit in *Hiſtoriam* ſuam *de Rebus Hiſpaniæ*, fecitque adeo ſuam, *Livii* ubertatem, *Salluſtii* gravitatem, *Taciti* prudentiam, *Curtii* acumen, & horum omnium eloquentiam. Dixi *Marianæ* ſimilem *Minianam*? Dixiſſem etiam pares eos magis quam ſimiles, quod de *Salluſtio* & *Livio* ajebat quondam *Servilius Novianus*, niſi *Miniana* ductus ſeveritate quadam ingenii adamaſſet illud dicendi genus, quod *Frontoni* adſcripſit *Macrobius*. *Quanquam in ipſo* (ut uſurpem verba *Quinctiliani*) *virtutis locum obtinet brevitas, & abruptum ſer-*

monis genus. Hiſpaniæ igitur gratulandum exiſtimo, quæ quo tempore a ceteris Nationibus accuſatur barbariæ, criminationi earum opponit ſuarum rerum talem tantamque Hiſtoriam, quali quantâque hoc noſtro ſeculo (abſit invidia vero) nulla natio gloriari poteſt: qualem ſcilicet ipſe *Plautus* ſcriberet, ſi hodie viveret, & feſtivitatem ſuam leporemque Hiſtoricæ gravitati accomodaret. Maximas ergo debemus gratias *Don Hyacintho Joverio* Puero optima ſpe atque indole, qui cum linguam Latinam privatim didicerit a Præceptore ſuo *Miniana*, eo vita defuncto nihil antiquius habuit, quam ut a Patre ſuo *Don Blaſio Joverio* Proprætore Valentino enixe peteret, ut hanc *Hiſtoriam* publici juris fieri curaret. Egregiam curam tam egregio dignam Diſcipulo! Qui, ſi quem in lingua Latina progreſſum fecit, quem nunc in Philoſophia facit, in Diſciplinis majoribus pergit facere; proculdubio Literariæ Reipublicæ magno erit ornamento. Certe beneficium publicationis hujus *Hiſtoriæ*, qua nihil illuſtrius ad Hiſpaniæ gloriam tuendam augendamque excogitari poterat, eruditis viris gratum erit, *Latinis dum manebit pretium literis.* Quare cenſeo e re publica eſſe ut hæc *Hiſtoria de rebus Hiſpaniæ* tam diſerte ac graviter ſcripta, quanto citius poſſit, lucem publicam aſpiciat. Valentiæ Eidibus Novembris, Anni MDCCXXXI.

Don Greg. Mayàns & Siſcàr.

GREGORII MAJANSII,
GENEROSI, ET ANTECESSORIS VALENTINI,
EPISTOLARUM LIBER IV.

I. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO Jureconsulto eximio, S. D.*

UM puer operam darem humanioribus literis, ita adolescentium egregiorum, *Mariani*, atque *Jacobi*, tuorum fratrum communicatione delectabar, ut nihil æque mihi esset in deliciis, ac consuetudo illa. Videbam eos eminere inter condiscipulos omnes incredibili modestia; eruditione autem in illa ætatula ita præstantes esse, ut secum ipsi contenderent, coætaneos omnes longo anteirent spatio. Denique tantam doctrinam in illis suspiciebam, ut venerarer eos supra magistros meos: cumque a multis acciperem, reliquos eorum fratres, te scilicet ac ceteros qui ætatem in literis simul agitis, vigere quoque excellentissimis ingeniis, ac perornatos esse mira quadam doctrina & eruditione, gentem ego vestram existimabam felicissimam, ac veneratione summa prosequebar. Quapropter nihil admirari debes, *Josephe* vir eruditissime, quod ex quo ego intellexerim, te cum duobus fratribus doctissimis (raro ac mirabili exemplo) pu-

publice jus profiteri cum magno plauſu in Academia Cervarienſi; veſtram amicitiam ambiam. Et ſane puto æquiſsimum frequens literarum commercium inſtituere vobiſcum, ut æquiore animo caream communicatione jucundiſsima, qua proculdubio fruerer, niſi animæ illæ puriſsimæ *Marianus* atque *Jacobus*, longe ſejuncti a nobis, veluti quandam vitam immortalem in Religione agerent. Ne decipiaris autem vana opinione mei, iſtum ad te mitto *Diſputationum Juris Libellum*, ex quo agnoſcere queas quid ingenio valeam. Certe parum: ſed quod libens conferam in uſum tuum. Fratribus tuis doctiſsimis velim ut me commendes, & ut autoritate tua perficias uti putent me addictiſsimum ſibi. Vale, *Joſephe* eruditiſsime, & a ſimplicitate epiſtolæ meum animum candidum, & minime fucatum agnoſce, ac æſtima. Valentiæ in Edetanis. Pridie Eidus Februar. anno MDCCXXVII.

II. *JOSEPHUS FINESTRES DON GREGORIO MAjanſio J. C. & Anteceſſori Valentino viro doctiſsimo, S. P. D.*

TUam eruditionem, ac ſingularem juris peritiam antea demirabar; nunc etiam eximiam humanitatem tuam, beneficentiamque ſummè veneror. Namque ex communicato mihi a *Doctore Blanqueto*, tui pariter ac mei amantiſsimo, tuarum *Juris Diſputationum* Libello, & Apologetico altero *De litoris finitione* avidè a me devoratis, ſatis intellexeram quantùm in Jure Romano tractando polleres: nunc verò ex tranſmiſsis ad me literis agnoſco lubens animi tui candorem, & benignitatem, cùm ob veterem cum fratribus meis *Mariano* & *Jacobo* amicitiam, quam grato animo recolis, tùm vel maximè ob mutuam inter nos familiaritatem, & conjunctionem, quam nullo meo merito provocatus ſponte, quæ tua eſt humanitas, mihi polliceris: adjecto

etiam

etiam eidem firmandæ pretioſi pignoris vinculò, aureis nempe lucubrationibus tuis. Diſpeream, mi *Gregori*, (abſit vel minima aſſentationis umbra) diſpeream, ſi quidquam vidi in hoc genere elegantius, aut quod magis animum meum expleret. Quis verò non mecum idem fateatur niſi ſit *amouſos* aliquis, vel malignè eruditus? Mihi ſanè in illis ita probatur naturalis ordo, & diſpoſitio, ſtylus puriſsimus, brevitas perſpicua, judicium acerrimum, libertas ingenua, & intra rationis cancellos conſiſtens, eruditio è re nata, vitatis etiam inſulſis Doctorum allegationibus, quarum farragine noviorum Interpretum ſcripta ſylveſcunt; ut vix ullus mihi occurrat ex veræ, & non fucatæ Juriſprudentiæ anteſignanis, majorumque gentium Interpretibus, in quo tot tantæque dotes cumulentur. Unus tamen, ſi quid video, *Barnabas Briſſonius* in argumentis juris tractandis tibi quàm ſimillimus ita videtur, ut nec ovum ovo: Cum quo, niſi vocabulorum aſperitas repugnaret, eâdem *onomatopoiias* forma te conferrem, quâ *Platonem* cum *Philone* priſca ætas, quorum ille *Philonizein*, hic *Platonizein* vulgò dicebatur.

Gaudio exilio, vir egregie, ac pudore ſimul ſuffundor quoties meditor illud tuum: *Opprimitur ſcriptis pluteus*: nam toties pariter ſuccurrit quàm rectè aſsiduis vigiliis & lucubrationibus tanti nominis menſuram impleveris, dignus profectò qui inter tot celeberrimos *Gregorios* accenſearis: ſed & toties mentem ſubit quàm ego ſim inutilis, ut Homerico utar dicterio, *achthon aroures*, qui ſilentio pluſquam Pythagorico hactenus ſic tacuerim, ut non modo a Poſteris verùm & a præſentibus mutus jure optimo haberi poſsim. At enim licet veteri excitatus veterno aliquid nunc auderem; vereor ne abſolutiſsimæ tuæ ſcriptionis ratio, quam unicè amo, & probo, a propoſito me dimoveret, cogitantem quàm impar ſuſciperem onus, fruſtraque me ſectaturum, quod aſſequi nequaquam valerem. Quæ mei ipſius

cogni-

cognitio facit ut maxime pudeat me tam illuſtribus titulis a te exornari, a quibus in poſterum abſiſtas velim, ne, ut eſt in paroemia, *te gale Krokoton*. Verùm mittamus iſta quorum memoria animum meum pungit acriter. In tuam amicitiam a te benigniſsimè oblatam ego & fratres mei *homotechnoi, kaì ſymbiotoi* ex animi ſententia juramus, & conciliatori, quantùm conjectari licet, *Blanqueto* noſtro, ac tuo gratiam habemus quantam maximam poſſumus; tibi etiam, ſi per tenuitatem noſtram fieri poſſet, relaturi. Quod poſſumus beneficii memoriam cum gratâ recordatione conſervabimus, ut operæ qualequale ſit hoſtimentum, gratus animus. Ut autem fidei religione diſſolvar: *Franciſcus Tarragona & Fineſtres* amitinus noſter, nunc Acrimontenſis Prætor, tibi olim Barcinone humanioribus literis incumbenti condiſcipulus, tibique conſuetudine junctiſsimus, cum hûc quo tempore tuas accepi literas apud nos divertiſſet, poſt longam tui ingenii morumque prædicationem, fidei meæ commiſit, ut ſuo nomine ſalutem tibi plurimam dicerem. Vale doctiſsime *Gregori* amicitiæ noſtræ memor, tibique habeto nil mihi gratius accidere poſſe quàm frequentes a te literas accipere, quas ut mittas etiam, atque etiam rogo: ut ad id te impellant enixæ preces, a quo retrahet impar, ac planè Diomedea mearum literarum cum tuis commutatio. Vale iterum felix, & quoniam Reipublicæ Literariæ bono vivis, da operam ut te ipſum diligenter cuſtodias. D. Cervariæ in Lacetanis poſtridie kal. Mart. anno MDCCXXVII.

III. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO Anteceſſori Cervarienſi, S. D.*

MAgnæ mihi delectationi, & etiam gloriæ ſunt, eruditiſsimæ, & perquam benevolæ tuæ literæ, tùm ob ſtilum ſuaviſsimum, melle quovis dulciorem,

tùm

tùm ob egregiam humanitatem, quâ me accepiſti in amicitiam tuam. Quoniam igitur primâ literarum miſsione, tàm arcte ſumus conjuncti, quàm ſinceros homines decebat, age, amicitiam initam, benevolentia & officiis, quantum poſsimus augeamus. Cumque a vero amore tam aliena ſit aſſentatio, procul a nobis abſit. Mittamus illis blandimenta, qui capiuntur iis. A te homine doctiſsimo, & integerrimi judicii, quid expectare debeam, ſcio, doctrinam, eruditionem, erratorumque meorum animadverſionem ingenuam. Præterea laudes, ſi quas in me contuleris, non ut vera mei teſtimonia, ſed ut honeſta habebo incitamenta ad veram gloriam. Quanquam quid æque me incitare poteſt, ac ſtilus tuus, tantâ eruditione, amœnitate, ac elegantia admirabilis? Hoc unum ex animi ſententia, me ſinito dicere. Eruditos viros qui ſatisfecerint mihi, inveni paucos; qui genio meo magis accomodatus ſit, præter te, neminem. Nihil in tuis literis archaicum, nihil innovatum, nihil affectatum legi, ſed purum ac defecatum ſtilum facilitate incredibili. Hæc ſine egregio judicio, ſine accurata totius antiquitatis obſervatione quis aſſequi poſsit? Ex quibus ego facile hanc conjecturam elicio, quantus eſſe debeas in Juris ſcientia, cui te totum tradidiſti! Hinc a te nollem excidiſſet illa vox, te jure optimo haberi mutum. Quid enim eſt, eruditiſsime *Joſephe*, quod te loqui impediat? An hoc ſeculum infenſum eruditis viris? Scribe poſteris qui debitas tibi habebunt gratias. Num ſcribendi labor? Facile vinces eum felicitate ingenii. Cur taces igitur? Vis te provocem? Faciam utique, ſi per te liceat, moleſtum eſſe. Itaque, *Joſephe* doctiſsime, aut aliquid ede quanto citius, aut expecta impeti a me difficultatibus aliquibus, quæ in ſingulis paginis noſtri juris facile ſe mihi occurrent, ſi non illæ quidem graviſsimæ, ſaltem ejuſmodi, ut a te poſsim doceri, utque tu reſolvas os aureum. § Quid eſt quod narras de *Franciſco Tarracone*, amiciſsimo illo condiſcipulo meo? Ergo

noſ-

noſtri meminit ! O gratum nuncium ! Reſaluta illum meo nomine. De Acrimontenſi Prætura multum ei gratulor. Velim auctum propediem dignitate pari illius meritis. Interea noſtris ſcriptiunculis , quas his adjunxi literis , falle tua otia. Noli ignoſcere. Animadverſiones tuæ erunt gratiſsimæ mihi. Valete , Triumviri Juriſprudentiæ inſtaurandæ , diuque vivite felices. Valentiæ in Edetanis XIIII. kal. Aprileis. An. MDCCXXVII.

IV. *JOSEPHUS FINESTRESIUS ORNATISSIMO viro, ac J. C. eximio Don Gregorio Majanſio, S. P. D.*

FOrtunæ ſuccenſere poteram , quæ ex quò jucundiſſimas tuas accepi litteras Latinè ſcriptas, innumeris me implicatum negotiis à ſcribendi officio in multum tempus avocavit ; niſi & mihi ipſi facilè paterer imputari , quod , cum aliquando à jugi exercitatione reſpirare paululùm liceret , ſpe vacui , vel ſaltem minus impediti temporis in craſtinum rejeciſſem , ut liberius , & commodius ad te ſcriberem : quem tamen poſtea diem multo occupatiorem inveni. Memini profectò non ſemel calamum ad te ſcripturientem mihi de manu excuſſum à neceſſaria occupatione. Mox exeunte Junio, necdum abſolutis Academicis exercitationibus , coactus fui iter arripere ad domeſtica quædam negotia procuranda , Barcinonemque proficiſci ; quo loci , cum ad te litteras deſtinarem , communis amici Doctoris *Blanqueti* admonito te ab Urbe Valentia diſceſsiſſe exiſtimantis, in Lucalia proxima reſervavi. Ita factum eſt , ut procraſtinando , diemque ex die nectendo , quemadmodum prius negotioſum tempus ; ſic poſtea pudor in cauſa foret quo minus ad te reſcriberem : nam cum culpam fateri grave foret , eam tamen excuſandi nulla mihi vel ſpecioſa ratio ſuccurrebat. Nunc vero planè ferreus eſſem,

at-

atque ingratus, si, tot acceptis litteris tuis humanitate simul & ingenio conditis, respondendi officium diutius protraherem, & meam ad hanc usque diem cessationem non accusarem: cujus veniam etsi à me non facilè impetrem; spero tamen, cum nulla tui oblivione, vel contemptu acciderit, eam à te impetraturum, qui pro tua humanitate non stricto jure mecum ages; sed amicitiæ nostræ, scio, condonabis quantum poteris, moræque purgationem facilis creditor admittes. Voluissem equidem opellam aliquam meam ad te mittere, quam à me avidè expectare tuis literis significas, & tantum non cum convitio eflagitas: quod quidem nunc facerem libentius, sive ut deprecatoris vice fungeretur, sive ut ob intermissam scriptionem usurarum esset loco, sive potius, ut par pari referrem, ac tantis tamque egregiis ingenii tui monumentis liberaliter ad me transmisis esset aliquid, quod compensationis jure pro parte saltem opponerem. Sed scias velim, doctissime *Gregori*, voluntati operam vix, ac ne vix quidem, posse respondere; animoque me aliquando multa concipere, quæ non sine dolore abjicere mox cogor. Primò quod tam parùm mihi tribuo, & de meo ingenio, industriâque ita demisse sentio, ut, cum quod meditor assequi me posse difidam, aut si quid occœpi, cum mihi non probetur; in ipso initio conatus frangam, & disturbem. Frontasis mihi iniquus sum; sed certè esse non intelligo. Hæc tamen difidentia poterat utcumque aliorum stimulis, atque incitamentis erigi, & confirmari; verum est aliud, cui amicorum opera præsto esse nequit, valetudo jam diu afflicta. Nam cum jam inde à prima adolescentia *kakostomachos* fuerim, vitiumque auxerit qualequale studium meum; subinde ex prava corporis constitutione, atque *exei*, paulatim *hypokondriakon*, quod vocant *pathos* contraxi: unde & capitis gravedines, vertigineſque sæpissimè mihi oboriuntur, & pituita solet largius ad pectus defluere, etiam aliquando salsa. Quæ omnia non cor-

pori modo obeſſe expertus ſum, ſed & ingenii, ſi quod habui acumen ex inde valde retuſum, memoriæque vim inſigniter debilitatam ſentio. Hæc, mi *Gregori*, ut tute etiam me tacente conjicies, cauſſa eſt, ob quam vix quotidianis prælectionibus, & exercitamentis ſufficio, atque, ut ita dicam, cogor vivere in diem: hæcque ſpem omnem præſcindit edendi aliqua, quæ poſsint volitare per ora virûm: Nam levia quæ hîc aguntur, non tanti facio, ut in eorum collocem numerum. Talia ſunt Aſſerta *de diſſolvendis obligationibus* quæ ſub finem Academici curriculi Papinianiſtæ Auditori (ut Juſtinianæo utar vocabulo in deſignando profeſsionis ſpatio) ea expetenti defendenda tradidi, ſed ita tumultuariè à me deſcripta, ut cum nec in mundum redigendi locus daretur, neceſſe habuerit chacographus è ſchedâ deletitiâ exemplar depromere. Quæ nunc ad te mitto, ut ſpecimen aliquod capias tenuitatis meæ; non etiam, ut exploratum habeas quantum hîc doctiores me, hoc eſt, cæteri omnes, in Juriſprudentiâ noſtrâ & poſſunt, & præſtant. Vide tamen, quæſo, an non ſatis pro fractâ valetudine præſtiterim ſuperiore anno. Mitto nullam fere diem prælectionibus vacuam eſſe, in quâ diſputationes publicè non habeantur, quibus ex noſtris aliquo adſidente, reliqui ex Academico præſcripto interſumus; mitto frequentiſsimos conventus ad res Academicas procurandas, & conſtabiliendas: denique inquiſitiones in eorum doctrinam, qui primâ utriuſque juris laurea redimiri ambiunt, quorum examen ultra ſeſquihoram producendum eſt. Hoc tantum commemoro, quaſi ad me propius ſpectaverit, patrocinium eorum omnium qui ad Doctoratus gradum adſpirarunt, alio me antiquiore hoc oneris detrectante, ad me recidiſſe; in quo munere obeundo curandum mihi fuit de horariis repetitionibus ad pompam ab illis recitandis, & propugnandis: quas Academica inſtituta præmitti volunt, quaſi *prodromous* veri periculi. Has ſequebatur paucos poſt dies exactiſ-

ſi-

ſima diſquiſitio ſcientiæ, & eruditionis prō obtinendo *tes mellodidaskalias*, quam licentiam vocant, honore; qui actus, cum horis non minus novem peragatur, ad multam atque intempeſtam noctem protrahitur. Quantum verò moleſtiarum in his mihi devorandum fuerit, nihil eſt quod te horum minimè ignarum admoneam. Adveniebant poſtremò doctorales pompæ, in quibus meæ partes fuerunt proſphoneticas oratiunculas pronunciare coram omnium ordinum Profeſſoribus.

Volui iſta recenſere, ut ſcias mihi non licuiſſe eſſe otioſo: imò laborem ſupra virium mearum imbecillitatem ſuſtinuiſſe, ut medius fidius vix reſpirandi mihi locus daretur. Curriculo hoc, in quo verſamur, idem me labor, quantum conjicio, manebit, ſed ſpero, *ſen Theo*, commodius eidem me ſuffecturum, quòd minor ſit Candidatorum proventus. Hoc ipſo anno Commentarium *de jure dotium* Auditoribus meis trado, quem nondum penitus abſolvi; curabo tamen quanto citius ad exitum perducere. In eo mihi tecum res eſt; ſed leviſsima. Nam cum *Diſputat. tuarum lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 1. opinione quantum intelligo ſingulari ſtatuas, &c..... *Quæ ſequuntur, reſervantur in Diſputationes Epiſtolicas*..... Verum mittamus iſta, quæ & Epiſtolam in neſcio quid aliud transformant, & plus à te exigunt, quam par ſit. De ſcriptis tuis, quibus mirificè me recreaſti valde te amo, gratiaſque habeo maximas: judicium tamen meum in illis recenſendis non antea proferam, quàm moleſtiam concoxerim, quâ me affecit epiſtola tua Latinè ſcripta ob immodicas in me congeſtas laudes, in quibus ut amorem tuum libenter agnoſco; ita & errorem tuum agnoſcas velim: profecto meæ non ſunt: ac niſi ex officio potius, quàm ex animi ſententia protuleris tam honorificam de me opinionem; ſcito, te vehementer falli. Et ſubvereor ne, cum quidquid mihi communicaveris non probare modo, ſed & ſummis evehere in cœlum laudibus neceſſe ſit; quas tuis meritis laudes dedero,

immeritam de me prædicationem rurſus provocent. Vides ut rectâ chartâ defecto in tranſverſam decurrendum mihi fuerit. Itaque, ſi non longiores, crebriores ſaltem à me poſthac literas expecta, in quibus, ſi ſapio, non committam, ut rurſus requirere poſsis officium meum; voluntatem certè in te amando, & colendo non requires. Vale. Fratrem tuum, (1) eximia ſpe puerum, qui & doctrinâ & probitate à te informatus dignus eſt habitus, qui in frequenti concione puer puerum Deum prædicaret, & ad ejus amorem torpentes Auditorum animos excitaret, languentes erigeret, tepentes inflamaret, meis verbis ſalutes rogo, eique gratuleris qui *Protes geneiados*, ut dici ſolet, *didaskei tous gerontas*. Cervariæ Lacetanorum. III. Eidus Januarias, anno ſalutis MDCCXXVIII.

(1) *Jo. Ant. Majanſius Greg. frater natu minimus, qui novennis puer Oratiunculam habuit de* Jeſu Chriſti *Natali, in Congregatione Oratorii D. Philippi Nerii, quinto Kal. Januarias anni* 1728. *quæ Oratiuncula edita fuit Valentiæ apud Ant. Bordazar, Anno* 1727. *in* 8.

V. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO Jureconſulto eximio, S. D.*

LIteras accepi digniſsimas humanitate tua, & amore meo: digniſsimas etiam tuo acutiſsimo ingenio; at meo longe ſuperiores. Quoniam vero tu mei deceptus opinione, me fore parem ſperas difficultatibus tantis, tentabo an eas poſsim aliquo modo diſſolvere. Forte mihi eveniet quod imperitis ſagittariis, qui quem ſcopum peritiores non potuerunt ferire, quandoque feriunt. Incipiam igitur a minus difficilibus; ut iis ſuperatis, favente Deo, tunc ſuperare reliqua minus laborioſum ſit. Quod ſi hac epiſtola non reſpondero omnibus quæſitis tuis, exiſtimare debebis, non licuiſſe mihi per anguſtias temporis, & occupationes neceſſarias. Re-

citationibus publicis impendo ſingulis diebus quatuor horas, quas neceſſe eſt, lectio aliqua, aut meditatio præcedat. Adde cetera officia, quibus amicis cogor præſto eſſe. Adde ingenium ad officia pronum. Itaque finem ſcribendi faciam, cum mihi per tabellarium publicum jam non licebit diutius ſcribere. Interea momenta in pretio ſunto.

Quæris a me, Juriſconſultiſsime *Joſephe*, quid ego judicem hæc inter ſe differre..... *Quæ hic deſiderantur, rejiciuntur in Diſputationes Epiſtolicas*..... Hæc mihi ſcribenti venere in mentem. Quæ ſi tibi viro acutiſsimo, ac ſummo judicio prædito minime probabuntur,

Do tibi quod vis, & me, victuſque volenſque remitto.

Tua *Placita Juridica* cœpi legere magna voluptate, & fructu. Egregiam continent doctrinam. Sane quàm perſpicua, & elegantia ſunt. Amabo te, perge me locupletare ſcriptis tuis. Ego onerabo te ineptiis meis: faciliſque debitor repræſentabo illas. Hui! Quantum ſcripſi! Eſtne hic liber, an epiſtola? Loquaciorem expecta, cum ceteris quæſitis tuis reſpondere conabor. Vale, Juriſconſultiſsime *Joſephe*, ac fratres tuos doctiſsimos, *Franciſcum*, & *Petrum Joannem* meo nomine ſaluta. Valentiæ in Edetanis. v. Kal. Februarias. Anno MDCCXXVIII.

VI. *JOSEPHUS FINESTRESIUS DON GREGORIO Majanſio viro ornatiſsimo, ac præclaro J. C. S. P. D.*

QUantum erga te amoris, & benevolentiæ in me excitavit epiſtola tua elegantiæ, eruditionis, & humanitatis plena, tantum movit iracundiæ erga me ipſum, cujus cauſſa factum eſt, ut iniquum laborem ſuſceperis, atque, ut ex eadem epiſtola intelligo, etiam num ſuſcipias. Certè præter votum meum id accidit; nam (ſi bene retineo) levidenſem operam requi-

quirebam ; ac ut ſenſum tuum in rebus à me quæſitis nudè, conciſeque indicares. At tu à capite rem exorſus multas paginas impleviſti ſcriptione politiſsimâ. Itaque, ſi tam operosâ induſtriâ tibi reſponſio paranda eſt, abſtinebo poſthac tibi moleſtus eſſe ; ne mea cauſſa tantum oneris tibi ipſi imponas cum valetudinis incommodo, & jactura temporis aliis rebus utilius fortè deſtinati. Et profectò iniquus eſſem, ſi amicitiam noſtram tam duris conditionibus paterer abs te coli.

Ex lectione literarum tuarum correxi errorem meum, in quem me conjecerat depravatus *A. Gellii* Codex in quo fragmentum illud *Varronianum* relatum *lib.* 17. *cap.* 16. ita legebatur..... *Quæ ſequuntur, reſervantur in Diſputationes Epiſtolicas*..... Sed de his ſatis, & fortaſsis nimium multa.

Aveo ſcire quo loco res tuæ litterariæ ſint ! An Canes Lunæ, quam mordere nequeunt, allatrent adhuc, aut ſaltem hirriant ? Num illa, quam egregiè condiſti eiſque obtruſiſti, offa rictus penitus occluſeris ? An verò novæ tibi parandæ ſint ſcuticæ, quibus importunos abigas ? Gratiſsimum quoque mihi facies ſi reſcripſeris quinam ſint quinque illi J. Conſulti, quos te illuſtraſſe profiteris in carmine tuis Diſputationibus præfixo ? Quid item illud, quod Doctor *Thomas Navarrus* in probatione tuæ *Panegyris Saavedranæ* politiſsimum opus Commentariorum ad quinque illos J. Conſultos commendans adjecit : *que deſaparecieron tan preſto entre curioſas manos* ? Numquid tibi intercepti, & jacturam feciſti pretioſiſsimi operis deplorandam omnibus qui guſtu aliquo capiuntur ſolidioris Juriſprudentiæ ? Geſtio etiam ſcire propoſitum, & argumentum ejus operis quod *Jureconſultum* indigitas, ſive *De Juriſprudentia Romanorum illuſtranda Librum ſingularem*, cui, te judice, inter alia tua ſcripta palma defertur. Continetne cautiones, quibus jus noſtrum tractandum ? An principia perfecti Jureconſulti ? An manuductio eſt ad Juriſprudentiam Ro-

ma-

manorum ? Quidquid illud ſit , cum tuo muniatur ſuffragio , oportet eximium eſſe , minimeque vulgare. Ego te in oculis , in animo fero , ac ita te tuaque diligo , ut amor curioſitatem meam excuſare debeat , ſi quid de tuis rebus , etiam minimis , importunius quæram. Communis amicus *Blanquetus*, fratreſque mei te conſalutant. Tu, ſi me amas , fac ut valeas, & non minus tibi , quàm rei literariæ conſulas , rogoque , ut rationem habeas potius valetudinis , & occupationum tuarum in reſpondendo quæſitis meis , quàm meæ importunitatis : ità enim deſiderio meo plenius ſatisfacies. Vale ſuaviſsime *Gregori.* Cervariæ Lacetanorum XV. Kal. Martias anno Chriſtiano MDCCXXVIII.

VII. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO Jureconſulto graviſsimo , S. D.*

JUcundiſsimæ fuerunt mihi tuæ literæ, non tantum ob id quod meas tibi placuiſſe ſcribis , quam quòd animo plane liberali , & in adulationem minime compoſito , ſignificas , in iis aliqua levicula eſſe , quibus a me diſſentias. Agnoſco animi candorem : & facile patior opinione rerum non gravis momenti a me disjungi qui caritate mihi adeo conjunctus eſt. Itaque miſsis contentionibus , quas relinquamus oportet ingeniis levibus, reſcribo ad cetera.

Quod attinet ad priſtinos oblatratores meos , os illi quidem ad allatrandum aperiunt ; ſed præterito ſupplicio admoniti præpediuntur metu , eorumque vox hæret faucibus.

Quinque Jureconſultorum , quos Commentario illuſtravi , unicum exemplar habeo. Videbo an aliud extorquere poſsim ab amico aliquo , ut ad te mittam. Hic libellus præter expectationem meritumque meum ab eruditis viris celebratus eſt : ideo a multis expetitus. So-

lum

lum excusa fuerunt ducenta exemplaria ; quæ cum ego amicis largitus fuerim , nunc mira aviditas est propter eorum raritatem. Atque hoc Præpositus *Navarrus* significare voluit.

Liber ille, quem *Jureconsultum* inscripsi, idea est Jureconsulti. Nisi vererer ego, ne verissime loquens, arrogantissimus viderer, ingenue tibi dicerem velut ad aurem , opus æque necessarium ad Jurisprudentiam illustrandam non prodiisse adhuc. Hoc tamen affirmo , ac persancte dejero , me nihil scripsisse in tota vita , in quo æque mihi satisfecerim : imo in eo solum satisfeci mihi. In reliquis omnibus mihi ipse multum displiceo: in quo festinationis meæ pœnas pendo. Denique illud erit (volente Deo) ingenii maximum monumentum mei. Utinam ad Dei gloriam , qui imbecillo mihi ac impotenti eas vires dare dignatus est. Ille te incolumem servet cum tuis fratribus , quos & *Blanquetum* nostrum valere opto. Valentiæ in Edetanis. VI. Eidus Martias. Anno C. N. MDCCXXVIII.

VIII. *JOSEPHUS FINESTRESIUS GREGORIO MAjansio Jurisconsultissimo Professori Valentino, S. D.*

NEc dum etiam literarum officio tecum perfungerer, optime *Gregori*, si, ut animo proposueram, non nisi post bene confirmatam valetudinem , perlectis per otium doctissimis tuis ad quinque Jureconsultos Commentariis respondissem. Nam cum diu afflictus fuerim molestissima capitis gravedine , quæ soluta mox in pituitam faucibus , & pectori tenacius adhærescentem non modo serio meditandi , sed & pene loquendi facultatem ademit : devoraveram illos potius, quam concoxeram. Sed nunc , ægritudine paullulum remittente, licuit mihi attentius perscrutari elegantiam, eruditionem,

pers-

perſpicuam brevitatem, & in omnibus abſolutiſsimam diligentiam tuam in fragmentis illis explanandis.

Quid vero in te nimium ſeverus minimeque indulgens, mi *Majanſi*, Cenſoris partes mihi defers? Ego abs te circumveniri clamabo. Nam poſt graviſsimum *Decani Alonenſis* præjudicium quis erit, amabo, tam efrons qui contra aliquid palam ſentire audeat? Mallem profecto aſſertorem me delegiſſes adverſus malignos, ſi qui forte ſunt, qui laudum tuarum ſplendorem ferre non poſsint, quos vel uno præclariſsimi illius viri teſtimonio confoderem, & jugularem, niſi tantum illi non tribuant ejus judicio, quantum ego, qui ex ipſius *Apaſteroſi*, & epiſtolis quibuſdam eidem libello inſertis, quaſi ex ungue leonem, ut dici ſolet, quanta ſit in eo viro literarum copia, & facultas, & ſoliditas jamdiu habeo perſpectum. Quid ergo? Quæ ſunt in tuis *Commentariis*, quæ vel non intelligam, vel de quibus præ mea tenuitate dubitem, ea ſi tibi explananda proponam, cenſuram mihi arrogabo? Imo ignorantiam meam fatebor, quam, ut ſæpe feci, non verebor nunc tibi prodere. Faciam igitur quemadmodum illi, qui oculorum acie minus valentes, quæ ſolida ſunt umbras forte putant, aut nebulas: vel certe ſicut illi, qui publicæ diſputationis neceſsitate adducti, etiam ea quæ ſunt certiſsima argumentis quandoque oppugnant. Denique, ut ineptus arguar, non tamen prorſus videbor indiligens in ſcriptis tuis pervolutandis, quæ ſcrupuloſa iſta indagatio (quando ita vis) legiſſe ſaltem oſtendet. Memineris tantum umbratilem adverſus te pugnam pugnare exercendi ingenii cauſſa, non quod a te ſenſu velim diſſentire. Hoc mihi ſatis eſt.

Ecce tibi levicula quæ quo ordine interlegendum offendi, & annotavi, eodem hic tranſcripſi..... *Quæ hic deſiderantur, locum obtinebunt ſuum in Diſputationibus Epiſtolicis, Deo volente* .....

Hæc, prætermiſsis aliis levioribus, dum tuos Com-

mentarios legerem, obſervavi: quæ, ſi tu in judicium vocata, damnas; ego pariter in tuam ſententiam, & quidem nihil cunctatus pedibus ibo. Tibi in his (nam iſta, ut reliqua mea omnia, quaſi gladiatorio ſacramento tibi addico) urendi, ſecandi jus poteſtaſque eſto. Mihi ſatis eſt de amore tecum, & officiis pro palma certare, in quibus facile vinci non patiar: in reliquis, ut te longe ſuperiorem agnoſco, ita & me victum libenter fatebor.

Ego excurſum in montana quædam oppida meditor animi reficiendi gratia, quem, niſi contra quam ſpero aliquid accidat, non diferam ultra dimidiatum Quintilem: interim vero perge ſis tam jucundo tuarum literarum bono me ornare, quas fratres non dificulter ad me tranſmittent. De *Blanqueto* noſtro nihil tibi poſſum certi reſcribere, cum ejus literis jamdiu caream. Fratres mei, quibus pergrata eſt tui memoria, te amanter complectuntur, ſalutant plurimum, euntique in Patriam incolumitatem mecum precantur, & reditum. Vale. Cervariæ Kal. Quinctil. anno ſalutis MDCCXXVIII.

IX. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO Juriperitiſsimo Profeſſori Cervarienſi, & amico ſummo, S. D.*

CUm tui judicii, ac doctrinæ, & erga me benevolentiæ ſingularem antea opinionem haberem; multo majorem nunc ex quo mihi magis patefeciſti tuæ eruditionis divitias, ingenii excelſitatem, & ingenui amoris manifeſtiſsima indicia. Exhorruiſti me tam abſtruſæ eruditionis copia, tam acri rerum judicio, & obligaſti arctiſsime tam comi ac modeſta, tum errorum meorum admonitione, tum eorum quæ omiſi, ac dicenda fuerunt, indicatione. Etſi autem in aliquibus abs te diſſentio, maximam tamen gratiam & habeo tibi, & referre cu-

cupio: atque polliceor ex animo, me teſtaturum publice in Commentariorum repetenda publicatione, quantum ego debeam doctrinæ tuæ. Interea perge amare, & docere me; & cogita ei favere te, cui notam animi ingrati objicies nunquam. A tuo fratre *Jacobo*, veteri amico meo, amantiſsimas accepi, quibus mirifice ille recreavit me. Fratres tuos doctiſsimos quos enixe amo, ſalvere jubeo. Tu *Joſephe* mi fac meliuſcule te habeas, & ut cum bona valetudine firmam amicitiam ineas, propitio Deo. Olivæ, pridie Nonas Septembreis an. MDCCXXVIII.

X. *JOSEPHUS FINESTRESIUS GREGORIO MAJANſio Literatiſsimo Juris Interpreti in Academia Valentina, S. D.*

CItius fortaſſe quàm putaveras, ſuaviſsime *Gregori*, tuas accepi literas Olivæ ſcriptas pridie Nonas Septembr. Nam cum per Comitis infirmitatem meditata ruſticatio non proceſſerit; continui me tota æſtate intra Cervarienſes limites. Nec ſanè pœnituit: hîc enim in tam immodico Cœli ardore ſatis clementer placideque mecum actum eſt: commoda certe valetudine uſus ſum hactenus. Gratiſsima verò, atque, ut ſunt tua omnia, jucundiſsima mihi fuit epiſtola tua; gratior etiam futura, ſi amoris in me tui indicia non ex laudationibus, quibus immerentem me cumulaſti; ſed ex ſimplici benevolentiæ profeſsione detuliſſet. Abſit enim, ut earum laudum aliò detorqueam interpretationem; ne te, quem *ophthalmon nomikes* jam diu ſuſpicio, neceſſe ſit injuſtum juris tributorem ſuſpicari. Nam, quæ eſt, mi *Gregori* abſtruſa illa eruditio, quod acre judicium, quæ mentis excelſitas in animadverſionibus meis, quas (dicam quod res eſt) concepit ignorantia, diſcendique cupiditas infelici edidit partu? Vide nunc cujus doctrinæ

quidquam debere poſsis ; deque cujus eruditione publicè teſtari pollicearis. Id eò dico , non quod nomen meum ſcriptis tuis , quæ æternitati paras , nolim conſignatum ; quid enim mihi honeſtius , quid glorioſius? ſed tui ipſius cauſsâ , cui velim etiam apud noſtros fidem haberi , nec ſuſpectum fieri iis , qui penitius me cognoſcunt , propiuſque contingunt. Quod ſi hæc , quaſi nimis abjectè de me ipſo ſentiam , à me dici putes; at certè quacumque de me prædicatione videberis quodammodo reprehendere, convellereque eorum judicium, qui paucos ante annos , alterum mihi præferentes , non tamen ex alio jecore ſapientem , eo ſe exemplo veram crediderunt oſtendere ſenarioli illius ſententiam,

Polloi mathetas kritzones Didaſcalon.

Perpende quæſo , mi *Majanſi* an ex hoc literario, ut ita dicam contractu inter nos inito , rationibus hinc inde ſupputatis, tu mihi debitor , an ego potius evaſerim reliquator , & quidem non ſolvendo ? Cui proinde ſatius eſſet latitare , quam prodire in publicum ; niſi non acerbum exactorem fuiſſem nactus , ſed creditorem minimè difficilem , penituſque ſui juris oblitum. Hanc ergo humanitatem tuam accuſabis, ſi cum tantum tibi debeam plura etiam nunc abs te peto.

Cum nudius tertius quædam de Romanorum Jureconſultis inveſtigarem , incidi in *Jac. Cujacium* , qui non modo J. C. *Tertullianum* , & *Licinium Rufinum* Chriſtianos fuiſſe aſſerit , ſed etiam *Aurelium Arcadium Chariſium lib. 7. obſ. cap. 2.* De primis duobus quâ ratione id affirmetur ſatis eſt manifeſtum : quippe cum *Tertullianus* , cujus in libris juris fit mentio, ille à nonnullis habeatur Eccleſiaſticus Scriptor , qui claruit ſub *Septimio Severo*, & *Ant. Caracalla*; alter putetur autor ejus libri, in quo collatæ ſunt leges Dei cum legibus P. Romani, invento à *P. Pithæo* , & publici juris facto. De *Arcadio Chariſio* nihil præter nudam *Cujacii* aſſertionem invenire potui. Nihil præterea habeo de *Caio* illo , ex cujus

ſcrip-

ſcriptis teſtatur *Juſtinianus* noſter permulta ſe inſtitutionibus ſuis inſeruiſſe, præter teſtimonium *Eguin. Baronis*, qui eum Chriſtianum quoque agnoſcit. Si Valentiæ redditus ocio abundas, & adminicula quæpiam pro aſſerendo Chriſtianiſmo horum J. C. vel ad manum habes jam antea obſervata, vel facilè, ac ſine moleſta diſquiſione invenire potes; obſecro te ne graveris ea mihi communicare. Quid item ſentias de *Hermogeniano*, qui floruiſſe fertur ſub *Conſtantino*? Anne & hunc in cenſum Orthodoxorum recipiendum putes? Ego profecto exiſtimo, ſi qui ſunt, qui hoc argumentum tractaverint, eos in re tam obſcurâ Andabatarum more pro ſua ſententia decertare.

Ut autem *Arcadium Chariſium*, nullo teſte prolato, Chriſtianum pronunciat *Cujacius*; ſic è converſo (quod eadem die obſervavi, minimeque putaſſem) ſugillat (an bona fide id faciat neſcio) *Katarton* appellans, non tam quod Judæus, quàm quod ex Chriſtiano Judæus, Doctorem Conimbricenſem *Emmanuelem Soarez*: Is enim eſt, quem ſuppreſſo nomine exagitat toto *cap.* 17. *lib.* 9. *obſ.* ut facta collatione errorum, qui à *Cujacio* ibi confutantur, poſſum liquidò affirmare. At non ita deprehendi quis ille ſit, quem idem *Soarez* hiſce ſiglis AA. leviter indicatum *in Annot. ad Ant. Gomezium var. lib.* 3. *cap.* 6. *de injur.* Ibim ſuum vocat, lectores ſubinde precatus, ut illum diris, furiiſque omnibus devoveant. Leviſsima hæc quidem ſunt, & quæ plumâ non intereſt ſcire: ego tamen, qui in juris Interpretum hiſtoriis curioſior aliquantò ſum, ac fortaſsis nimium moroſus excrucior quoties myſteria hujuſmodi non aſſequor. Quæ curioſitas facit, ut velim etiam à te edoceri quamobrem non *P. Rutilio Rufo*, non *Rutilio Maximo* adjudicaſti deciſionem quæſtionis propoſitæ in *l.* 1. §. 1. *de arbor. cædend.* ſed *Rutilio* illi, qui de re ruſtica ſcripſit? Vide (nam nihil tibi diſsimulabo) vide, inquam, num tu callidior me ſis. Cum legerem Diſputationem tuam *de arbo-*

boribus cædendis, & considerarem argumentum esse à communi usu aliquantulum remotum, cœpi subvereri, imo & mihi persuadere illud à te pertractatum, ut attributo fragmento isto rei rusticæ Scriptori, averteres opinionem indiligentiæ vel oblivionis tuæ; revera enim tibi excidisse, cum *Rutilii* utriusque fragmenta commentabaris. Quod si ita est; næ ego te callidior sum: sin secus; versutior, cujus nomine non abnuo à te reprehendi. Verùm res tibi erit postea cum *Jac. Cujacio Rutilium Rufum* eo loco significari asseverante: imo & cum aliis, quibus haud facilè persuadebis allegari rei rusticæ Scriptorem pro decidendâ non fasti, sed juris quæstione. Ut autem hac in lite superior evadas, si tamen pergis duos illos *Rutilios* excludere à cæteris, quæ tu commentariis non illustrasti, ex integro tibi caussa suscipienda erit, prolatâ aliâ *Rutilii* sententia à rei rusticæ Scriptore sanè alienissima, quæ extat in *l. si habitatio* 10. §. *Utrum* 3. *de usu & habit.* quam etiam *Jac. Cujacius* tribuendam censuit *Rutilio Rufo.* Itaque, si in ea abjudicatione reliquiarum *Rutilii* perseveras, necesse erit, ut in repetenda editione tuorum Commentariorum opinionem tuam fulcias validioribus tibicinibus; ne in pari caussa nudæ assertionis vincat *Jac. Cujacius*, qui solet ubique triumphare.

Habes epistolam tricis, ac quisquiliis refertissimam. Sic enim mihi scribendum est, cum alia non suppetunt, ne pereat fructus communicationis nostræ. Quod reliquum est, doctissime, & humanissime *Gregori*, quæ sæpè aliàs officia mea tibi sum pollicitus eadem nunc etiam èx animo voveo. Et quamquam in his, quæ ingenii præstantiam, doctrinæque copiam requirunt, multa in me desiderare possis, desunt enim penè omnia; quæ tamen intra diligentiæ sedulitatisque fines continentur, ea si mihi commiseris, spero fore, ut operam meam non contemnas. A fratribus meis tui amantissimis jubeo te salvere plurimum. Vale. Cervariæ Lacetanorum v. Kal.

Kal. Octob. anno Dom. MDCCXXVIII.

XI. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO suo, S.*

ETsi ego nollem, me cogeres ad amandum te. Nam cum me debeas docere, tanta moderatione animi es præditus, ut velis esse paratus, a me aliquid discere. Fruar itaque, quando ita jubes, liberali hac tua ac prolixa voluntate, dummodo illud memineris, difficillimum esse me satisfacere tibi in iis rebus, in quibus tu ipse tibi non potuisti. Experiere saltem obsequium meum.

Quæsiisti ex me, num Christiani fuerint, *Cajus*, *Tertullianus*, *Hermogenianus*, *Licinnius Rufinus*, & *Arcadius Charisius*? Uno verbo respondere poteram non fuisse. Et si id feciissem, minime duos menses procrastinassem responsionem. Certe eorum dictum qui Christianos illos habuere, nullam in contrarium meretur operam; cum ipsi nullam posuerint in opinione sua stabilienda. Sed tibi eruditissimo viro aliter ego respondere debeo, & moram meam aliquo modo pensare. A *Cajo* incipio.

Sabino succesit *C. Cassius Longinus*, natus ex filia *Tuberonis*, quæ fuit neptis *Servii Sulpicii*: & ideo proavum suum *Servium Sulpicium* appellavit, teste *Pomponio l.* 2. §. 47. *de orig. jur.* cui addito *Paullum l. qualem* 19. §. *unde* 2. *de recept.* Majores vero paterni generis habuit inclytum illum *C. Cæsaris* interfectorem, & *Lucium Cassium Longinum*, plebejum, sed nobilem, qui *Ciceronis* fuit in Consulatu competitor, antea Prætor, ejus sententiæ autor, *cui bono*, ut memoriæ prodidit *Asconius Pedianus*, & ante eum *Cicero in Orat. pro Milone*: quod multi jam monuerunt. Hic est *Cassius* ille Prætor cujus *Ulpianus* meminit *l. sed etsi* 26. §. *si feriæ* 7. *ex quib. caus. maj.* & *l. apud Celsum* 4. §. *metus* 33. *de doli mali & metus*

ex-

except. quique fuit autor ejus actionis quæ refertur apud *Venulejum l. Caſsius* 11. *quæ in fraud. cred.* fuit ſummæ vir ſeveritatis eodem *Aſconio* referente, adeo ut ejus Tribunal propter nimiam ſeveritatem *ſcopulus reorum* diceretur. *Valerius Maximus lib.* 3. *c.* 7. Ab hoc *Lucio Caſsio* diverſus fuit *Lucius* alter *Caſsius* plebei Romæ generis (forte ejuſdem) verum antiqui honoratique & ſevera patris diſciplina eductus, facilitate ſæpius quam induſtria commendatus. Huic *Druſillam Germanico* genitam *Tiberius* conjunxit, ſicuti *M. Vinicio Juliam*, *C. Domitio Agrippinam*, *Tacitus 6. Annalium* 15. *& Annal.* 4. *c. ult.* Qui propterea dicuntur *Progeneri Cæſaris*, *Tacitus 6. Annal. c.* 45. Huic *Lucio Caſsio Longino* collocatam *Druſillam* abduxit *Calligula*, & in modum juſtæ uxoris habuit, ut *in Calligula cap.* 24. *Suetonius* refert. qui *Conſularem* eum appellat, quia *Conſul* fuit *Ordinarius* cum *M. Vinitio*, anno 783. ex *Caſsiodori Chronico.* Atque hæc obiter. Redeo ad noſtrum Jureconſultum. Duxit uxorem *Lepidam*, *Tacitus* 16. *Annal. cap.* 8. *Conſul* fuit cum *Quartino* temporibus *Tiberii*, teſte *Pomponio.* Uterque, ut puto, *Conſules ſuffecti*, neque enim reperiuntur in *faſtis Conſularibus* archetypis: etſi a correctioribus, ſeu potius corruptioribus perperam ut *Ordinarii* obtrudantur. Plurimum in civitate autoritatis habuit, teſte eodem *Pomponio*: nempe ceteros Jureconſultos ætatis ſuæ præminuit peritia legum, *Tacitus* 12. *Annal. cap.* 12. *Caſſianæ Scholæ Princeps* & *Parens* fuit, *Plinius lib.* 7. *epiſt.* 24. Eum egregie laudat *Aggenus Urbicus Commentario in Frontinum De limitibus agrorum*, qui *Virum prudentiſsimum* appellat. Adde *Arrianum ad Epictetum cap.* 3. *Servium* ad illud *Virgilii in Georg.* 3. *magno vellera mutentur.* Ex quo loco illuſtra ſis §. *item* 2. *inſt. de emt. & vend.* Scripſit *Commentarios Juris Civilis l. ſi quis* 54. *de cond. & dem. l. ſi alieni* 78. *de ſolut.* conſultis earum inſcriptionibus. atque ideo *Gaji Caſsii liber* 10. *Juris Civilis* citatur ab *Ulpiano l. quid ergo* 7. *de uſufr. Notas*

ſcrip-

scripsisse videtur ad *Vitellium*, ad quem *Masurius Sabinus Cassii Præceptor* jam ante scripserat, *l. quæsitum* 12. §. *sed etsi* 27. *de instr. vel instr. leg. l. qui penum* 3. *de penu leg.* Scripsit etiam ad *Ursejum Ferocem*, *l. quid tamen* 10. §. *si massæ* 5. *quib. mod. usufr. vel usus amit.* junctâ *l.* 1. §. *quod si* 10. *quar. rer. actio non det.* Addunt aliqui scripsisse etiam ad *Minicium arg. l. ex emto* 11. §. *denique* 15. *de act. emti.* Sed hi legere debuerant præcedentem paragraphum, & animadvertere, non *Cassium* sed *Julianum* ad *Minicium* scripsisse. Hæc autem *Opera*, & eorum autor *Cassius* non recensentur in *Indice* Pandectis præfixo, quia nullum ejus fragmentum integrum extat. Denique Auditorem habuit *Titum Aristonem l. arbiter* 40. *de receptis*, *l. si non fuerint* 29. §. *Aristo* 2. *pro soc. Titum* inquam *Aristonem* tantopere à *Plinio* celebratum *lib.* 1. *epist.* 22. *& lib.* 5. *epist.* 3. Atque hic *T. Aristo* scripsit postea *Notas* ad ejus libros *l. locum* 17. §. *ex eo* 1. *de usufr.* & ante eum ex eodem *Cassio libros quindecim* scripserat *Javolenus Priscus.* Quamvis *Cassius* doctrinæ magis quam bellis vacaret, priscæ tamen disciplinæ studiosissimus fuit. *Meherdatem* deducere jussus, metuens ne cunctando langueſcerent barbarorum animi; neve perfidia mutarentur ii a quibus *Meherdates* in Regem postulabatur, prælii committendi, urgendæque rei autor erat. Sed id consilium fraude neglectum ab Rege Arabum *Ablaro.* Quamobrem *Meherdates* ea mora nudatus auxiliis, postea infeliciter imparibusque copiis pugnans in hostium potestatem est redactus, *Tacitus* 12. *Annal.*

Ad ejus ingenium quod attinet, severissimus fuit, ut vere dixeris fuisse hominem *Cassianæ gentis.* Hinc debellatis Parthis, cum a senatu supplicationes decernendæ essent; statuæque & arcus, & continui consulatus *Neroni*; utque inter festos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam modum egressa; C. *Cassius* de

ceteris honoribus assensus; *si pro benignitate fortunæ diis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere* differuit: *eoque oportere dividi sacros & negotiosos dies, quis divina colerentur, & humana non impedirent.* Vel ipse *C. Cassius* severitatem suam agnoscebat, cum enim Puteolanæ seditionis adhibendo remedio delectus esset, quia severitatem ejus non tolerabant, precante ipso, ad *Scribonios* fratres ea cura translata, ut scribit *Tacitus Annal.* 13. *cap.* 41. & 48.

Ad munera publica quod attinet, præterquam quod *Consul* fuit, ut ex *Pomponio* retuli, Syriæ præfuit, *Tacitus* 12. *Annal.* 12. *Dio lib.* 59. *Josephus lib.* 15. *Antiq. Judaic. c.* 14. Nempe *Claudius Cæsar* misit successorem *Marso Cassium Longinum*, *Josephus lib.* 20. *cap.* 1. Cum *Cassius Longinus Præses* esset Syriæ, ipse & *Cuspius Fadus* Judææ Procurator, jusserunt Judæos denuo stolam in Antoniam deponere, *Josephus lib.* 15. *Antiq. Judaic. cap.* 14. Hoc est, Pontificiam Judæorum stolam summis sumtibus, & magnificentia elaboratam, quæ prius à Romanis adservabatur & Judæis poscentibus ad sacrificiorum usum promebatur, quamque *Tiberius* in Judæorum potestatem retulerat; *Cassius*, ne quid Romanis ex antiquo jure decederet, in Romanorum redegit custodiam. Eundem *Cassium Longinum* Asiæ tum *Proconsulem* occidendum delegaverat *Caligula*. *Suetonius in Caligula cap.* 57. Mandatum negotium exitu caruisse videtur: nam reversus fuit *Cassius* in urbem, ibique vixit magna cum autoritate, in qua perseveravit eo usque donec eum *Cæsar* civitate pelleret, *Pomponius l.* 2. §. 47. *de orig. jur.* *Cæsarem* intellige *Neronem* qui prohibuit *C. Cassium* officio exequiarum *Poppææ*: quod primum indicium mali. Neque in longum dilatum est, etenim missa ad Senatum oratione removendum e republica differuit simul cum *Silano* disciplina *C. Cassii* educato, *Tacitus Annal.* 16. *cap.* 7. & *Annal.* 4. *cap.* 52. Objectavit *Cassio*, quòd inter imagines majorum etiam *C. Cassii* effigiem coluisset

ita

ita inſcriptam, *Duci Partium*, *Tacitus* 16. *Annal. cap.* 7. *Suetonius in Nerone cap.* 37. qui addit, *Caſsium* luminibus orbatum eo tempore. Tunc SC. *Caſsio* & *Silano* exilia decreta. deportatuſque in inſulam Sardiniam, *Tacitus* 16. *Annal. cap.* 9. & 22. Sed revocatus a *Veſpaſiano* diem ſuum obiit, *Pomponius l.* 2. §. 47. *de orig. jur.* Hæc habui quæ ſcriberem de *C. Caſsio Longino.*

Fuit & alius *Longinus* ex equeſtri quidem ordine qui poſtea ad Præturam uſque pervenit, *Pomponius l.* 2. §. 47. *de orig. jur.*

Denique fuit alius *Cajus* ab his omnibus diſtinctus, qui non ſolum dici *Gajus*, ſed ita ſolet ſcribi: iſque fuit *Titus* ille *Cajus*, quem in *Recitatione* mea *extemporali* ad *L. ſi fuerit* 5. *de leg.* 3. dixi fuiſſe adoleſcentulum cum imperaret *Hadrianus*, ut colligere licet ex *l. utrum* 7. *de reb. dub.* Vixit etiam ſub *Antonino Pio Hadriani* ſucceſſore & adoptivo filio *l. nuper* 42. *de don. inter.* Poſt ejus mortem, *l. quod Principi* 56. *de leg.* 2. *l. ſi Titius* 96. *de leg.* 3. *l. per fideicommiſſum* 90. *de cond. & dem. l. facta* 63. §. *reſcripto* 5. *ad SC. Treb. l. cum Senatus* 20. *de reb. dub.* ſcilicet ſub *Divis Fratribus*, & ſub *Marco* ſolum, quem *Sacratiſsimum Principem* appellat, *l. ſacratiſsimi* 9. *ad SC. Tertull.* Hinc mirum non eſt, a *Pomponio Gajum* appellari ſuum, *l. cum ſervus* 39. *de ſtip. ſerv.* quippe amici erant: nam, cum *Sextus Pomponius* antiquior fuerit *Paullo Papiniani* Aſſeſſore *l. lecta* 40. *de reb. cred.* ſub *Severo*, utpote *Paullus* allegat *I. Pomponii* Epiſtolarum librum, *l. ubi* 124. §. *furioſus* 1. *de div. reg. jur. Pomponiuſque* ſcribens *Epiſtolarum libros*, ipſe aſſerat, ſe jam in octavum & ſeptuageſimum annum perveniſſe, *l. apud Julianum* 20. *de fideic. libert.* conſequens eſt *Gajum* atque *Pomponium* eodem tempore vixiſſe. Nec mirum eſt *Pomponium* non meminiſſe *Gaii* in *Enchiridio* ſuo, cujus extat illud nobiliſsimum fragmentum *in l.* 2. *de orig. jur.* Etenim *Pomponio* videtur propoſitum fuiſſe Hiſtoriam ſuam ad *Hadrianum* uſ-

que perducere. Certe ejus fragmentum in *Juliano* desinit, qui *Edictum perpetuum* jussu *Hadriani* digesit, *l.* 2. §. 18. *c. de vet. jure enucl.* Ad propositum. *Caii* scripta, quæ mox recensebo, confirmata fuerunt constitutione *Theodosii & Valentiniani l.* 1. *c. Theod. de responsis Pruden.* Quam constitutionem de hoc *Cajo* puto loqui, quia plusquam ceteri scripsit; cujus scripta, cum omnium studiosorum manibus tererentur, ut apparet *ex* §. 1. *constit.* ad *Antecessores*, facile intelligebantur, *Caii* nomine simpliciter prolato: sicuti cum *Sabinum* dicimus, *Masurium* intelligimus, *Cœlio Sabino* scriptis multo clariorem. Et alioqui imperatores C. *Cassium* dixissent, non simpliciter *Cajum*, nisi eum intelligi voluissent qui sic soleret appellari.

Hic noster *Cajus* plures libros scripsit, quorum hi memorantur in Indice illo præfixo Pandectis Florentinis.

Ad Edictum Provinciale XXXII. Eorum mentio passim in Pandectis occurrit a *primo* ad *trigesimum. Provincialia Edicta* erant quæ a *Proconsulibus* aut *Prætoribus* in Provinciis decernebantur. Unde passim *Gajus* in suis *libris ad Edictum Provinciale*, *Proconsulis* mentionem facit, ut *in l. quod autem* 19. *quod metus causa*, *l.* 1. *de alien. jud. mut. caus. fac. l. si quo tempore* 41. *de hær. pet. l. illud quæsitum* 32. *ad l. Aquil. l. si noxale* 27. *de nox act. l.* 1. *quod cum eo*, *l. nemo* 68. §. *illud* 1. *pro socio*, *l. de militis* 2. *de test. mil.* Nimirum erat *Proconsulis* in Provinciis plenissima jurisdictio, ut omnium magistratuum urbanorum partes ad eum pertinerent, *l. si in aliam* 7. §. *ult. cum l. seq. de off. Proc.* Itaque, ut *Prætor urbanus* Romæ, sic in consulari Provincia *Proconsul*, in Prætoria *Prætor Edicta* proponebant quæ *Provincialia* appellabantur, *l.* 2. §. *cumque consules* 27. & §. *& quia* 31. *de orig. jur.* Atque hinc intelligitur cur *Gajus* in locis paullo ante allegatis *Edicti* autorem appellet *Proconsulem*, & *Ulpianus Prætorem* in *l. metum* 9. §. *animadvertendum* 1. *quod metus causa*, *l. ait Prætor* 2. *quod cum eo.* Nimirum ille in-

terpretabatur *Edictum Provinciale*, hic *Urbanum*, ut ex dictarum legum inscriptionibus manifeste colligitur. Quod si aliquando *Gajus Prætoris* meminit *in libris ad Edictum Provinciale* (quod raro facit) referendus est ad *Edictum Prætorium Provinciale*: nisi quis malit dicere cum *Ant. Augustino* magni judicii viro *lib.* 1. *Emendat. cap.* 5. id *Tribonianum* mutasse in *l. ult. quod quisque juris*, *l. Prætor* 15. *de nox. act. l.* 1. *test. quemad. aper.* quæ desumta est ex *Gaii lib.* 17. *ad Edictum Provinciale*, quo libro (ad eundem enim, & non ad alium pertinet *l. sed si* 7. *test. quemad. aper. ut ex serie legum & contextu colligo*) cum *Gajus* fecerit *Proconsulis* mentionem non inanis videtur sapientissimi viri conjectura existimantis id, aut dedita opera a Justiniani ministris, aut casu a librariis mutatum. Ut ut sit, cum *Gajus* scripserit ad *Edictum Provinciale*, satis constat eo tempore *Edictum* illud jam fuisse fixum. Nec dubito quin *Hadriani* jussu, *Juliano* Prætore colligente, & digerente.

Scripsit *Gajus Ad Leges XV. libros.* Ad *Leges* scilicet *Juliam* & *Papiam*, quæ simpliciter *Leges* appellari solent, *l. princeps* 31. juncta ejus inscriptione *de legibus*, *l. nec per liberos* 2. *de minor. l. observandum* 49. *de ritu nupt.* junctis earum inscriptionibus. Hi omnes libri in Pandectis laudantur præter *septimum*, cujus nullum extat fragmentum.

Ad Edictum Urbicum quot libros scripserit, incertum. *Decem* tantum memorat *Index* jam allegatus. Ex illis aliquot fragmenta supersunt, ut in *l. sicut* 5. *de adim. vel transf. legat. l. benignius* 6. *de lib. causa. Libros X. ad Edictum* interpretor totidem *Commentarios ad Edictum Urbicum*, quod per certos titulos Digestum erat. Ex quibus *Commentariis* nobis supersunt aliquot fragmenta. Et, ut exemplis hoc declarem, scripsit *Ad Edictum Prætoris Urbani Titulo Ut neque sequantur, neque ducantur*, *l. solutum* 48. *de verb. sign. Titulo de Publicanis*, *l. hoc edicto* 5. *de Publicanis. Titulo de Testamentis*, *& ad eum titu-*

titulum ob argumenti amplitudinem libros duos, l. illa 32. *l. ſi quis* 33. *de hær. inſt. Titulo de Legatis, & ad eum titulum libros tres, l. ſi ita* 65. *l. ſervo* 69. *l. ſi hæres* 73. *de leg.* 1. Quem numerum librorum *Juſtinianus* imitari voluit in Pandectis. *Titulo de operis novi nunciatione, l. creditori* 9. *de novi operis nunc. Titulo de damno infecto, l. in noxalibus* 30. *de nox. act. Titulo de aquæ pluviæ arcendæ, l. ſed venditor* 13. *de aq. & aq. pluv. arc. Titulo de liberali cauſa, l. ſi liber* 13. *ad Exhib. & paſsim tit. de lib. cauſ.* Quem *Titulum Gajus* videtur in *duos libros* diviſiſſe propter argumenti amplitudinem, *l. ſi quis* 30. *de bon. libert. Titulo de re judicata, l. nam in honorem* 2. *de act. rer. amotar.* Denique ſcripſit *Gajus* ad *Edictum Prætoris Urbani Titulo de Prædiatoribus, l. res* 54. *de jur. dot.* De *Prædiatoribus* poſſem multa dicere. Vide *Ciceronem in Verrina* 3. *& ibi Aſconium Pedianum*, Eundem *Ciceronem Pro Balbo. c.* 20. *& ad Atticum. Feſtum* in voce *Præſ. Suetonium in Claudio cap.* 9. *Valerium Maximum lib. viii. c.* 12. 1. *& Gloſſ. Philox. v. Prædiator.*

Aureorum VII. libros ſcripſit, qui & *Rerum cottidianarum* appellantur, *l. naturalem* 5. *de adq. rer. dom. l. ex maleficio* 4. *de oblig. & act.* §. *quos ex omnibus* 6. *in Proœm. inſt. Aurea* Veteres excellentia dixerunt. Sic *Lucretius lib.* 3.

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſsima vita.

Quo ſenſu *Ciceroni aureolus* libellus in *Academicis* dicitur *lib.* 2. & *aureola* oratiuncula 3. *de nat. Deor.* Sic *aureus ſol, aurea mala, vellus aureum, ſeculumque aureum*, non eo dicuntur quod ex auro eſſent, vel inaurata, ſed quia pulchra, magnique pretii, ut aurum ipſum. Unde *Ennius in* 1. *Annali.*

——— *Simul aureus exoritur ſol.*

Quem imitatus *Virgilius lib.* 1. *Georg.* ait.

Per duodena regit mundi ſol aureus aſtra.

Et

Et lib. 4.

Quod ſupereſt, ubi pulſam hiemem ſol aureus egit.

Idemque *Ecl.* 3.

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Et Ecl. 4.

——— *Toto ſurget gens aurea mundo.*

Mitto innumera hujuſmodi, cum notum omnibus ſit, *Apuleii* metamorphoſin circumferri nomine *Aſini Aurei*. *Res* autem *cottidianæ* dicuntur, quæ quotidiè uſu veniunt, ac proinde perdiſcenda, in promtuque habenda; vel ea ſunt, in quibus ſcribuntur res publice quotidie in foro tractatæ; quò alludunt *Vetera Colloquia Puerilia*, in quibus ita Puer: *Poſt hæc, dimiſſus, conſedi meo loco. Librum accepi. Scripſi cottidiana.*

Dodekatelti VI. hoc eſt, *Ad Leges* 12. *tabularum*, ut hi libri paſsim in Digeſtis appellantur. In ſingulis libris duas tabulas *Cajus* explicavit. Unde magnam lucem mutuatus eſt eruditæ Juriſprudentiæ columen *Jac. Gothofredus* ad fragmenta duodecim Tabularum reſtituenda priſtino ordini. Qua in re multum gloriatus eſt *Jac. Gothofredus* ſe tam altum myſterium penetraſſe. Verum (ut hoc obiter dicam tanti viri pace) hæc obſervatio debetur maximo viro *Ant. Auguſtino*, qui in fine aurei libelli, in quo collectas legimus *Leges* 12. *tabularum* ita ſcripſit, modeſtiſsime, ut ſemper. *Hæc habui quæ de* 12. *tabulis ex variis libris collecta ſcriberem, quibus aut nos, aut alii aliquando plura addent. Scripſit ad eas Leges Cajus libros ſex, quorum initium illud, ut arbitror, fuit quod Juſtinianus lib.* 1. *Digeſtorum retulit*: Facturus legum vetuſtarum interpretationem, neceſſario prius ab urbis initiis repetendum exiſtimavi. *Cetera quæ variis Digeſtorum locis ſcripta ſunt, omnia (ni fallor) antea retulimus. Eorum librorum ordinem ſecuti fuiſſemus, utpote qui ipſarum legum fuiſſet; niſi perpauca ex eiſdem libris, ex aliis autem tam multa cepiſſemus. Quod ſi cuiquam is ordo magis probetur, ſuperiores omnes locos perlegere po-*

te-

terit, & ex eis Cai ordinem ediſcere.

Inſtitutionum quatuor libri memorantur ſæpe in Digeſtis. Horum librorum fragmenta quædam apud *Boetium* reperiuntur ad *Topica Ciceronis*, apud *Priſcianum lib. 6. in fine* & apud *Moſaycarum & Romanarum Legum Collatorem tit. 16.* & multa ex iis *Juſtinianus* deſcripſit: ideoque *ſuum* appellavit in *inſtit. Proœm. §. quos ex omnibus 6. §. item 5. inſt. de publ. judic. & in l. omnem Pandectarum confirmatrice*, §. *& antea* 1. Quo ſenſu *Strabo & Seneca Zenona ſuum* vocarunt, & *D. Hieronymus in Prologo ſuo Galeato*, *Lege* (inquit) *primum Samuel & Melachim meum. Meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo, & emendando ſollicitius & didicimus, & tenemus, noſtrum eſt.* Extat hodie horum librorum *Cai Epitome* digeſta ab *Anniano Alarici Regis* Conſiliario.

De Verborum obligationibus III. libros ſcripſit. Ex omnibus aliqua fragmenta ſuperſunt in Digeſtorum libris, in quibus *Juſtinianus Gajum* imitatus eſt librorum numero.

De manumiſsionibus III. Ex *ſecundo* nullum fragmentum ſupereſt.

De fideicommiſsis II.

De caſibus librum ſingularem ſcripſit.

Dotalicion liber ſingularis forte ille eſt, quem *Juſtinianus* Imperator allegavit in conſtitutione *omnem*, appellans, *De vetere re uxoria.*

Hypothecariæ liber ſingularis idem eſt ac inſcriptus *De formula hypothecaria, l. contrahitur 4. de pign. & hypoth. l. ſi alius 2. quæ res pignori*, ſive *Ad formulam Hypothecariam, l. ſi conſenſit 7. quib. mod. pig. vel hyp. ſolv.*

Denique ait *Index* toties memoratus, ſcripſiſſe *Gajum Ad Edictum de publicanis.* Quod ego ſic interpretor. Scripſit *Gajus ad Edictum Urbicum*, ſive, *ad Edictum Prætoris Urbani, l. benignius 6. de lib. cauſ.* ac propterea ad *Edictum Prætoris Urbani titulo de Publicanis, l. hoc edicto 5. de public. l. veteres 19. de act. emti & vend.*

Au-

Autor igitur *Indicis* hoc omittere debuerat: nam id satis intelligebatur ex eo quod dixerat scripsisse ad *Edictum Urbicum*. Unde apparet *Indicem* illum non confeciſſe *Tribonianum*, ſed recentiorem aliquem, in veterum Jureconſultorum libris parum verſatum. Quod multis aliis argumentis comprobare poſſem, & ex dicendis etiam apparebit.

Præterea comperio ſcripſiſſe *Gajum librum ſingularem De tacitis fideicommiſsis, l. ſi quilibet 23. de his quæ ut indign.*

Item *Librum ſingularem ad SC. Tertullianum l. in ſuſpenſo 8. Ad SC. Tertull.*

Item *Librum ſingularem ad SC. Orphitianum, l. ſacratiſsimi 9. ff. eod.*

Poſtremo dicitur ſcripſiſſe etiam *Singularem librum ad Legem Gliciam arg. inſcriptionis l. non eſt 4. de inof. teſt.* Sed argumento ſane perquam infirmo. Nam de *Lege Glicia* nullum teſtimonium habemus præter illud quod Florentinæ Pandectæ nobis exhibent in inſcriptione *d. l.* 4. Ea autem inſcriptio vix fidem meretur, cum incertiſsima ſit. Nam, ut de Jureconſulto prius mentionem faciam in *Baſilicis* deeſt nomen *Gaii* cum alias Jureconſulti nomen adſcribatur legibus. Alii tribuunt legem *Gallo*, alii *Maximo*. Deinde, quod ad legem ipſam attinet, ſunt libri qui habent *Ad L. Liciam*, alii *Ad L. Lenticam*, vel *Leuticam*. Editiones *Haloandri*, *Hugonis à Porta*, *Vintimillii*, & quæ apud *Sennetonios prodiit*, conſtanter omnes, *Maximus ad Legem Falcidiam*. Vide nunc, num prudenter faciat, qui inde firmum ducere argumentum velit. Sed manum de Tabula.

De *Cais* habes quicquid conferre viſum fuit operæ pretium. Venio nunc ad quæſitum tuum. Puto te ſolum quærere an *Titus Cajus* Chriſtianus fuerit: nam quin ceteri non fuerint, nemini dubium eſſe debet, ſi quæ dixi attente conſideret. At in *Tito Cajo* quæ dubitandi eſſe poteſt ratio? An quia Juſtinianus appellavit *ſuum*? In

argutulum ita argumentantem retorqueri posset, etiam fuisse Æthnicum, cum *Pomponius* Æthnicus appellarit *suum*, *l. penult. de stip. serv.*

Plures gravioresque rationes dubitandi in *Tertulliano* sunt, de quo jam tempus est, ut accurate disseramus.

Q. Septimius Florens Tertullianus Presbyter Cartaginiensis vixit sub *Severo & Antonino*, ut notissimum est. De eo sic *Lactantius lib.* 5. *Div. instit. cap.* 1. *Septimius Tertullianus fuit in omni genere literarum peritus, sed in loquendo parum facilis, & minus comtus, & multum obscurus.* Laudatur ab *Eusebio*, ut *vir in Romanis legibus exercitatus, & præterea celebris etiam inter eos, qui Romæ illustres fuerunt. Lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 2. A *Nicephoro* etiam laudatur, ut *vir insignis, accurataque legum & Actorum Romanorum peritia clarus, lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 8. De eo hoc judicium tulit *D. Hieronymus epist. ad Paulin. Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo.* Et *D. Augustinus lib.* 1. *contra Faustum* ita scripsit. *Affectavit Tertullianus obscuritatem.* Videamus an hæ Notæ, *ætatis* scilicet, *peritiæ Juris* & *stili* conveniant Jureconsulto nostro, ei inquam *Tertulliano* qui, si fides adhibenda *Indici* illi præfixo Pandectis Florentinis, scripsit *Quæstionum libros octo.* Certe in Digestis fragmenta supersunt ex *libro* 1. *Quæstionum in l. ideo* 27. *de leg. l. si aliquam* 28. *de adq. vel amit. poss. & ex lib.* 4. Testimonium adducitur ab *Ulpiano in l. eum quidam* 30. §. *suum hæredem* 6. *de adq. vel omit. hær.* qui & alibi etiam ex incerto libro ejus testimonium adduxit, *l. servus* 3. §. *si quis* 2. *de hær. inst. & in l. sive ingenua* 2. §. *tractari* 44. *ad SC. Tertyll.* Scripsit etiam *Librum singularem de Castrensi Peculio*, cujus fragmenta extant *in l. idem* 23. *de test. mil. l. miles* 4. *de castr. pec.* & hunc librum allegavit Imperator *Justinianus, in l. cum furiosus* 7. C. *de curat. furiosi.* Denique scripsisse videtur Tractatum *de Magistratibus municipalibus arg. l. sive ingenua* 2. §. *tractari* 44. *ad SC. Tertyll.*

Ad

Ad *ætatem* quod attinet, existimo Jureconsultum *Tertullianum* vixisse sub *Severo* & *Antonino*, aut per ea circiter tempora. *Ulpianus* enim qui vixit sub *Antonino Caracalla l. qui solidum* 78. §. *cum post mortem* 1. *de leg.* 2. *Tertullianum* allegat, *l. servus* 3. §. *si quis* 2. *de hær. inst. l. cum quidam* 30. §. *sed si* 5. *de adq. vel omit. hær. l. sive* 2. §. *tractari* 44. *ad SC. Tertyll.* Fuit igitur *Tertullianus Ulpiano* antiquior, aut saltem coætaneus: & cum ejus non meminerit *Capitolinus* qui quamplurimos Jureconsultos recenset sub *Hadriano*, sub *Pio*, sub *Marco*; neque *Pomponius* qui vixit sub *Hadriano* & ad ejus usque tempora Jureconsultorum texuit Catalogum, oportet fuisse *Hadriano* & *Pio*, & *Marco* posteriorem. Sane ipse *Tertullianus lib.* 4. *quæstionem* retulit *Sexti Pomponii* opinionem quandam *l. cum quidam* 30. §. *suum hæredem* 6. *de adq. vel omit. hær.* Post *Pomponium* igitur scripsit. Postremo *Tertullianus* scripsit post SC. Tertullianum *l. sive ingenua* 2. §. *tractari* 44. *de SC. Tertyll.* Quod SC. teste *Zonara lib.* 2. factum fuit *D. Pio* autore: idque confirmant *Fasti Consulares*, in quibus post *Barbatum* & *Regulum* legimus Consules *Tertyllum* & *Sacerdotem.* Quo tempore *Antoninus Pius* jam annos viginti rei Romanæ præfuerat. Neque contrarium ait *Justinianus* cum *in* §. *postea* 2. *inst. de SC. Tertyll.* ait *SC. Tertyllianum D. Hadriani temporibus factum esse*; nam *Hadrianus Antoninum Pium* adoptavit, *Justinus M. Apol.* 2. *in pr. Aurelius Victor in Cæsar. c.* 14. *& Epit. cap.* 15. *Paul. Diacon. Hist. misc. lib.* 10. *c.* 11. adeoque *D. Pius Hadriani* nomen assumsit adoptionis jure. Atque ideo multæ constitutiones *D. Pii* circumferuntur *Hadriani* nomine: quod multis exemplis comprobarem, nisi tecum loquerer, eruditissimo viro. Concludendum igitur Jureconsultum *Tertullianum* vixisse circiter *Severi* & *Antonini* tempora, quibus certum est floruisse *Tertullianum Presbyterum Cartaginiensem.*

Ad *peritiam Juris* quod attinet, necesse non est sapientissimorum virorum testimonia allegare, cum ipsa

Tertulliani Presbyteri opera declarent fuisse illum Romani Juris, & totius antiquitatis consultissimum.

Postremo, ut de stilo aliquid dicam, *Justinianus* obscuriusculum videtur notare *Tertullianum* Jureconsultum, *l. cum furiosus* 7. *C. de cur. fur.* Cum uterque igitur *coætaneus*, uterque *Jureconsultus*, uterque *obscurus* fuerit, idem fuisse videtur.

Verum hæc argumenta mihi nihil persuadent: nam cum sciam eodem tempore fuisse plures *Cajos*, minime miror fuisse plures *Tertullianos*: præsertim cum efficaces conjecturæ impellant me in hanc opinionem. Primum enim Imperator *Justinianus* non ait, *Tertullianum qui librum* scripsit *de Castrensi peculio* fuisse obscurum, sed obscure attigisse sententiam quam Imperator ibi probat: quod vel clarissimo cuique scriptori passim contingit, cum non ex professo, sed obiter tantum argumentum aliquod attingitur. Et quis non videt *Justinianum* ibi gloriabunde loqui, ut sententiæ inventum sibi arroget; quippe qui dicere non dubitat: *hoc apertissime introduximus*? Et quanquam *Justinianus* dixisset Jureconsulti *Tertulliani* scripta obscura esse, ipsa quæ supersunt fragmenta nos adducere deberent in contrariam sententiam: *Libro* 1. *Quæstionum* ita scripsit. *Antiquiores leges ad posteriores trahi usitatum est: & semper quasi hoc legibus inesse oportet, ut ad eas quoque personas, & ad eas res pertinerent, quæ quandoque similes erunt, l. ideo* 23. *de leg.* Vides orationem perspicuam, nitidam, elegantem. Eodem modo loquitur in perplexa quæstione de qua *in l. si aliquam* .28. *de adq. vel amit. poss.* Et ut exempla adducam ex ipso *libro singulari de castrensi peculio*, quis unquam clarius loquutus est quam *Tertullianus* noster, *in l. idem* 23. *l. si filius familias* 33. *de test. mil. l. miles* 4. *de castr. pec*? Confer quæso nostri Jureconsulti reliquias, cum scriptoris Ecclesiastici scriptis. Illius vocabula usitata, fluentia; oratio ingenua perspicua, & facilis: hujus vocabula passim innovata, aspera; oratio figurata obscura;

&

& difficilis. Præterea *Juſtinianus* ſic *Tertullianum* citat: *Licet Tertullianus Juris antiqui Interpres libro ſingulari quem de caſtrenſi peculio condidit &c.* Si quid autem video, illa verba, *Juris antiqui Interpres*, ideo addita puto, ne quis *Tertullianos* confunderet, & propter ſcriptoris Eccleſiaſtici celebritatem, eum intelligeret. Nam ubinam ſimili modo Jureconſultum aliquem Juſtinianus allegavit? Quid verbis opus eſt? *Beatus Hieronymus* nobis reliquit catalogum operum, quæ *Tertullianus* ſcripſit *Æthnicus*, *Chriſtianus*, & *Schiſmaticus*, atque ibi non reperimus *Libros Quæſtionum*, & *de Caſtrenſi peculio* & *De Magiſtratibus municipalibus*. Diverſi igitur Auctores, quorum ſcriptorum Indices omnino diverſi. Quapropter cum opinio aſſerentium Jureconſultum noſtrum fuiſſe Chriſtianum, inde nata fuerit, quod exiſtimarint unum eundemque eſſe ſcriptorem, quod quam falſum ſit, oſtendi; nullum aſſenſum meretur. *Frater Petrus Manerus* e *Divi Franciſi Aſsiſii* familia, Turiaſonenſis Epiſcopus, vir doctiſsimus, & eloquentiſsimus; cujus ego ſcripta maxime commendare ſoleo Hiſpanæ linguæ amatoribus, in eruditiſsima *Præfatione ad Apologiam Tertulliani cap.6.* opinatur, *Tertullianum* noſtrum fuiſſe propinquum illum *Q. Septimii*, cujus ipſe meminit *lib. de præſcript. cap.39.* per hæc verba. *Meus quidem propinquus ex eodem Poeta* (*Virgilium* intellige) *inter cetera ſtili otia Pinacem Cebetis explicuit.* Hæc verba indicant, *Tertulliani* propinquum graviora ſtudia ſectatum, qui ſic otiaretur. Quis autem ignorat quam grave ſit Juriſprudentiæ ſtudium, quantoque in pretio, & honore illis temporibus haberetur? Veriſimile igitur, huic dediſſe operam *Tertulliani* Propinquum, & Gentilem, & in hac divinarum humanarumque rerum ſcientia illuſtrem fuiſſe. Huic opinioni quis probabilitatem negaverit? Ille error eſt putidiuſculus, ac relatu indignus, alterum ex *Tertullianis* eſſe autorem *SC. Tertulliani*, cum verus autor fuerit *Tertullus* qui conſul fuit *Antonini Pii* temporibus ut ex *Juſtiniano* conſtat

tit.

tit. de SC. Tertulliano : *Ovinius* inquam ille *Tertullus* qui fuit etiam Præſes Provinciæ Myſiæ interioris, *l. apud hoſtes 9. de captiv.* quam (ut obiter hoc addam) eſt operæ pretium interpretari ex *l.* 1. *C. de poſtl. rev.* ſicut & *l. divi* 25. *de captiv. & poſtl. rev. l. ſi ingenua* 1. §. *interdum* 3. *ad SC. Tertullianum* : quod SC. Pandectæ Florentinæ *Tertyllianum* appellant , ut vel inde agnoſcas Græculum Librarium qui pro *Centurio* etiam ſcripſit *Centyrio* , pro *gula* , *gyla* & ſexcenta ejuſmodi. Sed De *Tertulliano* ſatis.

Ad *Hermogenianum* tranſeo. *Hermogenianus* J.C. ſcripſit *Juris Epitomarum libros ſex* , in quibus ipſe profitetur ordinem *Edicti perpetui* ſe ſecutum , *l. cum igitur* 2. *de ſtatu hom.* Hoc cum aliqui non intellexiſſent , dixerunt ſcripſiſſe illum *Digeſtorum Epitomas.* In hiſce libris ille laborantem tum mole ſua , jam jamque cadentem Juriſprudentiam in arctum & tutum redigere inſtituit. Dicitur etiam ſcripſiſſe *Fideicommiſſorum Libros arg. inſcriptionis l. nam quod* 14. *ad SC. Trebel.* Sed ibi nomen *Ulpiani* reponendum eſt *arg. l. quia* 4. *l. recuſare 6. l. ſed & ſi 9. l. apud Julianum* 11. *l. ille* 13. *l. cogi* 16. *ejuſdem tit.* quæ omnes leges deſumtæ ſunt ex *Ulpiani lib.* 4. *fideicommiſſorum* : ut taceam credibile non eſſe , ex vaſtiſsimo *de fideicommiſsis* tractatu unam tantum legem excerptam, ſi *Hermogenianus* ſcripſiſſet de eo argumento , cum alioqui ejus *Epitomarum libri* paſsim citentur. *Ant. Auguſtinus libro De propris nominibus Pandectarum* , quo libro ego nullum ad hunc diem utiliorem prodiiſſe cenſeo ad illuſtrandum jus , *Ant.* inquam *Auguſtinus* , cujus prædicandis laudibus quotidie me imparem confiteor , exiſtimat *Conſtitutionum Librum* collectum ab hoc noſtro *Hermogeniano* , atque inde *Hermogenianum* appellatum fuiſſe. Idem viſum eſt *Jac. Gothofredo* & *Ægidio Menagio* eruditiſsimis viris , *Cujacio* aliter ſentiente in *Præfatione ad Paratitla Codicis.* Utut eſt , Collectionem ſuam incœpit ab *Hadriano* , propterea quod is novæ cujuſdam Juriſ-

pru-

prudentiæ fuit autor condito inter alia *Edicto Perpetuo*, cujus materia ordoque deinceps pro cynosura Archetypi Juris fuere: quod nobilissimum fuit corpus Juris Romani, & universæ Jurisprudentiæ quæ nobis supereſt, utpote a tot ingeniis illustratum. *Hermogeniani Constitutionum Collectoris* meminit in *Præfatione Evangelicæ Prosæ Operis Paschalis ad Macedonium* Cœlius Sedulius Presbyter, ubi eum *doctissimum Juris Latorem* vocat, & *tres editiones Operis sui confeciſſe* scribit. *Juris*, inquam, *Latorem* vocat: unde eos libros publicam autoritatem habuisse colligi potest: & constitutione publica ei datam refert interpres *Codicis Theodosiani ad l. un. C. de resp. prud.* Porro *Sedulium Presbyterum Scotum* sub *Theodosio Juniore* vixisse ait *Trithemius*. Fingamus itaque *Sedulio* seniorem *Hermogenianum*, comperiemus eum potuisse vivere sub *Constantini Magni* liberis, quod conjectabatur *Jac. Gothofredus in Prologomenis ad Codicem Theodosianum* his rationibus adductus. Prima ratio est, quia *Hermogenianus* meminerit *Præfectorum Prætorio* a quibus appellari non liceret, quod *Constantini Magni* sanxerunt liberi, *l.* 16. *Cod. Theod. de appell.* Verum in hujus legis inscriptione lapsus est *Gothofredus*, vir alioqui oculatissimus *Constantini* liberis tribuens Constitutionem, quæ ipsius est *Constantini*: idque apparet etiam *ex l.* 19. *Cod. Just. de appell.* Neque de eo dubitari potest cum utrobique legatur data Constantinopoli, *Basso* & *Ablavio Coss.* quorum consulatus incidit in 26. imperii *Constantini* nimirum 331. a *Christo* nato. Secunda *Gothofredi* ratio est, quia in *l. ex omnibus* 10. *de offic. Præsid. Hermogenianus* meminerit *Correctorum*, qui tunc per Italiam constituti & in *l. manumissio* 23. *de man. vind.* juris novi quod a *Constantino Magno*, vel ejus liberis invectum fuit arg. eorum quæ scribit *Autor vitæ Constantini lib.* 4. *cap.* 26. *in fine*: quæque sanciuntur, *l. quoniam* 15. *C. de testam. l. in legatis* 21. *C. de legat.* 1. *C. de form.* Tertia, firmiorque ratio, quia ipse innuit plures tunc in Imperio Romano Imperatores

fuis-

fuisse, *l. administrantes* 41. *de excusat. l. vectigalia* 10. *de public. l. aufertur* 46. §. *actores* 7. *de jur. fisci*, quod de *Constantini* liberis accepit jam laudatus *Gothofredus*. Hæc si ita se habent, alius a nostro Jureconsulto fuit *Eugenius Hermogenianus PP.* sub *Diocletiano* & *Maximiano* ex actis *Sabini* apud *Baronium* anno 301. n. 18. Præterea falso cum *Hermogene* confunditur, tum quia diversa sunt nomina, tum quia nomen *Hermogenis* irrepsit in *Lampridium*, ut ex vetustis membranis verisime docuit *Cl. Salmasius*.

Sed ut tandem accedam ad quæsitum tuum, *Hermogenianum* ait *Bertrandus* Christianum fuisse *arg. l. vitricus* 60. §. *divortii* 1. *de don. inter.* Ubi *Hermogenianus lib.* 2. *Juris Epitomarum* ita scripsit. *Divortii caussa donationes inter virum & uxorem concessæ sunt: sæpe enim evenit uti propter Sacerdotium, vel etiam sterilitatem* (sequentia Caii sunt) *vel senectutem, aut valetudinem, aut militiam satis commode retineri matrimonium non possit.* Sed quis non videt ex duobus fragmentis unam ibi sententiam factam, ut proinde nesciamus, an aliquod ibi sit *Triboniani* emblema? Præterea quis credat *Hermogenianum* Juris Romani interpretem, licet Christianus foret, scripturum consentanea Christianorum Religioni non Paganorum legibus? Verum *Hermogeniani* esto tota illa lex. Quid tum postea? Nonne legimus Paganorum quosdam Sacerdotes non solum a venere ante sacrificium abstinuisse, quod mille locis proditur; verum etiam matrimonium in totum abdicasse? *Tertullianum* audiamus in *libro de exhort. castitatis, extremo. Noveram Virgines Vestæ & Junonis apud Achaiæ ganeum, & Apollinis apud Delphos, & Minervæ quibusdam locis. Noveram & continentes viros; & quidem Tauri illius Egyptii Antistites: feminas vero Cereris Africanæ; cui etiam, sponte abdicato matrimonio, adsenescunt; exinde ademto contractu masculorum usque ad oscula filiorum.* Similia legimus in *libro de Monogamia, itidem extremo. Pontifex maximus, & Flaminica*

nu-

nubunt ſemel. Cereris Sacerdotes viventibus etiam viris & conſentientibus, amica ſeparatione viduantur. Sunt & quæ de tota continentia judicent nos Virgines Veſtæ, & Junonis Achaicæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythici. Huc uſque *Tertullianus.* Quare ex *d. l. vitricus* 60. §. *divortii* 1. *de don. inter.* peſsime arguitur, *Hermogenianum* fuiſſe Chriſtianum. Quod ſi hujuſmodi argumenta valere debent, potius argueres eum Paganum fuiſſe ex *l. ſponte* 17. *de mun. & honor. ubi libro* 1. *Epitomarum Hermogenianus* ait, *ſponte Provinciæ Sacerdotium iterare neminem prohiberi.* Adde *l. in honoribus* 8. *de vac. mun.* & quæ ibi notat diligentiſsimus vir *Dionyſius Gothofredus.* Nec te pigeat legere eruditiſsimum virum *Ant. Auguſtinum lib. ſingulari ad Modeſtinum ad l. ſi duas* 6. §. *eſt autem* 8. *verſ. philoſophos de excuſ. & ad* §. *gentium* 14. *ejuſdem legis.* Conſule etiam ingenioſiſsimum virum *Franciſcum Ramos del Manzano lib.* 2. *cap.* 37. & mecum adnota verſipellis *Triboniani* impietatem qui has Æthniciſmi reliquias nobis reliquit. In quo non ſemel peccavit. quod ideo moneo, ne hac in re iterum incurram in cenſuram tuam. Namque memini, me abs te reprehenſum propterea quod cum explicui in meo *Tarrunteno Paterno*, quinam eſſent *Victimarii*, non argui *Tribonianum*, vel impietatis, vel oſcitantiæ, vel potius utriuſque, qui tales priſcæ ſuperſtitionis reliquias legibus quas *Juſtinianus* orthodoxus Princeps ſuas fecit, inſeruit. Sed ut ad *Hermogenianum* redeam, cum ille ut Juris interpres loqui debuerit, non magis ex *d. l.* 60. auſim dicere eum fuiſſe Chriſtianum (ut cetera quæ diſſeruit, omittam) quam fuiſſe Æthnicum ex *l. ſponte* 17. *de mun. & honor.* Si Chriſtianis eum vindicarem, potius id aſſererem ob egregias in eum *Sedulii* Laudes: *Sedulii* inquam quem *Venerabilem virum Gelaſius Papa* vocavit & *inſigni laude* dignum judicavit. *Can.* 3. *diſt.* 15. Sed hæ ſunt conjecturæ admodum leves.

Quod attinet ad *Licinnium Rufinum* minor eſt dubi-

tatio. Ego ita cēnseo. *Licinnius Rufinus* Juriſconſultus ſcripſit *Regularum libros duodecim* ſi fides *Indici* danda. Verum in *l. ſi victum* 34. *de re jud. decimus tertius* citatur. Ejus fragmenta interpretatus fuit *Laurentius Santos de San Pedro*, cujus Commentarios eximie laudant ingenioſiſsimi viri *Joannes de Arechaga & Caſas*, & *Joannes Puga & Feijoo.* Atque ut obiter hoc addam ille etiam variis in locis laudat *Illuſtrationem m.s. ad Symmachum*, quæ an extet adhuc, neſcio. *Commentarii in Rufinum* aliquorum manibus Salmanticæ teruntur, juſiſſemque mihi deſcribi, niſi tam cito domum revocatus fuiſſem. *Licinnius Rufinus* creditur eſſe autor *Collationis Legum Moſaicarum, & Romanarum*, & exinde orta conjectura, eum fuiſſe Chriſtianum, *Cujacius obſ. lib. 7. cap. 2. & ad l. Licinnius 4. quib. ad lib. proc. non licet.* Tranſcribam *Petri Pithœi* eruditiſsimi viri qui primus eam *Collectionem* in lucem protulit, ipſiſsima verba. Sunt autem hæc initio *Notarum. Inaudieram equidem antea fuiſſe ex priſcis ſcriptoribus qui cum Moyſis Legibus Romanas contuliſſent: ac memini Jo. Tilium antiquæ eruditionis hominem, cum de veterum Juriſconſultorum reliquiis ſermo eſſet, narrare ſolitum, habuiſſe aliquando ſe ejus operis fragmenta pauca, quibus ille Licinnii Rufini nomen tribuebat, an ex conjectura, an potius ex veteris libri fide non ſatis ſcio. Illud affirmare liquet, quæ nunc damus ex antiquiſſima Sequanorum aut Mandubiorum potius bibliotheca in qua per annos octingentos & amplius latuerunt, non eſſe Licinnii Rufini, cujus nomine ad Julium Paulum in libris noſtris conſultatio inſcripta eſt: ac, ut quod ſentio dicam, non fuit tanti hæc collectio quæ aut Licinnii aut Juriſconſulti alicujus paulo clarioris ingenium & acumen deſideraret. Tota illa operæ fuit, ſed ejus operæ cujus pretium injuria temporis ſic incendit, ut jam nihil fortaſſe hoc genere tanti videatur.* Huc uſque Pithœus. *Licinnii Rufini ad Paulum conſultatio reperitur l. Licinnius Rufinus 4. quib. ad lib. proc. non lic.* Hinc ego ſatis admirari non poſſum,

quam-

quamobrem effugerit eruditiſsimi *Cujacii* mentem, *Licinnium* illum *Rufinum* Juriſconſulti *Paulli* coætaneum, non potuiſſe legere *Conſtitutiones*, quas ex tribus *Codicibus Gregoriano*, *Hermogeniano*, & *Theodoſiano Pariator* allegat. Præterea non liquet *Collatorem* appellatum *Licinnium Rufinum*, teſte *Pithœo* in memorato loco. *Cujacio* igitur impoſuit *Joannis Tilii* autoritas quem ille plurimi fecit. Quo tempore igitur *Collator* vixit? Tranſcribam iterum *Pithœum*. *Nunc de collectore hujus libelli, cujus nomen titulumque exemplar ipſum prioribus duabus paginis purum non prætulit. Hoc tantum dicere poſſumus, videri eum Theodoſii Junioris temporibus vixiſſe, & poſt Conſulatum quidem ipſius XV. quo demum Codex editus legitur, ex quo hic Conſtitutionem retulit unam, non omiſſurus, ut veriſimile eſt, de homicidio non voluntario Valentiniani ſingularem legem, ſi tum quoque edita, aut incertum Novellarum corpus redacta fuiſſet. Sed de re incerta nihil temere affirmare velim.* Ita *Pithœus* ſummi judicii vir, cujus poſtremæ ſententiæ valde aſſentior. Quicumque *Collator* fuerit, & quocumque tempore vixerit, certe antiquus eſt: florebat enim quo tempore adhuc erant integra Opera *Papiniani*, *Paulli*, *Ulpiani*, *Caii*, *Modeſtini*, aliorumque veterum Juris autorum; item *Codex Gregorianus*, *Hermogenianus*, & *Theodoſianus*. In *ſexdecim Titulos* ſuam *Collationem* diſtribuit. Ex *Codice Theodoſiano* quandam Conſtitutionem laudat *de impudicis*, & quidem (quod obſervandum) pleniorem quam in eo *Codice*, quem hodie habemus: ac proinde eam habuit ex integro, non ex decurtato *Codice Theodoſiano*. Plane eum non Juriſconſultum fuiſſe facile credam argumento eorum quæ præmiſit *Collationi tituli 7*. Hujus libri utilitatem triplicem notavit egregii judicii vir *Jac. Gothofredus in Bibliotheca Juris Civilis Romani*. Prima, quòd perſpicue repræſentat, quid *Tribonianus*, quid quantumque ejus collegæ in excerpendis, diſcerpendiſque Veterum Jureconſultorum libris ſibi indulſerint. Secunda,

quòd quamplurima priſci Juris fragmenta tum ex veteribus Jureconſultis, tum ex tribus *Conſtitutionum Codicibus* contineat, quæ alibi nuſquam, vel non ita plene occurrunt. Tandem oſtendit, quomodo in titulos veterum Juriſconſultorum libri diviſi fuerint. Spectandus in eam rem cum primis *Titulus XV.*

Denique veniamus ad *Aurelium Arcadium Chariſium*, qui ut ex nomine integro apud *l.* 1. *de off. præf. præt.* apparet, alius eſt a *Flavio Soſipatro Chariſio* non ignobili Grammatico. Ex *Indice* conſtat ſcripſiſſe *Librum ſingularem de teſtibus*, *l.* 1. *de teſt. Librum ſingularem de officio Præfecti Prætorio*, *l.* 1. *de off. præf. præt. Librum ſingularem de muneribus & honoribus civilibus*, *l.* 18. *de mun. & honor.* Fuit Magiſter libellorum *d. l.* 1. *de off. præf. præt. Herennium Modeſtinum* allegat *l. ult.* §. *mixta* 26. *de mun. & honor.* qui *Modeſtinus* ſub *Alexandro Severo* & *Gordiano* vixit, *l. ſi quis* 29. *de lege Corn. de falſ. l. ad exhibendum* 5. *Cod. ad exhib. Jac. Gothofredus* opinatur vixiſſe *Arcadium* ſub *Conſtantino Magno.* An idcirco Chriſtianus? Nihil incertius eſt.

Pergamus ad alia. Quæris etiam quamobrem non *P. Rutilio Rufo*, aut *Rutilio Maximo* adjudicavi deciſionem quæſtionis propoſitæ *l.* 1. §. 1. *de arb. cæd.* ſed *Rutilio* illi qui *de Re ruſtica* ſcripſit? Dicam id quod evenit. Cum *Ad quinque Jureconſultos Commentariolos* lucubravi, in eorum fragmentis perquirendis fui ſecutus fidem ac diligentiam eruditiſsimi viri *Barnabæ Briſſonii.* Is me decepit, dum unicuique *Rutilio* unicum tantum fragmentum tribuit. Poſtea vero ubi nactus fui diligentiſsimi viri *Ant. Auguſtini librum de Nominibus propriis Pandectarum Florentinarum*; in eo inveni plura fragmenta, in quibus *Rutilii* nomen apparet. Animadverti ſtatim negligentiam meam, & omiſſa illa fragmenta Commentariis illuſtravi, aliquando edendis, volente Deo. De reliquiis illis ita cenſeo. In *Indice* præfixo Pandectis Florentinis dicitur *Maximus* ſcripſiſſe *Ad Legem Falcidiam.* Et plane

ita

ita apparet ex *l. si hæres* 125. *deleg.* 1. Cum fragmenta igitur quæ tribuuntur *Rutilio*, ad hunc tractatum non spectent, minime audebo dicere esse *Rutilii Maximi*. Quid igitur? Eruntne *P. Rutilii Rufi*? *Ulpianum lib.* 22. *ad Sabinum l. qui penum* 3. §. *ligna* 9. *de penu leg.* loqui de *P. Rutilio Rufo*, nemo est qui ambigat, cum ipse contextus id probet utpote ibi citantur *Q. Mucius*, *Ofilius*, ac *Sex. Ælius*. Cum ergo idem *Ulpianus lib.* 17. *ad Sabinum*, *Rutilium* etiam alleget, *l. habitatio* 10. §. *utrum* 3. *de usu & hab.* credibile est, eundem esse *Rutilium*. Cumque idem *Ulpianus* sit autor *l.* 1. *de bon. libert.* & *l.* 1. *de arb. cæd.* non inverisimile est, in iis locis eundem allegare *Rutilium*, licet ibi scribat *ad Edictum*. Verum illud me pungit, dici in *l.* 1. §. 1. *de bon. lib. Rutilium* fuisse Prætorem. *Rutilium* autem *Rufum* Prætorem fuisse nusquam legi: nec omisisset *Cicero* qui toties eum nominat. In *Disputatione* mea parum caute dixi, *l.* 1. §. 1. *de arb. cæd.* autorem habere *Rutilium* illum *Rei rusticæ* scriptorem, affinitate ductus argumenti. Sed id mihi jamdiu est quod displicet, non tam ob ea quæ opponis, quibus, ut tute vides, facile possem respondere, quam quod sit difficile probare, scriptorem *Rei rusticæ* Jureconsultum fuisse, & certum sit inter ejus opera tale fragmentum non esse. Hæc cum ita sint, mihi non liquet, fragmenta illa cui *Rutilio* tribuenda sint. Ea tamen, ut scripsi, *Commentariis* exornavi; qui cum edentur, de his diligentius agam in *Rutiliorum Vitis*.

Supereſt ſolum reſpondere tibi, veriſimum eſſe quod conjectatus es, *Jac. Cujacium 9. obſ. c.* 17. notaſſe *Emmanuelem Suarez Ribeira*, quem *Judæum* vocavit, &, quod pejus eſt, *ex Chriſtiano Judæum*. Sed antequam id obſervares, jam idem adnotaverat *Hilliger*, niſi me fallit memoria, nam locus nunc non occurrit. Certe reperio *Franc. Modium* idem adnotaſſe ad *l. uxores* 9. *de his qui not. inf. l. domum* 57. *de contr. emt. l. qui ſtatu liberi* 2. §. *ult. l. Stichum* 39. *in princ. de ſtatu lib. l.* 1. *de*

re-

remiſſ. Idem admonuit eruditiſsimus vir *Joannes Vande Uvater obſ. lib.* 3. *cap.* 13. per hæc verba. *Hujus emendationis autorem Cujacius reprehendit Judæum quendam, reſpiciens Emmanuelem Zoares lib.* 1. *obſ. cap.* 17. *His Judaicis epulis delectatur quoque Bachovius, explosſa Cujacii conjectura.* Facile fuit *Cujacii* mentem colligere ex tota ſerie Diſputationis ejus, in qua ex profeſſo congreditur cum *Emmanuele Suarezio*, quem ut clarius denotet, ibi etiam appellat *Doctorem Colimbricenſem*, ſeu, ut ego lego *Conimbricenſem.* Nimirum *Emmanuel Suarez Ribeira* fuit Luſitanus, Canonum Profeſſor Veſpertinus. Vixit aliquando Lugduni, deinde Venetiis, unde Patavium ſe contulit. Eum *Judæum* fuiſſe non temere crediderim. Forte *Judæum* appellavit *Cujacius* odio illius incitatus percituſque. Neque novum eſt, *Cujacium* iracunde loqui, & ultra modeſtiæ metas invehi adverſus eos, quos reprehendit, veluti cum hoſtes ſuos appellat, *Scutica dignos, ſtultos, mendaces, cæcos, caliginoſos, os durum*, & ſimilia: quam ob petulantiam graviter ab *Hotomano* caſtigatus eſt. Nec eum auſus fuit excuſare *Carolus Annibal Fabrottus*, cui *Cujacius* pluſquam omnibus debet. Nempe *Fabrottus* in *Præfatione ad Notata Antonii Mercatoris*, quam perſonam *Cujacius* ſuſtinere voluit, *obſ. lib.* 24. *c.* 21. ſic ait. *Sed & heic conviciis abſtinendum cenſeo, quæ viro ingenuo ac liberali ſemper indigna exiſtimavi: & ſi quid acerbius Cujacius ipſe paulo commotior in Robertum ſcripſerit, humanitus eum quoque peccaſſe inficias non eo.* Redeo ad *Emmanuelem.* Cum *Annotationes* ſcriberet ad *Gomezii caput* 1. *tom.* 3. *de delictis*, ait, ſparſum (non meminit loci) a certo quodam jurato ſibi hoſte, quem *Ibin* ſuum alibi appellat, quicquid timeri potuit ab homine, ut ipſe refert, omni vitiorum genere conſpurcatiſsimo, impio, exlege *AA. nomine*, quem alios omnes precatur abominari, diriſque omnibus ac furiis devovere, execratione a Chriſtiano alieniſsima, & Judæo impio conveniente. Quanquam talem eum fuiſſe

non

non audebo dicere. Quis denotetur illis notis *AA.* non temere dixerim, cum *Nicolaus Antonius* diligentiſsimus ac immenſæ prope lectionis vir, id inveſtigare non potuerit. Certe *Cujacio* non conveniunt tam corrupti mores, & Notarum initium.

Hæc habui, mi *Joſephe*, quibus aliquo modo conatus ſum ſatisfacere quæſitis tuis. Quæ quanto ſunt difficiliora, tanto magis ad veniam debes eſſe proclivior. Reſpondere citius non potui, propter occupationes meas, quarum cauſſa fit aliquando ut tibi ſerius reſpondeam, nihil alioqui procraſtinaturus, ſi eſſet in rem tuam, reſpondere celeriter. *Theophilus Renovatus* a *Daniele Galtiero* hic recuſus eſt, me auctore. Spero eum ſtudioſæ legum Juventuti magnum compendium allaturum. Ejus *Approbationem* his literis adjunxi. Cave credas quenquam tui amantiorem eſſe, aut te magis revereri præ me. Vel a fratribus tuis (quibus ſalutem plurimam) in hoc vinci non patiar, non feram. Jam abjicere calamum volebam, cum *Jeſu Chriſti Natalis* in mentem venit. Ipſum veneror, ut quam pacem attulit, in te diffundat divina manu. Vale Juriſprudentiæ columen, & ingenium meum exagitare perge. Valentiæ in Edetanis XI. kal. Jan. MDCCXXIX.

XII. *DON GREGORII MAJANS ANTECESSORIS VALENTINI Judicium juſſu Domini Don Joſephi de Rius Preſbyteri, Sacrorum Canonum Doctoris, Barcinonenſis Canonici, & in Valentina Diœceſi Officialis, Vicarii, ac Gubernatoris Generalis.*

THeophili celebritas apud omnes, & a viris maximis in eum certatim collatæ laudes faciunt, ut nullo præconio indigeat. Præterea, cum *Viglius Zuichemus* primus illum publicarit, in Latinam linguam *Jacobus Curtius* verterit; notis illuſtrarint ſuis, *Dionyſius Gothofredus*, Ca-

Carolus Annibal Frabottus, & *Joannes Doujatius* (Dei hominumque fidem quam ſapientes viri!) quid queam dicere, quod tanti ſcriptoris merito non ſit inferius? Quantarum igitur laudum debitores ſumus eximio viro *Danieli Galtiero*, qui perſonam ſuſtimens priſci illius *Theophili*, quem, ut mea fert opinio, eruditione exæquat, & facilitate docendi ſine dubio vincit; brevem illam ac ſimplicem ad Juriſprudentiam viam, ab Imperatore *Juſtiniano* degrumatam feliciter, ac bonæ frugis oblivione, opinionum ſentibus obductam, ſummo ſtudio ac diligentia renovare ſatagit, ut ſtudioſa legum Juventus ſine magno labore, & ſine ulla diffidentia ad Juriſprudentiæ apicem maturius perduci poſsit? Hoc clara voce dicam, nulla alicujus injuria, magna reverentia interpretum. Tironibus legum nullus Commentarius utilior, faciliorque ad hunc uſque diem prodiit ad perdiſcenda prima elementa Juris. Ceteri Inſtitutionum Interpretes (excipio neminem) contenti ſunto præripuiſſe palmam, vel eruditionis eximiæ, ut *Franciſcus Hotomanus*; vel ſingularis ingenii, ut *Janus a Coſta*; vel ſubactiſsimi judicii, ut *Arnoldus Vinnius*; vel aliarum virtutum, ut ex præclariſsimis quiſque ſuas habuit. At *Daniel Galtierus* hoc veluti jure proprio ſibi vindicat, quod a lectione ſua neminem abſterret, ac vel rudiſsimos allicit. Nimirum habuit ille facilitatem incredibilem declarandi omnia, quæ concepit altiſsimè. Nihil confuſum eſt, quod initio non dividat: nihil obſcurum, quod non definiat: nihil implicatum, quod naturali methodo non aperiat. Itaque minime utitur interciſsionibus illis moleſtiſsimis, contextus verba e continentibus ſuis divellentibus (quem morem Schola quaſi per manus traditum accepit a Gloſſarum Scriptoribus) ſed continuata oratione, Imperatoris *Juſtiniani*, aut *Theophili* ſui ſervans ordinem, vel inſtituens eum quem doctrina exigit, facilia ab illis deſcribit; ſi qua ſunt obſcuriuſcula, ipſo curſu orationis, quam puram, ac expeditam eſſe voluit, breviter exponit: eo-

dem-

demque tempore ab interpretibus utiliſsima decerpit admirabili judicio: atque hac ratione Commentariorum utilem copiam & temperatam Paraphraſeos doctrinam mirum in modum conjungit. Hæc cum ego mente agitarem (agitavi autem ſæpiſsime) dolebam maxime nec de nomine quidem vulgo eſſe notum tam egregium ſcriptorem, & paucis iis quibus erat cognitus, deſpicatui haberi. Tantum apud homines præjudicia poſſunt, & amor ille quo quiſque ſolet ea dumtaxat laudare, quorum ipſe aliquam reddere rationem poſsit. Ergo jacebat ille pulvere coopertus altiſsimo, & luctabatur (injuria) cum blattis; cum auctor ego fui Anteceſſorum Juris Senatui, ut tam inſigne Opus in utilitatem Juventutis recudi juberet. Secutum eſt ampliſsimi ordinis decretum. Quare nunc maxime gaudeo, publicationem inſtare, & abs te mihi committi, ut meam proferam ſententiam, quam ex animo enuncio. Cum videamus adoleſcentes Juriſprudentiæ operam navantes diutius in Interpretum, quam in Jureconſultorum mente inveſtiganda morari; ac proinde in Scholis prope conſeneſcere, quaſi apud *Minoem* vel *Æacum* (ut cum *Catone* loquar) cauſſas olim dicturi; cumque methodus a *Juſtiniano* ſapientiſsime præſcripta, paſsim in Scholis negligatur, dum ſtudioſis traduntur Commentarii prolixi, eruditis potius, quam erudiendis aptiores; e republica cenſeo, excudi *Theophilum renovatum*, utpote qui unus præ ceteris facilius animos præparat ad penitiſsima Juris Romani penetranda myſteria. Ita cenſeo Valentiæ Edetanorum IV. Eid. Decembreis. An. MDDCXXVIII.

Don Gregorius Mayàns.

XIII. *JOSEPHUS FINESTRESIUS ORNATISSIMO VIro Gregorio Majansio Jurisconsulto egregio, Amico maximo, S. P. D.*

VErè dicam, sapientissime *Gregori*, sentio amorem in te meum ex novarum literarum lectione novo semper incremento augeri. Et sanè cum te mihi conjunxerit virtus tua, & bonarum artium studia, quorum majora in dies documenta mihi exhibes; ingratus essem, nisi acriori etiam studio in te amando subinde accenderer. Ita vivam, mihique optata contingant, ut posterior hæc epistola tua, & de *Dan. Galtieri Theophilo renovato* judicium visa sunt mihi veluti lapides quidam *Lydii*, aurei ingenii tui certissimi indices. Quid verò dissimulem? Tua omnia mirificè mihi semper placuerunt: sed quod me magis caperet (pace tua id dictum volo) tuum legi nihil. Hoc est demum scribere: hoc rebus obscurissimis lucem afferre: hoc de vix cognitis ab eruditissimis judicare. Nam & elegantissimè scribis, &, quasi in numerato haberes totius antiquitatis thesauros, ita face eruditionis omnes abstrusarum quæstionum angulos pervesligas; ut non modo veritati proxima videri possint quæ judicio tuo probas, sed certa; non conjecturis, sed demonstrationibus ostensa. In eo verò quòd in respondendo quæsitis meis tam latè excurris, tuo more facis: hoc est, liberaliter, & profusè. Sed qui nimis importunus durusque essem amicus, si tantùm molestiæ tibi imponerem, hanc si mea caussa a te sponte susceptam quanta possum gratitudine non prosequerer, multò profectò essem durior.

Vix credas quanto exilui gaudio, simulatque intellexi te agente, & accurante *Dan. Galtieri Theophilum renovatum* typis vestris elegantissimis recudi. Sed credes, si scias sæpius me palàm improbasse usum, qui apud nostrates inolevit, proponendi *Vinnianos Commentarios* novis Justinianis: quibusdam etiam suasisse, ut solo

Gal-

Galtiero, quem juris tyronibus cæteris aptiorem judicaveram, contenti, cane pejus, & angue vitarent *Vinnii Commentarios*. Quippe prævidebam (quod multorum exemplo didiceram) teneras eorum mentes initio ſuorum ſtudiorum multijuga eruditione rerumque copia obrui potius, quàm inſtrui. Sed ſurdis cecini: non tàm ob difficultatem parandi ſibi *Galterianas* enarrationes; quàm quòd verebantur ne a cæteris deſpectui haberentur, quaſi extremæ ruditatis homines, qui *Vinnii* doctrinæ aſſequendæ non eſſent pares. Potero nunc tuo judicio meum firmare, & contra ſentientium convellere. Gratiſsimum mihi feceris, ſi ubi proſtet, quantique veneat *Theophilus renovatus* indicaveris, niſi Typographus ſuo periculo Barcinonem corpora aliquot comportanda curaturus ſit: fortaſsis enim minori ſumptu conſtabunt quàm quæ ex Toloſa vel Genuâ hûc advehuntur, præſertim cum facilis ſit tranſvectio a Valentia in Barcinonem, & ab hac in Cervariam noſtram. Puto etiam editionem iſtam tua cura adornatam noſtris adoleſcentibus commodiorem futuram: neque enim dubito, quin ea, quæ Gallicè efferuntur in *Galtiero* ſint a te converſa in Hiſpanum idiotiſmum, additumque juri Gallico Hiſpanum, vel certè Valentinum veſtrum: niſi tibi religio non fuit illud penitus expungere, prævidenti totam editionem intra Hiſpaniæ fines diſtrahendam. Si quas *Jan. Vinc. Gravina in Præfatione orig. Jur. Civ.* fatetur ſe contexuiſſe *Inſtitutiones*, ſcis jam in lucem prodiiſſe, amabo etiam te, ut reſcribas. Ego enim in recenti *Bibliographia Aniſſoniana* illas cum non reperiam, puto typis non fuiſſe mandatas.

Quæ tu contra aſſerentes *Chriſti* religioni J. C. de quibus te per epiſtolam conſului, egregiè diſputas, placuerunt mihi, ut quæ maximè: quibus, ſi quid eſt in me judicii, quidquid pro diſſentientium opinione afferri poteſt, dilucidè, ac nervosè confutaſti. Cæterum (niſi ſi tibi jejuna nimis videbitur, nullamque operam mereri) poteris etiam addere, & diluere conjecturam quandam,

quæ nunc mihi occurrit pro *Hermogeniani* Chriſtianiſmo. Cum enim floruerit *Hermogenianus* ſub *Arcadio*, & *Honorio*, & *Theodoſio* Principibus non Chriſtianis modo, verum & Chriſtianæ religionis ſeveriſsimis vindicibus, ut oſtendunt leges permultæ in *Codicibus Theodoſiano*, & *Juſtinianeo* ſub *tit. de hæret. & tit. de Pagan.* & præcipuè ab *Arcadio* fuerint heterodoxi ab ſcriniis, palatinaque militia ſubmoti, exilioque multati, *l. ſublimitatem 19. C. Theod. de hæretic.* ſicuti etiam a *Theodoſio*, & *Valentiniano in lege Novell. Theod. unic. tit. 2. de Jud. Samar.* credibile admodum videri poterat nullum ex his Imperatoribus mandaturum collectionem Principalium Conſtitutionum homini ethnico, curiâ, & palatinis honoribus lege interdicto, aut ſaltem collectioni auctoritatem impertiturum, permiſſurumve ut a Compilatoris nomine appellationem ſortiretur Codex. Atqui juris autoritatem habuiſſe collectionem illam, præter alia, ſatis indicat vetus Interpres *Cod. Theodoſ. ad l. unic. de reſponſ. Prud.*

Ego, ut ad initium recurram, merito tuo, mi *Gregori*, te amo in dies impenſius. Tuum erit amori meo indulgere: quod profecto facies ſi valetudinis tuæ rationem in primis habeas, neque eam immoderato vel meditandi, vel ſcribendi exercitio frangas: deinde ſi ſermonis tui ſuavitatem, quam longinquitas aufert, literis utcumque ſarcias. A fratribus meis tui amantiſsimis ſalutem plurimam. *Blanquetus* noſter aliquid ad te literarum daturum dixit. Quidquid id erit cum hiſce eodem faſciculo includam. Vale eruditorum Coryphæe. Cervariæ Lacetanorum x. kal. Febr. anno Domini MDCCXXIX.

Jam exciderat mihi quod ſcribere deſtinaveram de *Rutilio Prætore*, cujus fit mentio in *l.* 1. §. 1. *de bon. libert.* quem locum de quo *Rutilio* accipias, incertus es. Ego nihil certi affirmare audeo. Moneo tamen perpendas an veroſimile ſit fuiſſe illum *Rutilium Gallicum Valentem*, pro cujus ſalute Soteria ſcripſit *P. Statius Papi-*

pinius Sylvar. lib. 1. 4. ex cujus ſylvæ lectione facile mihi perſuadeo ſub *Domitiano* Prætorem fuiſſe *Rutilium Gallicum.* Locum indicare volui. Tu de eo tuo arbitratu ſtatues. Iterum vale, Juriſprudentiæ columen.

XIV. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO Juriſconſultiſsimo viro, S. D.*

NOn ego te viciſsim laudabo, *Fineſtreſi* doctiſsime. Tu, ut quantus es, videare, nulliùs indiges laudibus. Ego, niſi a te laudatus, qui non ſoles falli, vix viderer poſſe aliquid in re literaria. Nunc ſi quid præſto (quod video quam levis momenti ſit) tuis ſtimulis me debere fateor.

Theophilum renovatum a *Daniele Galtiero* curavi ad literam recudi. Solum omitti juſsi Græca, & Gallica; illa characterum inopia; hæc quia putavi utile in linguam Hiſpanam verti. Initio curſus literarii mihi venit in mentem tradere illum Typographo. Volui tamen antea de eo referre ad Anteceſſorum Senatum, quibus, licet meum conſilium diſplicebat vehementer (forte quia meum) me tamen fortiter dicente, tandem ab omnibus aſſenſum eſt. Nunc reclamant. Verum incaſſum, cum res integra non ſit. Statim enim meum exemplar caſtigavi locis pluſquam quingentis; duobus Typographis tradidi, ut alter inciperet recudere a primo libro, alter à tertio: quin & poſtea Tertium addidi Typographum, ut ſic abſolveretur editio duobus menſibus. Itaque paginarum, imo & verſuum idem ſervandus ordo numeruſque fuit. Quare præter legum numeros qui ferme omiſſi erant, nihil aliud addidi, nec potui, etiamſi valde cupiebam. Optabam deſcribi *Juſtiniani* textum, errores aliquos *Galterianæ Paraphraſeos* expungere, ac, ubi operæpretium videretur, aliquid addere. Sed ratio operis non ſivit: & adeo feſtinatum eſt, ut minime auſim pro

Ty-

Typographicis operis fidejubere. Singuli *Theophili* veneunt quindecim (ut vulgo loquimur) Regalibus: pretio nimis alto. Sed ita visum est ei cujus sumtibus publici juris factus est. Is curabit ut Barcinone, & in ceteris Hispaniæ principibus Civitatibus quanto citius vendantur.

Ad *Hermogenianum* quod attinet potuit Æthnicus esse, & Constitutiones colligere sub *Honorio* & *Theodosio* Imperatoribus Christianis, cum hi demandaverint Christianis, ut Paganis quiete degentibus nihilque tentantibus turbulentum, legibusque contrarium, non auderent manus inferre religionis autoritate abusi, *l. 6. C. de Jud. Pag. &c.* Tantum autem abest, ut legibus contrarium esset, illas colligere, ut pertineret potius ad conservandas eas. Præterea quid prohibet eum privatim confeciſſe Codicem, atque hunc postea confirmatum ab Imperatore aliquo Pagano? Hæc si tibi non probantur, *Hermogenianum* Christianis vindicato; litem non contestabor, ne vitilitigator videar. Maneat autem ceteros quos dixi, fuisse Æthnicos. Doleamus autem fuisse tales.

An *Rutilius Gallicus* sit ille *Rutilius* quem *Ulpianus* allegat in *l.* 1. §. 1. *de bon. libert.* mihi non satis liquet. Plurimi tamen facio observationem tuam. *Institutiones Gravinæ* puto lucem non vidisse. Legerat ille *Theophilum* a *Jo. Doujatio* docto & erudito viro recognitum, laudavitque illum impense; cumque consideraret ex *Theophili Paraphrasi*, & ex *Fabrotti* atque *Doujatii Notis* confici posse enarrationem quandam doctissimam, & expeditissimam, promisit eam, ignorans proculdubio jam præstitisse id *Dan. Galtierum.*

Fratres mei tibi tuisque salutem plurimam dicunt. Ego vobis opto propitium Deum. Valentiæ in Edetanis. Postridie Kal. Mart. Anno MDCCXXIX.

XV. *JOSEPHUS FINESTRES D. GREGORIO MAJANSIO ornatiſsimo viro & J. C. præſtantiſsimo, S. D.*

GRaviſsimum ſanè mihi eſt triſtem tibi adferre nuncium, optime *Gregori*, & qui te vehementer percellet. Sed officii neceſsitate compellor. Scribo ad te quem virtus, & ſapientia adverſus fortunæ ictus ſatis præmunitum reddidere. Nec tamen ne doleas peto: nam cum utriuſque communis ſit dolendi cauſſa, quod ego præſtare nequeo, ut infracto ſim animo, id certè a te non jure exigerem. Amicitiæ noſtræ conciliator, amborum amore digniſsimus *Dr. Franciſcus Blanquetus* deceſſit hodie paulo poſt ſeptimam horam matutinam, exunte decima quarta die ab inſultu diræ febris, quâ maligniorem peritiſsimi, & exercitatiſsimi Medici qui eidem præſto erant viderant numquam. Nihil ab his intentatum, nihil inauſum relictum eſt, quo vires morbi vel frangerent vel retunderent: verùm incaſſum omnia. *Blanqueti* Patruus & ipſe Medicus eximius pietatem duxit, in ejus curatione eſſe crudelem. Itaque nulla pars corporis a cruciatu vacua remanſit, vixque in illo habuit jam nova plaga locum. Nam cauſtica illa veſicatoria, quæ pleriſque extremum ſolet eſſe remedium, noſtro fere primum fuit ſupplicium. Septima die ſalute jam deſperata a Medicis palàm conclamatus eſt. Sed quid non neceſſaria carnificinæ mentione augeo dolorem, quem ſatis exacerbat tanti amici jactura? Crede mihi, chariſsime *Gregori*, ſpei erat eximiæ vir *Blanquetus* noſter, ob ſubtiliſsimum ingenium, judicium maturum, eruditionem immenſam, indefeſſum ſtudium, eloquium excultum, & expeditum, & quod caput eſt, virtutem ſolidam ac minime fucatam; quas omnes animi dotes illuſtriores reddebat amabili genio, & morum candore. Quare cum omnes in ſui amorem allexiſſet, ab omnibus pariter lachrymas excuſsit; a me præſertim, fra-

fratribuſque meis, qui ejus quotidiana conſuetudine præ cæteris familiarius fruebamur. Omnem quidem mœrorem deberet ab animo depellere (ut cætera taceam quæ ſuggerit philoſophia) mors ipſa homine Chriſtiano digniſsima, quam toto morbi tempore & placido adſpexit vultu, & pertulit, ſuſtinuitque totus a Creatoris nutu pendens, in tam acerbis cruciatibus patientia incredibili. In ipſo vero mortis agone occluſas omnibus habuit aures, niſi ſi quis de divina bonitate exoranda ſermonem inſtitueret: cæteris minime attentus. Verùm in tam recenti malo, ut homines ſumus, & quidem infirmi, non modo iſta jucunditatem non adferunt, ſed nec lenimentum doloris, cui tempus potius, quàm ratio medebitur.

Quod reliquum eſt, precor Deum Opt. Max. illi propitium; & ex animo voveo, ut qui nos firma conjunxit amicitia, *Franciſcus Blanquetus*, idem amicus Dei factus, ipſius quoque amicitiam precibus nobis conciliet, & gratiam. Vale, optime *Gregori*, & cura ne pereat quæ mutua erat nobis cum *Blanqueto* charitas: ſed effice, ut ei addita quæ inter nos eſt, majorem reddat, & firmiorem. A fratribus meis ſalutem plurimam tibi, tuiſque. Vale. Raptim & animo perturbato. Cervariæ Lacetanorum. v. Nonas Julii anno ſal. MDCCXXIX.

XVI. *MAJANSIUS FINESTRESIO SUO S.*

COntrarios affectus literæ tuæ in me excitarunt, doloris, & gaudii. Doloris, quia privati ſumus amico integerrimo, doctiſsimo, modeſtiſsimo. Gaudii, propterea quod ille Chriſtianis virtutibus ditiſsimus evolavit ad ſuperos, morte obita, exoptanda potius, quam metuenda. Utrique affectui me facilem præbeo eodem modo, lacrymando ſcilicet, noſtræ memor conditionis neceſſario fragilis, & felicitatis ſperatæ & obtinendæ, adju-

juvante Deo, quem tibi, fratribusque tuis suavissimis propitium opto. Utinam, utinam: & mihi etiam. Valentiæ in Edetanis. v. Eidus Julias. Anno MDCCXXIX.

XVII. *GREG. MAYANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO Vespertino Juris Civilis Antecessori, S. D.*

UBi te audivi Antecessorem electum, mirifico gaudio delibutus sum; non tui solum gratia, cui ob nostram amicitiam, ob tuas eximias virtutes, & admirabilem doctrinam prospera omnia optare debeo; sed publicæ rei caussa, cui maxime consultum est, cum ad id honoris fastigium evectus es, in quo & isti Scholæ Cervarienſi præclarissimo ornamento, & Jurisprudentiæ nostræ, maximo adjumento futurus es. De te enim cogitans, existimo, eum esse te, cui ad implendum, decorandumque munus istud Professorium, summa facultas adsit cum voluntate optimâ conjuncta. Semper enim virtuti & literis ita deditus fuisti, ut nihil nisi illas videaris scire; nihil præter eas docere posse, ac velle. His accessit summa docendi dexteritas, & indefessa assiduitas. Quare quæ multis sunt laboriosissima, discere atque docere, ex vetere consuetudine tibi sunt facillima. Neque enim ut doceas studere debes, sed meminisse: meministi autem quantum vis, certe quantum sufficiat, ut discipulis tuis admirationi sis, & ut doctissimorum hominum te velut oraculum adeuntium desiderio satisfacias. Igitur tibi gratulor, non ut ii gratulantur, qui fere unum cogitant, quo honore, quibusve fructibus auctus sis, quod tibi cum multis commune est; sed ut ii quibus Jurisprudentia cordi est: quam tu in paucis promovere potes, & verò jam promovisti, tot egregiis Dictatis Academicis publicis, privatisque. At nunc en habes campum illum latissimum, in quo tua illa divinarum, humanarumque rerum perfectissima notitia, tot parta

vigiliis, tot exercitationibus confirmata, enitescere potest. Hæc est illa ad quam te exercebas, quam summis votis appetebas; hæc est illa, mi *Finestresi*, tuo ingenio, tua eruditione digniſsima provincia. Prome animo tuo præclaram illam doctrinam, quam collegisti a puero. Multis contingunt illa præmia, quæ quietem important; tibi quæ vigilandi causſas adaugent. Hoc itaque munus quasi legem otii non accepisti. Quia laborasti, visus es laboraturus. Armatæ similis noſtra militia est. Strenue pugnantibus imperia deferuntur, ut fortius dimicent. Honorem hunc onus sequitur: & bene navatam operam consequitur immortalis gloria. Consídera quæso quibus temporibus hæc tibi impoſita persona. Quibus scilicet barbaries vel in ipsas Scholas invasit, penetravitque. Tuum est ei bellum indicere. Tuæ virtutis illam fugare, ac profligare. Tua, quocumque imperaveris, ego signa sequar. Quod si mei nullus erit usus; vota saltem faciam pro tuis victoriis. Vestratum hoc pace dicam. E Catalaunis multi fuere egregii Pragmatici. Romani Juris Interpres magni nominis, nullus ad hunc diem esset, nisi te haberet Catalaunia. Fac igitur, ut qualis es, quantusque mihi jam diu videris esse, non solum tuis discipulis, sed & omnibus appareas. Quod ut posſis præstare, enixe opto, ut qui tibi hoc munus deferri voluit (voluit autem Deus omnium auctor bonorum) eam tibi mentem instillet, ut quam tu ingenii doctrinæque opinionem tota vita collegisti, eam in adornanda Jurisprudentia tuearis, & augeas. Idem opto facere fratres tuos doctisſimos, quibus post multas gratulationes, salutem plurimam imperties, & a meis fratribus accipies. Vale. Valentiæ in Edetanis an. MDCCXXXI. septimo Eidus Majas. Natalibus meis gratisſimis mihi atque jucundisſimis, mei tuique causſa.

XVIII. *JOSEPHUS FINESTRESIUS GREGORIO MAjanſio J. Civ. apud Valentinos Anteceſſori, amico ſuo, S. P. D.*

UT nihil eſt mihi amore tuo amabilius, ita non potuerunt non eſſe jucundiſsimæ literæ gratulatoriæ, quas proxime ad me miſiſti, amoris erga me & benevolentiæ plenas. Quamquam non ex integro mihi placuerunt. Nam, ne quid diſsimulem; cum duabus illæ conſtent partibus, quarum in altera admones quid mihi præſtandum ſit, ut Veſpertinæ Juris Civilis Anteceſſuræ muneri, cui me Regia præfecit benignitas, ſatisfaciam, & ut id præſtem, urges etiam quantum potes; in altera eas ingenio meo tribuis dotes, eas doctrinæ meæ laudes, quas ſi agnoſcerem, profecto amens, & philautiæ morbo penitus correptus, cæteris qui me proximius ſpectant, viderer: partem illam, tamquam ab affectu, quo me vis in aliquo numero eſſe, profectam, ſummè amplector; & paræneſi tua excitatus enitar fortaſsis, ut provinciam mihi commiſſam, ſi non ornem, tuear ſaltem. Sed aliam partem aliis debitam abs me abjudico, & prorſus rejicio: imo & expunctam velim. Video in illa quas præſtigias faciat amor, quàmque ille ſit credulus vere perſpicio. Putaſti ne, mi *Majanſi*, alterum me eſſe *T. Ariſtonem*, & *Plinianæ* parem commendationem contexere tibi propoſuiſti? An vero quaſi declamator aliquis orationis potius elegantiam, & nervos, quam veritatem voluiſti ſectari? An denique non quidem qualis ego ſim; ſed qualis eſſe debeat verus Juriſconſultus ſub mea perſona oſtendere tibi animus fuit? Ut *Xenophonti* ſub perſona *Cyri* non tam quis ille fuerit, quam qualis eſſe debeat perfectus Princeps. Utut ſit, ſi me amas, ſcribe quæſo in poſterum quæ abſque offenſione legam, quæ ſine rubore amicis meis, tuique admiratoribus communicare poſsim: apud quos nimium blandi ſuſpicionem minimè effugies, ſi pergis me tam immodi-

dicis, immeritisque laudibus onerare verius quam ornare. Sed mittamus hoc argumentum, quod non nisi ægerrime tracto.

Verisimè ais ex Catalaunis nostris nullum hactenus Romani juris interpretem magni nominis extitisse. Quod nescio quo Provinciæ hujus fato eveniisse dicam : nisi quod Antecessores, ad quos de Jure Civili scribendi munus maxime pertinebat , ob tenuissima honoraria , cogebantur se totos causarum patrociniis dare : nec per se Professorium munus petebatur ; sed ut eo ornati citius ad Senatoriam dignitatem eveherentur ; cum tamen essent permulti qui J. Consulti titulum satis honestè tueri possent. Itaque præter *Antonium Roscium* nullus mihi occurrit ex nostratibus, qui juris Romani tractationem pro dignitate, scilicet eleganter , eruditeque susceperit. Nam quantum ille profeciisset sub *Andræa Alciato* a quo Juris Civilis disciplinam hauserat , ostendit in lucem emissis tribus memorabilium juris libris , quos *Philippo II.* dedicavit in Regium Barcinonensem Senatum jam ab eodem allectus : potuissetque permultis aliis , quæ de Jure Civili scripserat , ostendere ; nisi hæredum incuria blattis illa , & tineis permisisset , pessimeque consuluisset Auctoris manibus. Hæc juvit memorare in gratiam *Roscii* nostri , qui primus , quo tempore Jurisprudentia suo nitori apud exteros restituebatur , visus est in Catalaunia quasi signum aliquod extulisse , quod posteri si fuissent sequuti , næ illi symbolum etiam suum in ea exornanda potuissent conferre. Hic unus ex indigenis nostris dignus videtur , qui Catalaunis Jurisprudentiam illustrantibus *Rosciorum* appellationem commodaret; quemadmodum Romanus ille histrio *Roscius* hoc assecutus fuit, teste Cicerone, ut in quo quisque artificio excelleret , in suo genere *Roscius* diceretur. Sed de his hactenus.

Amo te tuo merito, *Majansi* suavissime, & doctissime, & ob studium in te meum etiam redamo : tempera modo te ab immodicis mei commendationibus , nullamque in-

ter

ter nos futuram contentionem ſpondeo. Fratres mei te ſumme colunt, atque in oculis ferunt, & qua ſolent benevolentiæ ſignificatione ſalutem plurimam dicunt. Vale, mi *Majanſi*, obſervantiæ in te meæ ſecurus. Cervariæ Lacetanorum VI. Kal. Junias reparati Orbis anno MDCCXXXI.

XIX. GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO *Anteceſſori Cervarienſi, S. D.*

NOn oblivione amicitiæ noſtræ ſuperioribus diebus nullas ad te literas dedi, ſed quod jucunditatem omnem ita amiſi, & in talem incidi mœrorem, ut quicquid animum meum recreare poſsit, omittam, nec prope aliud curem niſi ea cogitare quæ me magis magiſque angunt. Ne mihi tamen omnino deſim, ad te confugio in meo caſu graviſsimo, ut dolori meo medearis prudentia tua, ea mihi proponendo, quæ forte ego non perſpicio dolore impeditus.

Quarto nonas Julias Olivam veni ut moleſtiſsimum anni tempus ſuaviter atque jucunde tranſigerem cum parentibus meis fratribuſque. Deſtinaveram ego diſtribuere horas, quantum poſſem, commodiſsimè, ita ut quietiores impenderem in ſtudiis, reliquas in domeſticorum ſermone, amicorum convictu, deambulationibus amœnis, rebuſque neceſſariis. Et vero hiſce deliciis incœperam frui. Verum ſexto Eidus Julias, poſteaquam tolli juſsimus menſam, ſenſimus aliquantulum ad vomitum incitari fratrem meum *Vincentium*, natu minorem me, ceteris duobus fratribus majorem. Cum ab eo quæſiſſemus, ſatiſne valeret? ſigniſicavit ventrem dolere ſibi; ſe tamen conſtituiſſe id diſsimulare, ne Mater quæ infirmiſsima erat valetudine id reſciret, & alieno malo pluſquam ſuo torqueretur. Idcirco noluit ſibi lectum ſterni. Non tamen auſus fuit eo veſpere ire ad *Divi Chriſtophori*,

li-

licet nos ſimus Patroni ſacelli conſecrati ei Divo, ad quem ex perantiquo voto municipum it omnis Populus ſollemni ritu. Cum jam adveſperaſceret, victus precibus eorum omnium qui aderant, decubuit. Sequenti die ex medicorum præſcripto pilulas accepit alvi cauſſa, quæ ita fuit irritata, ut ſuborta fuerit diarrhia, febri nunquam intermittente, quæ eo, & ſequenti die deſpicienda videbatur; tertio denique maligna, atque peſtifera apparuit. Tertio Eidus Julias ſecta ei ſalvatella (ſic vocitari ſolet) ex Medicorum decreto, ventris reſolutione nondum ceſſante. Ajebant illi neceſsitatem ita poſtulare, forte mortis. Ipſe interea nihil ſatagebat aliud, niſi vim & malignitatem morbi conſtanter perpeti, ac diſſimulare, matremque plus de ſalute ejus, quam de ſua ſollicitam conſolari: &, ut erat prudens atque facetus, jucundiſsimos ſermones admiſcebat. Pridie Eidus Julias urgente vi valetudinis viſum eſt eum de mortis periculo admonere. Tunc ego ad eum accedens, nulla uſus circuitione, *Tune*, inquam, *es memor conventionis noſtræ, de mortis periculo declarando, ubi noſtrum alteruter in eo eſſet? Probe*, inquit, *memini. Scito igitur*, inquam, *tui corporis ſalutem jam eſſe conclamatam; adeoque de animæ ſolum cogitandum.* Ad hæc ille minime perturbatus, imo animo vultuque ſereno, continuo ſupra lectum ſedit; ob tam lætum nuncium arctiſsime quantum potuit, me complexus eſt, & gratias ex animo profudit maximas. Unde conjectari licet tranquillum ejus conſcientiæ ſtatum. Præterea dum me complexum teneret, dixit clara conſtantique voce. *Utinam mihi vocato ad Jeſu Chriſti tribunal ejus dextera contingat; meque Jeſus Chriſtus pater miſericordiæ & totius conſolationis advocet ad ſe illa benigniſsima ſententia. Venite benedicti Patris mei: poſsidete regnum quod paratum eſt vobis a conſtitutione mundi.* Statim advocari juſsit animæ Medicum, cui contractas in tota vita noxas jam aperuerat eo die qui præceſsit feſtum *Corporis Chriſti*; ita Deo diſponente, ut qui tam cito

ini-

initurus erat immortalitatis iter, se diligentissime ad illud præpararet. Continuo caput obnupsit linteo; quærentique Patri ecquid faceret? *Revoco*, inquit, *in memoriam peccata mea, ut ea detester & abominer.* Et verò ille non cessabat pœnitentiæ formulas prodere. Interea venit Sacerdos, cui sine ulla mora suam aperuit conscientiam. Statim affuit Curio cum Eucharistiæ Sacramento. Ad ejus verba ritè ac memoriter respondebat; Divinumque viaticum suscepit magna veneratione, summa pietate. Deinde ego pias aliquas formulas indicare cœpi, cumque ego verba illi vellem præire, ille diligentius præibat mihi: tantoque animi ardore prodebat actus fidei, spei, & charitatis, ut ab eo abscedere jussus fuerim, ne affectus nimii ejus saluti nocerent. Denique urgente vi valetudinis, cum jam animam ageret, eamque demigrantem commendaremus Deo, & ipse vocem elicere non posset; pias tamen preces agnoscebat, modestisque signis prosequi, & imitari videbatur, & in tantis angustiis, quales sunt extremæ, nullum unquam doloris signum dedit, præter anhelitum deficientem, fatigatumque. Risus & hilaritas semper in ejus ore; mens in *Jesum Christum*, cui animam reddidit Eidibus Juliis, hora decima matutina, ætatis suæ anno vigesimo tertio, & tribus mensibus, uno demto die; natus enim fuerat Barcinone sexto decimo kalendas Majas anni 1708. Quantum ille mœrorem reliquerit, non solum domesticis, sed extraneis etiam, dicere non possum. Elatus fuit maxima mortalium utriusque sexus, & ætatum omnium frequentia, incredibili luctu. Ingenio præditus erat excellentissimo, judicio acerrimo, memoria tenacissima, eloquentia ingenua. Quicquid dicebat, perspicue & expeditissime exponebat, tanto lepôre, ut ipsa suadela videretur habitare in ipsius ore. Itaque cum in Academia Valentina suscepit Philosophiæ lauream, & in Gandiensi Theologiæ, licet utrique studio mediocrem solum operam dedisset (erat enim avidior legendi Historiam, quam

scien-

ſcientiis vacandi) in ſui admirationem rapuit auditores omnes. Præterea ſupra ætatem erat prudentiſsimus: minima quæque obſervabat, nemini tamen detrahebat. Ad parcitatem potius verborum, quam dicacitatem inclinabat. Nihil non lepide proferebat; cumque ingenio eſſet promtiſsimo, adeo ſibi temperabat, ut patientiſsimus eſſet. Inde natum, ut nemini unquam intulerit injuriam, & a nemine paſſus fuerit: & quod mirabilius eſt in adoleſcente, verbum aliquod turpe ab ejus ore nunquam excidit. Denique comis, affabilis, liberalis erat. Statura ejus mediocris, corpus aliquantulum obeſſum, habitudo tota pulcherrima; præcipue dignitas oris erat tanta, ut omnium oculos ad ſe converteret: color albus, capilli nigri, oculi ſubnigri, hilares, & loquaciſsimi. Aptiſsimus erat ad omne genus negotiorum; maximaſque res quaſi nihil agens tractabat. Tanta erat habilitas illius, & dexteritas. Vix legebat aliquid notatu dignum quod non excerperet. Solum novem menſes fuit in hac Eccleſia Olivenſi (deceſsit enim Subdiaconus) & Archivi ſcripta incurioſe digeſta ita excuſſerat, ut ea ordinare jam incœpiſſet. Quid verbis opus eſt? Unus ad omnia videbatur aptiſsimus. Ergo

Quis deſiderio ſit pudor, aut modus
Tam chari capitis?

Eum ego inſtitui. Diligebamus nos invicem, ille me ut ſe ipſum; ego illum ut me ipſum.

Sed quid ego iſta commemoro quæ mihi dolorem exacerbant, & deſiderium augent? Nimirum vereor, ne ſi de illo tacuero, teſtimonium omittam ejus virtutibus debitum. Præterea neſcio niſi de illo cogitare & loqui. Nam ſi domi ſum, parentes ac fratres conſpicio mœſtos. Itaque ii qui me conſolari poterant, majori afficiunt moleſtia, propterea quia intemperanti dolore laborantes, mea potius indigent conſolatione, quam ullam afferunt. Si foras exeo, nihil mihi jucundum eſt ſine illo meo comite ac ſocio perpetuo, ac pene indiviſo. Si negotium

ali-

aliquod ſuſcipio, prudentiam ejus deſidero. Si volo aliquid ſcribere, ſerio nequeo ; ardor enim ſcribendi extinctus eſt, mentiſque omnis alacritas non elanguit modo, ſed prope mortua eſt. Neque tamen ideo mihi deſum. Libros amœnos lectito, licet nunc videantur ingratiſsimi: vitio ſcilicet legentis. Præterea omnia quæ a ſapientiſsimis viris ad minuendum dolorem tradita ſunt, ipſe mihi ſubjicio atque apud animum propono. Cogito qua conditione omnes homines nati ſumus : ſi hoc tempore diem ſuum non obiiſſet meus frater, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuiſſe, quoniam homo natus fuerat : eum quandiu ad æternam ſalutem opus ei fuit, vixiſſe. Cogito etiam non tam graviter eum caſum ferendum, quem nullo conſilio vitare poſſumus. Memoria repeto dolorem iſtum mihi communem eſſe cum multis, quibus tamen dies minuit atque levavit luctum : turpiſsimum autem eſſe id conſilio non anteferre quod aliquando dies allatura eſt ; & expectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſumus. Sed cum hæ rationes allata mihi incommoda ex fratris obitu non auferant, vix dolorem minuunt. Illud unice conſolatur me (in quo Philoſophiæ Chriſtianæ divinam vim animadverto) ita placuiſſe Deo Opt. Max. ferendum hunc caſum quia ipſe vult ; in ipſius miſericordia ſperandum, quia deficere non poteſt. Quare luctus abeat, ne velut Æthnici videamur contriſtari atque negligere reſurrectionis ſpem ; & ne defuncti felicitatem quam, ut pie credimus, ei Deus conceſsit, ingrato animo interpretemur. Illius igitur deceſſum, immortalitatem potius, quam mortem exiſtimemus. Noſtra vero incommoda, ſi patienter ferimus, ut a Deo immiſſa, reputemus commoda. Tu, *Joſephe* vir optime, a Deo precare, ut quæ inſpirat mihi, ipſe ſequar. Tibi velim perſuadeas, quocumque modo res meæ ſe habebunt, ſive proſpere, ſive adverſe, meum animum fore in te fratreſque tuos, quem tu eſſe voles, & qui eſſe debebit. Olivæ. VIII. Kal. Sept. MDCCXXXI.

XX. *JOSEPHUS FINESTRESIUS GREGORIO MAjanſio eruditiſsimo Anteceſſori Valentino, S.D.*

O Acerbum nuncium ! Frater germanus tuus *Vincentius* charitate tibi quam ſanguine conjunctior, corporis, & animi dotibus ornatiſsimus, maximæ ſpei adoleſcens, a te literis inſtructus, tecum educatus, & altus, ſacro hypodiaconatus ordine jam inſignitus, omnibus charus obiit, atque a te divulſus jucunditatem abſtulit, mœrorem reliquit. Ferreus ſim ſi ad talem nuncium non commovear. Non is tamen ſum qui meum dolorem tuo parem eſſe tibi perſuadere velim. Doleo enim de tuo magis tuorumque dolore, quam de fratris morte invidendâ potius, quàm deplorandâ. Crede mihi, optime *Gregori*, tui potius cauſa, quam fratris angi videri potes : nam quam illius infelicitatem luctu proſequêris, qui tam beatè, tam placidè, tam effuſo in Deum amore, tantoque cum pietatis ſenſu diem obiit ſupremum ? Qui, quaſi de æterna felicitate a Deo ſecurus eſſet redditus, imperterrito ore, imo læto, hilarique vultu mortem aſpexit venientem, irruentem amplexus eſt? Vide ne mors, ut corpora, ita animos veſtros in vita conjunctiſsimos, longe disjunxiſſe videatur; ſi ille in exceſſu tranquillus, tu perturbatus; ille hilaris, tu mœſtus es. Certè *Vincentius*, ut erat facetus etiam in extremo vitæ halitu, qualem fuiſſe tradunt *Thomam Morum* ſanctiſsimum virum Angliæ Cancellarium, quod partim naturæ, partim mentis tranquillitati tribuendum eſt, dicere potuit:

Nemo me lacrumis decoret, neque funera fletu
Faxit. Cur? hilari diſplicet illacrumans.

Tu ſi minus arridet priſci carminis immutatio, (per me licet, & per omnes opinor) reſtitue ſuæ integritati *Enniana* verba, ut cauſam aliam habeas non minus veram,

quàm

quàm depellendæ triſtitiæ accomodatam. Quanto enim majorem quis de ſe famam apud poſteros relinquit, quam certe reliquit frater tuus *Vincentius* pro ætate ſatis præclaram ; tanto minori luctu oportet ejus memoriam recolere, quippe quem non defunctum reputamus, ſed vivum per ora virum volitare. In talium virorum exceſſu libenter uſurpo illud *Steſichori*:

Tou men Thanontos oukan ekthymoimetha
Ei ti Phronoimen, pleion hemeras mias.

Nimirum de memoria ſentiens quæ nos ad lacrymas & dolorem permoveat, quibus unum ſaltem diem, ob humanæ conditionis fragilitatem, etiam conſtantiſsimo, & adverſus fortunæ vim ſatis comparato ratio poſtulat non negari. Verum quid ad te hæc minus neceſſaria, ne dicam prorſus inutilia? Tu namque ad eam conſolationis cauſam jam confugiſti, quæ etiam cum ſævius furit tempeſtas, ſacra eſt omnibus anchora; conformationem ſcilicet propriæ voluntatis cum divina. Quam qui conſequitur, næ is omnium Philoſophorum effata ad luctum minuendum vel cohibendum tot libris conſignata contemnet, ut minus efficacia. Forti ergo erectoque animo eſto mi *Gregori*, & quemadmodum Socrates de filii morte admonitus cœptam diſſertationem non interrupit ; ſic tu, qui ſanctiori philoſophia imbutus es, literaria otia minimè abrumpas, ſed in illis graviter, quantum per valetudinem vireſque licebit, allabora, quæ in communem utilitatem, addo etiam in tui gloriam, eruditi propediem exſpectant.

Officio meo mihi viderer defuiſſe, niſi fratri tuo *Vincentio* ſupremam commendationem inſcriberem. Debeo hoc memoriæ defuncti, cùm quòd tuus frater ; tum quod meus concivis erat, Barcinone natus. Tentabo an poëtici numeri jam diu intermiſsi, ac penè obliti, votis reſpondeant, ut in quam ſententiam epiſtolam ſcripſi, canam epicedion. Vale Cervariæ Lacetanorum x. kal. Octobres anno ſalutis MDCCXXXI.

O cæca ſors mortalium! O fallax nimis
Et vana ſpes! Vincentius clarum decus
Majanſianæ ſtirpis, ille, qui modo
Oculus Olivæ, lux Valentiæ nitens,
Amor parentum, fratris, omnium fuit,
Nunc eſt parentum, fratris, omnium dolor,
Ætatis ipſo in flore vitam deſerens,
Genio modeſtus, candidus, facilis, comis,
Idemque mentis vivido ſenſu potens
Prudens, acutus, promptus, & par omnibus
Tractanda quæ ſuſcepit. At dulcedinem
Suaviſque linguæ mella quis dignè canat?
Majanſiorum nempe gens, quaſi genus
A Maja Atlantis filia ducat ſuum,
Facundia Mercurium dulci refert.
Quis ergo luctus quibit orbatæ domus
Damnare, cujus in favillas ſpes abit?
Sed fallor: ipſe lacrymas damnat Deus,
Cui invidere, jure ſi libat ſuo
Meliora fundi quæ ferunt noſtri, nefas.
Sed & ipſe flere nos vetat Vincentius,
Qui pro peracta fabula vitæ optimè
A ſpectatore candidum plauſum petit:
Ac pro triumpho, ſicut olim Horatius,
Iraſcitur ſibi lacrymas cernens dari.
Ergo faceſſat angor a Majanſiis,
Animumque lapſum, o Gregori, demum erige.
De morte tuus (ex nomine, & re omen cape)
Frater triumphum victor egit nobilem,
Cum corde firmo interritus riſit minas,
Tulitque conſtans irruentis impetum,
Eſſet alius pignus ut victoriæ,
Quam inter beatos Cœlitum celebrat choros.
Nam, qualis ille, quem Joannes viderat
Patmi in receſſu cætera inter myſtica,
Exivit e mortalium infortunio

Vincens, ut iterum vinceret Vincentius.

XXI. GREG. MAJANSIUS JOSEPHO FINESTRESIO, *Anteceſſori Cervarienſi ſapientiſsimo, S. D.*

LIteris tuis lectis, turpiſsimum eſſet non ſequi amplectique prudentiſsima monita quæ tu tali ſapientia præditus in animum inſtillas. Certe mirifice confirmaſti me. Tuum autem Epicedion adeo mihi gratum, ut vel argumenti acerbitas jucunditatem lectionis adimere nequiverit. Quid de te dicam neſcio, niſi ad omnia ſcribendi genera videri natum. Ingenium habes, ſicuti totius encyclopediæ capax, ita rei cuilibet idoneum. Quo magis ego doleo nullum ex ſcriptis tuis lucem publicam vidiſſe, cum omnia ſint immortalitate digniſsima. Hanc timiditatem tuam (ne quid gravius dicam) nullo modo probare poſſum. Publicare ſaltem deberes *Hermogenianum* tuum, non quidem ut oſtenderes, quam præclare ſuſtineas Anteceſſoris perſonam (quod pro tua dignitate quò egregiûs curas, eô magis ſtudes occultare pro tua modeſtia) ſed ut opere tam utili & plane neceſſario Juriſprudentiam mactes, & illuſtres. Debes hoc Reipublicæ literariæ, cui iniquum eſt non præſtare quæ pro virili poſsis, & ad exornandam illam maxime conducunt. Debes Academiæ Cervarienſi, cui recens erectæ indecorum eſſet, aliquo inſigni ſcriptore non inclareſcere, ut contigit omnibus Academiis, quarum initia ſemper fauſtiſsima. Debes denique Patriæ tuæ Barcinoni, ut gloriam quam Toloſæ opponat, habere poſsit. Fuit enim *Papinianus* ingenii & eruditionis laudibus *Hermogeniano* præſtantior. Sed tui Commentarii, ſi libri moles excipiatur, in quo cedere debeant *Cujacianis*, ſive ſpectetur ingenium, ſive doctrinæ copia, & electio, ſive eruditionis præſtantia, & ſobrietas, ſive ſcribendi perſpicuitas, & ars, plane non video. Quid igitur expectas

ut

ut publices tantum opus? Modeſtiane remoratur te? Tribue aliquid amicorum judicio, præſertim *Majanſii* tui, qui ſi videt aliquid in literis, te penitus novit, utpote a quo minus caviſti. Editioniſne ſumtus deterrent te? Etiam in hoc tibi non deerunt officia mea. Vide igitur ne tua inertia, laborandi ſollertiæ non modo par, ſed & ſuperior ſit. Occaſionem occupa, tene, ne ſi elabi ſiveris, reprehendere non poſsis. Crede mihi, *Fineſtreſi* dilectiſsime, famam gloriamque tuam in oculis geſto. Tuos etiam fratres, *Franciſcum*, & *Petrum* tui ſimillimos. Utrumque meo nomine ſalvere jubeto. Vale: atque tuis literis prudentiſsimis ſuaviſsimiſque perge me recreare. Olivæ. Poſtridie Nonas Octobreis. An. MDCCXXXI.

XXII. *GREG. MAJANSIUS FRANCISCO FINESTRESIO, Canonico Gerundenſi, S. D.*

EX nuncio quodam Madritenſi jam intellexeram, *Joſephum* fratrem tuum virum ſapientiſsimum, poſteaquam in iſta Schola tot annos navavit egregiam operam ſtudioſæ legum Juventuti feliciter inſtituendæ, conſultante Supremo Caſtellæ Senatu, a Rege fuiſſe electum Anteceſſorem Veſpertinum. Quo nuncio audito, incredibilem cepi voluptatem. Quid enim mihi jucundius eſſe poterat, quam videre ſummum amicum meum eo loci provehi, in quo, & ſibi ſuæque genti honori, & Juriſprudentiæ amantibus utilitati, & Scholæ iſti Cervarienſi, imo univerſæ Hiſpaniæ ornamento & gloriæ eſſe poſit? At bene ſit quod ſolidæ lætitiæ, ipſius adaugendæ nova & jucundiſsima acceſsit cauſſa: nam, cum ex tui fratris literis heſterno die intellexi, non ſolum eum honore illo mactatum fuiſſe, ſed & ab Scholæ iſtius Deputatis (ita loqui liceat) in Canonicatum Gerundenſem te præſentatum eſſe; cumulatus ſum maximo gaudio; non ſolum ob talem dignitatem, per ſe honorificam,

ti-

tibi delatam, ſed in tali occaſione. Qualis enim quantuſque vir ſis, probitate, modeſtia, pietate, doctrina, facile omnes intelligent, cum poſt SS. noſtri *Clementis XII.* Pont. Max. edictum quo ille conſtituit, ut octo Canonicatus qui prius vacent in iſtius Provinciæ totidem Eccleſiis, Cervarienſibus Doctoribus deſtinentur, te fuiſſe illum videant, qui in Academia recenti, doctiſsimis hominibus florente, primus ceterorum omnium es viſus dignus, qui ſapientiſsimorum virorum ſuffragia ferres. Hoc ſi tibi ſolo hominum favore contigiſſet, a gratulatione tantum abeſſem, ut potius reputarem, doleremque infelicitatem tuam. Sed contigit virtutum tuarum & ſapientiæ merito, Deique optimi maximi benignitate ſumma, qui Gerundenſi Eccleſiæ per te vult conſulere. Quare ex animo tibi gratulor: ex animo gratulor Eccleſiæ illi. Tibi, quod tuarum virtuum teſtimonium potius & incitamentum, quam præmium acceperis. Eccleſiæ Gerundenſi, quod nacta ſit eum virum, qui ob eximiam doctrinam illi erit adjumento, ob ſingularem pietatem miſeris levamini, ob præclariſsimas virtutes omnibus exemplo. Deus optimus maximus tibi munus iſtud fortunet, velitque, ut illud adminiſtres, ex tua dignitate, & ut maxime conducat ad ejus gloriam. Valentiæ in Edetanis Idibus Maiis. An. MDCCXXXI.

XXIII. *FRANC. FINESTRES, SS. CONONUM APUD Cervarienſes Profeſſor, Gregorio Majanſio Jureconſulto, & Anteceſſori Valentino, S. P.*

DE ſincero erga me ſtudio tuo jam pridem certus ſum ex ſuaviſsimâ quâ uti ſoles mei commemoratione quoties ad *Joſephum* fratrem meum ſcribis, quod ſæpiſsimè pro tuâ humanitate facis, de articulis præſertim in Romanâ Juriſprudentia reconditis, cui illuſtrandæ, præter noſtrorum conſuetudinem, te vires omnes

im-

impendere, & ſcio, & gaudeo cum illis omnibus qui benè ſentiunt. At datis ad me nuper literis, quibus & voluptatem cepiſſe te maximam ſignificas, de collatâ eidem fratri in hac Cervarienſi Academiâ Juris Civilis Cathedrâ Veſpertinâ, & mihi peramanter gratularis quòd ab ejuſdem Academiæ Definitorum Collegio Pontificii Indulti authoritate nominatus fuerim ad Sanctæ Gerundenſis Eccleſiæ Canonicatum, non ſolùm utrumque noſtrûm novo benevolentiæ tuæ teſtimonio apertiſsimè cumulaſti, verùm etiam (ne quid diſsimulem) te plus æquo æſtimatorem mei nominis oſtendis, dum virtutes extollis in me, quæ adeo ſunt exiguæ, ut non dubitem ex tuis meas te metiri voluiſſe, atque inde factum, ut tibi contigerit, quod iis ſolet, qui per tubum opticum conſpicantur, ut magnæ molis res appareant, quæ ſunt re ipſa modiciſsimæ. Nec vero primus omnino ego ſum, cui is honor delatus eſt: prætulit alter eadem die in hoc genere Patrum ſuffragia, paremque ad Canonicatum Barcinonenſem nominationem. Quod autem poſt eum in me etiam oculos conjecerint, & Eccleſiæ Gerundenſi deſtinaverint, id ſanè provida D. O. M. curâ factum haud inficior; non equidem ut per me illi Eccleſiæ conſulatur, quod tu ſpeciosè mihi encomium affingis præ magnitudine amoris tui; ſed, quod in ſtudioſorum noſtrorum commodum cedet, ut in hâc Academiâ per alium mihi ſubrogandum, Juris Canonici diſciplina diligentius excolatur, quam ego Spartam nactus, etſi maximè in votis fuit, exornare, ut decuit, pro meâ tenuitate non potui. Qualiſcumque vero tandem cauſa fuerit eo me honore cohoneſtandi, ut Canonicatus titulo muncreque fruar, cum illius vacatio, menſe Januario acciderit, Pontificio mihi adhuc opus eſt Diplomate; nec ſatis ſcio, an huic expediendo obicem allatura ſint Eccleſiarum Cathedralium hujus Provinciæ Capitula, quæ, ut fertur, cum Summo Pontifice agere moliuntur pro abrogandâ Univerſitati noſtræ indultâ Nomi-

minationis poteſtate : quamquam rei literariæ bonum, cujus gratiam ſumma hujuſce Privilegii reſpicit, ſperare cogit potius fore, ut Deus omnem aliam Pontifici mentem inſpiret, quàm ut eorum annuat precibus : præſertim cum nec inſolens ſit ſimilium Indultorum ob bonum publicum largitio, tametſi jus alias Beneficiorum Collatoribus quæſitum certò imminuant. Non ignoro, quàm ſoleat eſſe adverſa fortuna bonarum artium, quàmque lubrica rerum humanarum viciſſitudo: ſed illud tibi perſuadeas velim, quæcumque tandem mihi ſors in hoc negotio obtigerit, ſemper mihi gratiſsimum futurum, quod incrementorum meorum conceptam ſpem tibi perquàm jucundam eſſe profeſſus es : meque tibi devinctiſſimum, obſequiiſque tuis paratiſsimum ſcito, non tàm hujuſce profeſsionis cauſa, quam virtutum tuarum merito. Bene vale, remque literariam, ſcriptis tuis, quod facis, exornare perge. Cervariæ VI. kalend. Junias. An. MDCCXXXI.

GREGORII MAJANSII,
GENEROSI, ET ANTECESSORIS VALENTINI,
EPISTOLARUM LIBER V.

1. *EXCELLENTISSIMO PRÆSTANTISSIMOQUE VIro Gregorio Majansio* Eyprattein *Franc. Dionysius Camusatus Nesuntinus.*

PRO veteris amicitiæ nostræ jure cum nuper ex Hispania redux ad me accessisset *Joh. Theod. de Schomberg*, nihil post mutuos complexus antiquius habui, quam ecquis esset literarum in oris vestris status, diligenter ab eo scisciteri. Etenim, quis in Disciplinarum historia paulo exercitatus, antiquam ejus Nationis gloriam, quæ egregios in omni scientiarum genere viros tulit, nullum pati detrimentum non desideret? Ille, candorem hominis nosti, multa de Hispanorum ingeniorum præstantia, mihi attente auscultanti enarravit; ibi tamen, dum gravia antiquitatis studia pene jacere, & ab uno vel altero vix attingi conqueritur, honorificentissimam de te injecit mentionem, quam eruditarum tuarum lucubrationum lectione comprobatam voluit. Iis inspiciendis plures horas impendisse, ea est tua sagacitas, ea elegantia, nunquam certe pœnitebit. Macte animo, nec jam habe-

bebit ætas ñoſtra quod tantopere XVI. ſæculo *Antonium Auguſtinum* invideat. Et hæc citra omnem adulationis ſpeciem, quam a moribus meis longe abeſſe, ſciunt ii omnes quibus probe notus ſum, dicta velim, ſufficiant.

Laudata, ut par erat, quæ in Commentationibus tuis eluceſcit eruditione, plura de humanitate, quam toties expertus erat, repoſuit *Cl. Schombergius*, nihilque gratius tibi accidere poſſe ſignificavit, quam ſi quid Epiſtolaris commercii cum literatis exterarum gentium viris intercederet. Occaſionem ſubito arripui, Vir præſtantiſſime, & niſi diſplicet conditio, ea eſt utriuſque noſtrum ætas, ea vivendi ratio, ea communio ſtudiorum, ut hæc prima mea Epiſtola diuturnæ ſinceræque inter nos neceſſitudinis pignus eſſe poſsit & vinculum. Neque, ut olim optimus vitæ civilis magiſter, Horatius ajebat, de villis aut domibus alienis ſermo habebitur, ſed quod magis ad nos attinet, & viris ingenue natis & altis neſcire malum eſt, agitabimus & tractabimus, ſtudia ſcilicet quæ ingenium alunt, & animum ad meliora quæque excitant. Sic enim fiet, clariſsime *Majanſi*, ut quæ ignoramus mutuo diſcamus commode & leviſsimo diſpendio, libros puta, qui in Hiſpania & Gallia lucem adſpiciunt & quorum notitia alia vix via ad nos pervenire poſſet.

Id autem ante omnia enixis precibus a te peto, ut librorum tuorum accuratum Indicem ad me mittere non graveris: ſic enim Hiſpano nomini optime conſuli poſſe exiſtimo; nunquam enim niſi difficillime Opuſcula ab Hiſpanis ſcripta in Galliis noſtris conſpiciuntur; unde fit ut raro de illis agant Ephemerides literariæ. Verum ubi Indicem hunc accepero, ut eruditioni tuæ laus ſua conſtet, operam dabo ſedulus.

Ad me quod ſpectat, præla mox relinquet *Ciaconii* veſtratis *Bibliotheca* hactenus inedita, & obſervationibus meis illuſtrata, quam ad te, ſi commoda ſeſe obtulerit occaſio, aut viam indicaveris, mittere non morabor. Nunc in adornanda nova *Diodori Siculi* editione Græco-

Latina totus ſum. Hunc ſcriptorem veteris Hiſtoriæ indagatoribus, ſi quis alius, neceſſarium cum octo mn. Cod. jam contuli. Mira promittunt Itali, optima jam communicaverunt Batavi & Germani. Sola ne Hiſpania *ſymbolon* non conferet? Id per humaniſsimum *Majanſium* non licebit? Et ejus opem hac in re utpote utili & honeſta mihi promitto, par pari relaturus. Sive igitur Obſervationes & Emendationes in hunc ſcriptorem, aut Codicem antiquum e quo variæ lectiones excerpi poſsint, habeas, quoquo modo ſe res habeat, quamprimum, quæſo, ſignifica.

Nihil ferme novi habeo quod te ſcire maxime interſit. Dicam tamen, ne aliquid eorum quæ deſideraturum te autumo, prætermiſsiſſe accuſatus jure veniam. Nuper nova prodiit *Auſonii* Editio, cum Interpretatione ſoluta & Notis *Juliani Floridi* Canonici dum viveret Carnotenſis, cum novis Obſervationibus & Præfatione *J. B. Souchay*, Vindocinenſis, Regiæ Humaniorum Literarum Academiæ Socii in 4. Multa ſunt in hoc eleganti Poëta ad illuſtrandam ævi Theodoſiani Hiſtoriam, optime olim ab *Elia Vineto* & *Joſepho Scaligero* animadverſa, cujus veſtigia frequentius quam decet premunt recentes editores. Eleganter ſcripta eſt *Souchæi* Præfatio ..... *Æſchyli* Tragedias tres *Agamemnona* ſcilicet, *Eumenides*, & *Choephoros* mox dabunt *Sallievius* & *Sevinus*. Utiliſsimum eſſet hanc in rem antiquos Codices evolvere, & ſi quos habes, nec deſit otium, doctiſsimos adjuvare tuæ eſſet humanitatis. Nunc plura ſcribere ſuperſedeo, de libris Gallicis, ubi primum te id exoptare reſciero, dicturus. Vale Vir præſtantiſsime, & neminem tibi addictiorem puta. Dabam Lutetiæ Pariſiorum prid. Nonas Nov. MDCCXXX.

Reſponſione dignatus ſi me fueris, literam obſignatam & mihi inſcriptam, rurſus obſigna, & ſcribe *A M.r D'Amfoſſy de Fils Premier Secretaire de S. E. Monſ.r Le Cardinal de Fleury Premier Miniſtre. A Verſailles.*

GREG.

II. *GREG. MAJANSIUS FRANCISCO DIONYSIO CAmusato, eruditiſsimo Viro, S. D.*

CUm incredibili ſemper cupiditate arſerim, ut meus amor in egregios viros innoteſceret eis, facile potes intelligere quantum ceperim gaudium ex quo Cl. Baro *Jo. Bapt. Schombergius* ſignificavit mihi, te non ſolum aliquam habere mei notitiam, ſed literas etiam dediſſe, quibus me humaniſsime provocaſti ad amicitiam tuam. Ego menſem integrum, qui mihi magnus annus viſus eſt, expectavi eas, neque adhuc accepi. Dicere nolo quam ægre feram fruſtrationem hanc tabellarii. Ea tamen auxit deſiderium literarum tuarum, quas quoniam oculis non potui, animo ſaltem legi, perlegique, mirificam in illis humanitatem animadvertens, eo magis gratam, quo minus expectata mihi, votis tamen omnibus expetenda fuit. Unde enim ego ſperare poſſem conſequi, tanti viri amicitiam? Quanquam eam ego, ſi notitiam tui habuiſſem antehac, quanto animi appetiiſſem ardore? Nam ſi præſtantes virtute ac eruditione viros, jam fato functos, eo amore proſequimur, ut eos audire, eorumque colloquiis vellemus frui; quænam invidia eſt, pari benevolentia non amplecti viros, paribus meritis inter nos degentes? Præſertim cum hi majori fructu adiri, conſuliique poſsint, quantum ſcilicet intereſt inter oraculum quod ſolum dixit quod voluit, ad cetera mutum, & quod in præſenti reſpondeat id quod ipſe velis rogeſque. Quoniam igitur tantum contuliſti in me beneficium, vel nobiliſsimi Baronis gratia, qui mihi nimis favet, vel tuopte ingenio ad humanitatem proniſsimo, aut; quod puto certius, utriuſque cauſſa; facere deinceps debes, ut qui me immeritum ita complexus es, eundem tui amantiſsimum, eodem ſemper amore proſequaris. Quod ad me attinet, omnibus rebus ſuperari abs te facile patiar; be-

benevolentia & amore, minime id quidem feram. Utrique ſua, licet diſpar, erit cauſſa ad retinendam amicitiam officiiſque mutuis colendam. Tu humanitatem prudentiamque exercebis: ego utriuſque capiam fructus. Tu ages partes magiſtri: ego diſcipuli; gaudebiſque eum docere, qui cupit diſcere. Nactus eum es quem ob amorem in literas & obſervantiam tui, docendo potes doctiorem facere. Si tu mihi veluti *Seneca* fueris; ego tibi ero veluti alter *Lucilius*. Illud præterea ſpondeo ac in me recipio, omni officiorum genere quo potero, in omni tempore me tibi præſto futurum. Vale, decus literarum. Valentiæ in Edetanis III. Eidus Decembreis. Anno MDCCXXX.

III. *GREG. MAJANSIUS FRANCISCO DIONYSIO CAmuſato, nobiliſsimo & eruditiſsimo Viro, S. D.*

TAndem aliquando ad me perlatæ ſunt literæ tuæ expectatiſsimæ pridie nonas Novembres datæ. Atque ita detritæ pervenerunt, ut videantur prius in novum orbem delatæ, denique Valentiam, ut cum Poëta loquar

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum.

In eis agnovi tuam generoſam indolem, & eximiæ eruditionis præclariſsima argumenta. Quo magis dolet mihi, me non eſſe talem, qualem tu exiſtimas, aut eſſe velles. *Majanſius* aliquid doceat eruditiſsimum *Camuſatum*? Sus (ut dicitur) Minervam? Præſertim in Græcis? Ego nunc in hac urbe, quondam ſede ac domicilio bonarum artium, Barbarus habeor, quia Latine balbutio,

Et rident ſtolidi verba Latina Getæ.

Quid ſi Græce loquerer? Crede mihi, Cl. *Camuſate*, tam male tunc audirem ego, quam male Græci libri nunc tractantur, quorum ſi forte aliquis deferatur in librariam tabernam, exinde confeſtim amandatur in nitrati pulve-

veris officinam aliquam (ſcilicet ut luceat hoc ſaltem modo) aut (quod indignius eſt) in tabernam viliſſimam

——— *Vendentem thus, & odores,*
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Præterea ſi Græcum (ſive Latinum) manuſcriptum aliquod elegans in membranis deſcriptum; velut inter aurum res cuſtodienda, continuo defertur ad bractearios, qui merces hujuſmodi pluris quam ceteri faciunt, nemine præterea licitante. Sic ſunt res noſtræ. Quare mittere tibi manuſcriptum aliquem *Diodorum Siculum*, aut ex vetuſto exemplari lectiones notatu dignas excerpere, in hoc literarum ſtatu *adinaton* puta. Neque ego in literis Græcis eum feci progreſſum, ut conjecturis meis te adjuvare poſsim. Utinam imitarer ſapientiſsimum virum *Antonium Auguſtinum*, cui tu auguraris me fore ſimilem. Non ego vere nunc profiterer (atque cum rubore) quod ſummus ille vir modeſtiæ cauſa dicebat in 2. *Emendationum*, ſe Civilis diſciplinæ ſtudiis impeditum minorem operam Græcæ linguæ dediſſe, quam ad ea quæ in Pandectis reperiuntur Græca dicendi genera tractanda opus eſſe videretur. Equidem, ut uno verbo dicam, Elementarius ſum. *Diodorum Siculum* ſolum habeo Latine loquentem. Græco-Latinam editionem non aliam vidi niſi *Laurentii Rhodomani*. *Æſchyli* nihil aliud habeo præter excerpta emendata, & Latinis verſibus reddita ab *Hugone Grotio*. Quod ſignifices velim *Sallievio*, & *Sevino* eruditiſsimis viris, quorum diligentiam in hac re adjuvare vellem. Quoniam vero non poſſum, laudabo ſuſpiciamque, & eorum humanitatem ſemper maximi faciam.

Ciaconii Bibliothecam Obſervationibus illuſtratam tuis avide expecto. Non audeo repromittere libellos meos, ne videatur hæc permutatio Glauci. Sed ſi nactus fuero occaſionem mittendi ad te, non prætermittam eam.

Valde amo te ob judicium novæ Poëtæ *Auſonii* editio-

tionis. De Gallicis etiam libris recens editis ſcire aliquid vellem. De claſicis, inquam; nam proletarios, quos legere, neque vacat, neque lubet, nihil moror.

Indicem meæ Bibliothecæ jam incœpi ſcribere; & quamprimum potero, mittam tibi. Initium feci a libris Juridicis, quorum non *Indicem* modo, ſed & criſim mittam breviſsimam: quæ ſi tibi non diſplicuerit, ceterorum etiam librorum, quos in Bibliotheca habeo, judicium faciam. Sic forte fiet ut Bibliotheca mea quæ ob librorum paucitatem videtur, non magni facienda, (utpote in qua ſolum ſunt mille & quingenti libri) majorem æſtimationem mereatur apud librorum, ut tu es, Cenſores æquos.

Quod attinet ad libros qui recens in Hiſpania lucem aſpiciunt, facillimum eſt meros deſcribere titulos, & Autorum nomina: imo & labore non maximo indicare omnes qui aliquot ab hinc annis prodierunt, recurrendo ſcilicet ſeptimanos nuncios (*Gacetas* vocant) ad quorum calcem ſolent adjungi librorum recens excuſorum tituli, eorumque Autores. Sed ejuſmodi Index non poteſt eſſe accuratus, cum nunciorum ille exoticorum & noſtratium ſcriptor criticum non agat, neque, ſi vellet, poſſet. Si (quod ſemper optavi) Madridii ſedes mihi liceret figere, ubi maxima librorum pars publicari ſolet, aut ſaltem ibi eſt facultas inſpiciendi pleroſque, accuratos *Indices* conficerem ſcriptorum recencium, & eorundem judicia, utcumque poſſem, adderem. Adornarem etiam Catalogum manuſcriptorum Bibliothecæ Regiæ, & quorundam magnatum. Sed in tanto literarum deſpectu honeſtam aliquam expectare conditionem, modicam, inquam, penſionem ad ſuſtinendos ſumtus qui migrationem manſionemque in Regia conſequuntur; vanum eſt omnino. Itaque dormiamus in utramvis, aut, ne otio corrumpamur, interea nobis Muſiſque ſolum canamus. Tu fac ut quam primum *Diodorum Siculum* publici juris facias. Demiſius in poſterum de me ſentito, & par

o-

onus imponito meis puſillis viribus.

Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit.

Cl. *Schombergium* meo nomine ſaluta. Tuque decus litterarum columenque athletice vale. Valentiæ in Edetanis Poſtridie Eidus Februarias. An. MDCCXXXI.

IV. *FRANC. DIONYSIUS CAMUSATUS DON GREgorio Majanſio, Viro Clariſsimo, S. P. D.*

UTramque epiſtolam tuam, niſi nimiis quas mihi non arrogo laudibus rubore me ſuffudiſſent, ſuaviſsimas, ſuo tempore accepi, Vir præſtantiſsime. Quominus iis hucuſque reſpondere potuerim multa equidem prohibuerunt. Iter imprimis quod in Bataviam inſtitui, ad vos etiam, ſi commoda ſeſe obtulerit occaſio, libenter navigaturus. Quidquid enim de contemtu litterarum in Hiſpania pro candore tuo ſcripſiſti, hic etiam ſupereſſe monumenta viro ſtudiorum amantiſsimo, non ſine magna voluptate, maxima autem cum utilitate tractanda, autumo; quibus tamen caruiſſe ſi neceſſum fuerit, jucunda Clar. *Majanſii* conſuetudo longæ peregrinationis moleſtias abunde compenſabit. Cum tamen res adhuc in incerto poſita ſit, cœptum inter nos bonis auſpiciis commercium Epiſtolicum excolere pro virili non deſinam; illudque nova, quam ſtudiorum meorum ad aliquot annos delegi, ſede quam plurimis acceſsionibus locupletatum iri, niſi me mea fallit opinio, multa faciunt ut arbitrari debeam. Nullibi etenim ſanctius humanæ tractantur diſciplinæ, quam in hoc terrarum angulo: ubi certe ampla & certa laborum emolumenta, ſuus doctis viris locus, ſtudiis honos. Quæ omnia quantum artes alant, ingenia excitent, & homines ad ſubeundos quoſque labores promptos reddant & alacres non neſcis. Adde commerciorum opportunitates, commeatuumque commoditates quibus omnes terras Batavica

antecellit. Ut vero in iis rebus quæ ſtudia tua quocumque modo juvare poſſunt diutius immorer, an tot tamque præſtantes Juriſperitos alibi reperire ſit, prudens dubito. Quis noſtra ætate ad famam *Schultingii* pervenit? Quis parem cum *Gerardo Noodtio* non ita pridem extincto nominis celebritatem adeptus eſt? Nec deſunt alii viri docti, qui hanc provinciam pro viribus illuſtrare contendunt; *Siebenium*, *Nordtkerkium*, *Barbeyracium* innuo, qui laude ſua non ſunt defraudandi. Noſti etiam *Everardum Ottonem*, qui licet conſarcinatoris partes agat potius quam Juriſconſulti, aut Critici, nonnulla tamen in *Papiniani* vita præſtitit, quæ atro carbone notaſſe nimiæ eſſet ſeveritatis & audaciæ. *Siebenio* & *Nordtkerkio* valde ſeſe probaverunt quæ de ſtudiis tuis cum eis communicavi, & lucubrationibus tuis, quarum videndarum deſiderium omnes *amenetes* ferimus, non exiguam Juriſprudentiæ Romanæ lucem affulſiſſe ſibi promittunt. Fac ergo, Vir clariſsime, ut earum nobis fiat copia, id certe dum per mare licet, commode præſtari poterit, quibus *Scriptorum Valentinorum Bibliothecæ* nondum abſolutæ, ut retulit *Schombergius*, duo exemplaria addere ſi volueris, ingenti me devincies beneficio. Totum illud quantum eſt, vel Hagam ad *Hondtium* quocum tibi eſſe commercium deprehendi, vel Amſtelædamum ad *Joh. Fridericum Bernard* Bibliopolam dirigendum eſt. Pretium parata pecunia, ſi juſſeris, vel libris, ſi acceptius fuerit, ubi voluntatem reſciero, bona fide rependam. Illud etiam, ne forte excidat, monere debeo litteras ad me ſcribendas, ut moris eſt, ad Cl. Virum *D. Amfoſſy le Fils*, recta mittendas eſſe, qui ut mihi reddantur egregie curabit. Nunc ad ea de quibus perquam candide mecum ultimis tuis egiſti.

Graſſantem inter vos Barbariem necquicquam miror. Iis in regionibus ubi nulla virtuti præmia conſtituuntur, virtutem ipſam & litteras frigeſcere primum, mox fordere neceſſum eſt. Quo magis eas inſtauraſſe tibi apud

posteros honorificentissimum fore spero ac etiam confido. *Indicem* tuæ Bibliothecæ quem observationibus tuis illustrandum suscepisse scripsisti videre aveo; id unum, pro jure quod in te mihi esse voluisti, monendum arbitror, in tractanda Hispanorum scriptorum Historia præcipuam colocandam esse industriam; utpote qui minus noti sint eruditis. Unde etiam, nisi præposterum est consilium, quidquid in Authores vestrates in parato habes, veluti supplementa in *Antonii Bibliothecam* orbi erudito exhibere consultissimum videtur. Nec ii quibus mentem tuam aperui, in diversam sententiam abierunt. Noli quæso operis difficultates prætendere. Incipe modo, res tibi belle cedet.

Everardus ille *Otto*, de quo supra, novam auctioremque emisit editionem Tractatus *De Diis Vialibus*, *Viarumque Tutela*, Ultrajecti in 8. Adolescens quidam mihi tantum notus de nomine, *Barnaud* vocatur, *Varias Lectiones* evulgavit Hagæ in 8. In quibus multa veterum Græcorum loca feliciter satis attigit. XXIV. annos natus dicitur: ætatem vero ex opere nunquam conjeceris. Brevi in manus hominum veniet nova *Thucydidis* editio, cum Notis *Josephi Uvasei* & *Alexandri Duckeri*. Hic erudita lucubratione *De Latinitate Veterum Jurisconsultorum* multis ab hinc annis orbi erudito innotuit. Nuperrime etiam prælo commissa sunt *Luciani Samosatensis* opera. Observationes subjiciet *Tiberius Heemsterhuys* Linguæ Græcæ in Academia Franequerana Professor, illustrato *Pollucis Onomastico* jamdudum celeberrimus. De Libris Gallicis silere præstat quam longum & criticum Indicem contexere. Sed manum de tabula. Vale, vir præstantissime, nec me diu literis tuis carere sinas. Dabam Amstelædami. IV. Non. Jun. MDCCXXXI.

P. S.

Mortem Cl. Viri *Decani Alicantii* ab amicis non ita pridem didici, cui justa persolverent libenter Ephemeridum

Conſarcinatores, ſi commentaria, unde id fieri poſſet penes eos eſſent. Opem tuam hanc in rem imploro. Potiora ejus vitæ capita attingere ne graveris, accuratum præcipue *Indicem* librorum quos edidit habere cupio, ſubjecta in unumquemque tua, & ſcriptorum veſtratum *epicriſi*. Vale iterum, Vir amiciſsime.

V. *NOBILISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO FRANciſco Dionyſio Camuſato Greg. Majanſius, S. D.*

CUm menſe Februario a te accepiſſem literas, quibus voluiſti me allicere in amicitiam tuam ad commercium invitans literarium, arripui libens tam honeſtam conditionem, ſperans fore, ut uberrimi exinde fructus naſcerentur mihi. Poſt tuæ vero erga me benevolentiæ ſignificationem, nihil effeciſti æque gratum mihi, quam quod aliquam dederis occaſionem de te benemerendi. Voluiſti nempe, ut librorum meorum accuratum *Indicem* ad te mitterem. Quanquam, (ut verum fatear) ſimul ac literas accepi tuas, ſic mecum ipſe reputare cœpi. *Bibliothecæ* meæ ut mittam *Indicem*? Quemnam ego *Indicem* conficere poſſum qui ſine deſpectu Pariſsis, & ab eruditiſsimo *Camuſato* legi poſsit? Exiſtimat ne vir ille Cl. *Bibliothecam* meam librorum numero abundare? Atqui ſolum in ea ſunt mille & quingenti libri; ibique locorum ſum ubi etiamſi vellem, magnam eorum copiam coëmere non poſſem. Putat ne libros meos ſelectiſsimos eſſe? At quos eligere potui imperitus adoleſcens, ſine monitore aliquo erudito qui indicaret optimos? Præterea, ut hæc omnia eſſent, quos poſſet libros ob raritatem eximios filiusfamilias emere? Filius inquam familias extra paternas ſedes vitam liberalem ſuſtinens, nullo ſublevatus honorario, niſi quod non pertingat ad duas uncias aureas. Ecce ingens ſalarium Cathedræ. Denique (quod horum omnium eſt peſsimum)

ma-

majorum facultatibus multum attritis ob calamitates belli. Quid facerem igitur? Conficerem Indiculum ut deridiculo essem? Non eò propendebat animus. At petebat Cl. *Camusatus* : petebat in ipso amicitiæ congressu primo. Negare durum videbatur. Itaque cœpi meditari, quomodo parerem, meque eximerem ludibrio. Qui vult aliquid præstare, facile artem comminiscitur. Aperte dicam quam excogitaverim, ut *librorum meorum catalogus* saltem aliqua ex parte, tibi non ingratus sit. Sic se res habet.

Ex quo Jurisprudentiæ operam navare cœpi, sedulo curare non destiti, ut scriptores tum veteres, tum recentes, qui ad cognitionem juris Romanorum maxime conducunt, quolibet ære compararem mihi. Sic spatio quindecim annorum effectum est, ut *Bibliothecam Juridicam* mihi confecerim, paucorum quidem librorum, sed eximiorum. Librariarum tabernarum fui semper frequentator assiduus. Quicumque libri incidunt in manus meas, eorum aliquas sententias veluti saltuatim lego; & si in locis diversis mihi placent, statim emo. Adnotare etiam soleo si quos laudari video apud scriptores classicos, ut, quandocumque inveniam, mihi comparem. Animadverto præterea, quinam libri præ ceteris a viris doctis extollantur, eosque, si inventi mihi probantur, emo. Ita factum est, ut vix habeam libros, nisi qui mihi placeant; placent autem qui præ ceteris possunt esse usui. Reliquos semper flocci feci. Hæc eo tendunt ut intelligas, me librum (de Juridicis loquor) habere nullum, quem aliquando non evolverim plus minusve, & de quo dicere non possim, quid judicii fecerim. Quare constitui *Catalogum Juridicorum librorum* ita ordinare, ut unicuique scriptori continuo subjungatur mea de illo crisis: non qualem ego facerem, si unius tantum libri instituerem illam (hoc enim paucis diebus facere non possem, præsertim districtus occupationibus aliis) sed quasi rogatus sententiam in familiari sermone, ut potius re-

referam quid meminerim ſenſiſſe, quam quid examine adhibito ſentire poſſem, deberemve. Non itaque deſcribam niſi raro, & alicujus judicii leniendi, aut comprobandi cauſſa, quid alii ſenſerint; ſed ſimpliciter ſolum proferam quid ipſe judicem, nulla invidia, nulla detrectandi libidine erga ſcriptores ductus. Nimirum ſemper multo potius duxi habere libros quos laudarem, & per quos me prodeſſe profiteri poſſem, quam quos reprehenderem, ac deſpicatui haberem. Quoniam vero ſcriptores variis in operibus varie ſolent ſcribere, prout parati, aut imparati ad argumentum accedunt, non modo ſingulis ſcriptoribus judicia adjungam, ſed plerumque etiam eorundem ſingulis operibus, ut horum utilitas melius cognoſcatur. Judicia faciam quantum potero brevia: *Catalogum* enim non *Criſim* me voluiſti facere. Quandoque adjungam eandem propemodum criſim diverſis ſcriptoribus, non verborum inopia, ſed quia eaſdem illi virtutes habere ſolent. Non enim quia ego uni judicium, ingeniumve conceſsi, alteri etiam habenti denegare debui.

Unum illud repetens iterumque monebo, Judicia mea ſolum ſpectare ad ea quæ pertinent ad jus. Nam ſi aliqui Autores a me laudati, ſcripſerunt aliquid de rebus ad Religionem ſpectantibus, illorum facere cenſuram, mea non intereſt: quippe *nihil hoc ad edictum Prætoris.*

In referendis librorum titulis longior ero quam eſſe ſolent, qui *Catalogos* hujuſmodi conficiunt, ut exinde agnoſcatur etiam autorum patria, & dignitas, ſi qua in *Titulo* indicatur. Animo inſtitueram ſcriptorum opera ſingula Chronologice deſcribere: quod ad opinionum progreſſum agnoſcendum, utiliſsimum foret, & a nemine adhuc intentatum eſt. Sed occupationibus diſtrictus (quippe inter alia recenſeo *Joannis Pugæ Opera*) & magni moliminis, majoriſque otii negotium hoc eſſe videns; id prætermiſi. Præterea neceſſarium eſſet primas omnium operum editiones inſpicere, quod fieri non poſſet Va-

len-

lentiæ, ubi nulla eſt Bibliotheca publica, nullæ privatæ, librorum copia abundantes. Quare pleroſque ſcriptores deſcribam, ut ſe quiſque mihi offeret; ita ut ordo ſit, nullum ordinem ſervare, & confuſa quædam varietas, ſicuti ſtellarum, delectet. Quale ſit meum inſtitutum, declaravi ſatis. Tu memor eſto locum hic ſibi vindicare illud Manilii

Ornari res ipſa vetat contenta doceri.

Inſpice nunc quid præſtiterim, *in tuæ ſpem gratiæ.*

BIBLIOTHECA MAJANSIANA
SIVE
CATALOGUS LIBRORUM BIBLIOTHECÆ
GREGORII MAJANSII GENEROSI, & Anteceſſoris Valentini.

LIBRI JURIDICI.

DIgeſtorum ſeu Pandectarum libri quinquaginta ex Florentinis Pandectis repræſentati. Florentiæ in Officina Laurentii Torrentini. Anno 1553. in fol. 3. vol. *Omnium editionum princeps.*

Digeſtorum ſeu Pandectarum libri quinquaginta. Pariſiis ex Officina Roberti Stephani. An. 1527. tomi 5. in 8. *Una ex principibus editionibus.*

Corpus Juris Civilis ex editione Ant. Contii. Lugduni apud Guilielmum Rovillium. An. 1571. in 16. vol. 14. *Magni etiam habetur hæc editio.*

Corpus Juris Civilis cum Accurſii & aliorum Gloſsis. Lugduni 1585. in fol. 6. vol. *Harum Notarum eruditio mirifica eſt; ſed quæ delectum requirit.*

Cor-

Corpus Juris Civilis cum notis integris Dionyſii Gothofredi, &c. Opera & ſtudio Simonis Van Leeuvven J. C. Lugd. Bat. Antuerpiæ apud Jo. Bap. Verduſſen. An. 1726. in fol. 2. vol. Gothofredi *nomen erit illuſtre dum Juriſprudentiæ amor vigebit.* Anſelmus & Leeuvvenius *feciſſent operæ pretium, ſi nullam operam adhibuiſſent bis libris.*

Antonii Auguſtini Conſtitutionum Græcarum Codicis Juſtiniani Imp. Collectio & Interpretatio.

Juliani Anteceſſoris Novellarum ejuſdem Imperatoris Epitome additis Latinis quibuſdam Novellis Conſtitutionibus ejuſdem, cum Paratitlis, ſive Scholiis. Petrus Roburius. 1567. Ilerdæ in 8. *Eruditiſsimi* Auguſtini *diligentiæ invidiſſe videtur* Franciſcus Deſmares *qui plurima illius* Scholia Pithoeis *fratribus tribuit, quaſi tanti viri ut per doctorum ora volitarent, alienis plumis indigerent.*

Petri & Franciſci Pithoei Juriſconſultorum Obſervationes ad Codicem & Novellas Juſtiniani Imp. per Julianum tranſlatas. Accedit Legum Romanarum & Moſaicarum Collatio Notis illuſtrata. Ex Bibliotheca DD. Claudii Le Peletier, cura Franciſci Deſmarès. Pariſiis e Typ. Regia. An. 1689. in fol. *Liber Juris interpretibus neceſſarius, ob veteris Juris Reliquias alibi non reperiendas. Pretium addit eximia* Pithœorum *doctrina, quibus honor furtivus non debuerat attribui.*

Ex libris Conſtitutionum Theodoſii A. ſive Codicis Theodoſiani libri priores octo emendati, & poſteriores octo integri primum editi a Jo. Tilio Engoliſm. Pariſiis, apud Carolam Guillard. 1550. in 8. *Hic eſt fons præcipuus* Juſtinianei Codicis.

Codicis Theodoſiani libri XVI. quam emendatiſsimi, adjectis quas certis locis fecerat Anniani interpretationibus, & vetuſti juris reliquiis, curante Jac. Cujacio. Lugduni, apud Guiliel. Rovillium. 1566. in fol. *Opus ſtudioſis, ſcriptoribuſque neceſſarium ad juris antiqui cogni-*

nitionem, & Juſtinianei illuſtrationem. Quanquam horum editio opuſculorum non eſt ubique ſatis emendata.

Codex Theodoſianus cum perpetuis Commentariis Jac. Gothofredi. Præmittuntur Chronologia accuratior, cum Chronico Hiſtorico, & Prologomena. Subjiciuntur notitia Dignitatum, Proſopographia, Topographia, Index Rerum, & Gloſſarium Nomicum. Opus poſthumum ordinatum ad uſum Codicis Juſtinianei, opera & ſtudio Antonii Marvilli Anteceſſoris Valentini. Lugduni ſumtib. Jo. Ant. Hvgvetan & M. Antonii Ravavd. An. 1665. in fol. 6. vol. *Hi* Commentarii *ſunt abſolutiſsimi. Nulla juris antiqui pars tam diligenter & erudite illuſtrata eſt. Qui ſcribere velit* Commentarios, *& tempus bene collocare*, Gothofredum *imitator.*

Notitia Dignitatum utriuſque Imperii, Orientis ſcilicet & Occidentis ultra Arcadii Honoriique tempora. Et in eam G. Panciroli J. U. D. ac in Patavina Academia Interpretis Legum Primarii Commentarium. Ejuſdemque de Magiſtratibus municipalibus, rebuſque bellicis, & tam Novæ quam Veteris Romæ Libellus. Acceſſit totius Imperii Romani Typus. Editio poſtrema auctior & emendatior. Genevæ, apud Stephanum Gamonetum. An. 1623. in fol. *Hic liber eſt neceſſarius ad illuſtrandum Jus.* Panciroli *erudito minime vulgaris. Criſis debebat multo ſagacior eſſe.*

Novellæ Conſtitutiones Imperatorum Juſtiniano anteriorum, ut Theodoſii, Valentiniani, Martiani, Majoriani, Severi, Leonis, Anthemii, primum in unum Corpus Collectæ, & junctim editæ ex nova recenſione & emendatione Cunradi Rittershuſii J. C. & Anteceſſoris Altorphini, cum ejuſdem notis. Francofurti, apud Egenolphum Emmelium, an. 1615. in 8. *Novellæ ſunt utiliſſimæ ad Juris progreſſum agnoſcendum.* Ritershuſii Notæ *tanquam Canis Nilum, attingunt argumenta.*

Theophili Paraphraſis Græca in Juris Civilis Inſtitutiones, cum Latina Jac. Curtii Burgenſis J. C. Interpre-

tatione. Additæ ſunt notæ ex virorum doctorum Commentariis ſelectæ, item Græca fragmenta Titulorum de Verborum ſignificatione, & de Regulis Juris. Coloniæ Allobrogum, apud Jacobum Stoer. An. 1610. 16. Theophili Paraphraſis *multa continet, ſcitu digniſsima, quæ alibi non reperias.*

Theophili Anteceſſoris Inſtitutionum libri quatuor ex Jac. Curtii Latina interpretatione, quam, ubi opus, correxit Jo. Doujatius Anteceſſor Pariſienſis, additis Notis Car. Annib Fabroti, ſuis, & aliquibus etiam ex operibus Cujacii. Pariſiis, apud Ant. Dezallier, An. 1681. in 12. *Hæ* Inſtitutiones *ſunt utiliſsimæ Tironibus ob doctrinæ ſobrietatem mira perſpicuitate conjunctam. Notæ etiam in pretio debent haberi.*

Sexaginta Librorum Baſilicôn, id eſt, Univerſi Juris Romani Ecloga, ſive Synopſis Gr. Lat. edita per Jo. Leunclavium. Ex Joan. Sumbuci U. C. Bibliotheca. Item Novellarum antehac non publicatarum liber cum Annotationibus. Baſileæ, per Euſebium Epiſcopium. 1575. in fol. *Opus ſcribentibus utiliſsimum.*

Car. Labbæi Obſervationes & Emendationes in Synopſin Baſilicôn. Additæ ſunt Conſtitutiones Imperatorum Græco-Latinæ, auctæ & emendatæ. Item Veteres Gloſſæ quæ in Baſilicis reperiuntur. Pariſiis, apud Adrianum Reys. 1606. in 8. *Qui Jus Civile interpretantur carere non debent hoc libello.*

PROKEIRON KONSTANTINOY TOY HARMENOPOYLOY. Promptuarium Juris, Conſtantino Harmenopulo autore, Interprete Joanne Mercero. Dionyſii Gothofredi J. C. Paratitla ad ſingulos Conſtantini Harmenopuli titulos. Variarum lectionum libellus ad eundem autorem. Nomenclator Græcarum Dictionum Juris, ad eundem Harmenopulum. Apud Guilielmum Læmarium. 1587. in 4. *Etſi hujus libri utilitas ſatis feliciter in Juris Corpus per* Dionyſium Gothofredum *accomodata eſt, legi tamen debet, novo in multis locis adhibito judicio.*

Mar-

Marculfi Monachi Formularum libri duo. Item veteres formulæ incerti autoris ex Bibliotheca Regia. Acceſſerunt & veteres aliæ incertorum autorum formulæ ex vetuſtiſsim. Codd. Hieronymus Bignonius primum edidit, & notis illuſtravit. Lutetiæ Pariſiorum ſumptib. Hieronymi Drovart. 1613. in 8. Formulæ *ſunt apprime utiles ad juris cognitionem. Earum Interpres* Bignonius *perquam eruditus fuit.*

Codex Legum antiquarum, in quo continentur Leges Uviſigothorum, Edictum Theodorici Regis, Lex Burgundionum, Salica, Alamannorum, Baivvariorum, Decretum Taſsilonis Ducis, Lex Ripuariorum, Saxonum, Angliorum, & Uverinorum, Friſiorum, Longobardorum, Conſtitutiones Siculæ, ſive Neapolitanæ, Capitulare Karoli M. & Hludovvici Impp. &c. Accedunt Formulæ Solennes Priſcæ publicorum privatorumque negotiorum primum editæ. Et Gloſſarium rerum vocumque difficilium, & obſcuriorum ex Bibliotheca Frid. Lindenbrogii J. C. Francofurti apud Johan. & Adr. Marinos. An. 1593. in fol. *Hoc volumen multum conducit ad juris progreſſum agnoſcendum, & vocabula barbara interpretanda.*

Leges Atticæ. Samuel Petitus collegit, digeſsit, & libro Commentario illuſtravit. Pariſiis ſumptibus Caroli Morelli. 1635. in fol. *Hic fons, hoc principium eſt Romani juris.*

Joannis Antiqui Gloſſatoris Summa in Novellas Juſtiniani Imp. cum additionibus Accurſii. Acceſſerunt Franciſci Balduini Protheoria, Scholia & Commentarii in aliquot celebriores Novellas. Ex Bibliotheca & recenſione Cunradi Rittershuſii J. C. Francofurti apud Egenolphum Emmelium. 1615. in 8. Joannis Boſsiani Summa *plena eſt ſobriæ doctrinæ. Ejus veſtigia ſequitur* Accurſius. Balduini Scholia *erudita ſunt*: Commentarii *non contemnendi.*

Azonis ad ſingulas leges XII. librorum Codicis Juſti-

tinianei Commentarius & Magnus Apparatus primum in lucem editus ex Bibliotheca Ant. Contii J. C. Acceſſerunt Summaria Ant. Fontani Arverni, apud Jacob. Stoer & Franc. Fabrum. 1596. in 4. *Si omnes* Codicis Gloſſatores *in unum conferantur non tantundem utilitatis præſtabunt, quantum hic* Apparatus. *Solum defuit* Azoni *eruditiori ſeculo vixiſſe.*

Bartoli de Saxoferrato Opera aliorum Additionibus illuſtrata. Lugduni. 1552. in fol. 9. vol.

Bartolus ingenio maximus, arte rudis.

Magno judicio opus eſt ad ejus opera tractanda.

Annotationes priores & poſteriores Guilielmi Budæi. Lugduni apud Ant. Vincentium 1561. in 8. *Sapientiſſimus* Ant. Auguſtinus Emendationum & opinionum lib. 2. *ad* Michaelem Majum *ſic de* Budæo *judicat.* Etſi primus noſtra memoria elegantiam ad jus Civile applicare cœpit, tamen non ille quidem magnos in jure progreſſus cognoſcenda utriuſque linguæ antiquitate fecit.

Andreæ Alciati Mediolanenſis J. C. omnes in utrumque Jus Commentarii. Quibus adduntur Emblematum liber ab ipſo autore recognitus & auctus. De Magiſtratibus, civilibuſque, & militaribus officiis liber. De ponderibus & menſuris liber. Annotationes in Cornelium Tacitum. Baſileæ, apud Thomam Guarinum. 1571. in fol. 6. vol. *Fuit* Alciatus *elegantioris Juriſprudentiæ Inſtaurator, omnium bonarum artium peritiſſimus, Orator facundiſſimus, & Poeta eximius.*

Andreæ Alciati & J. C. Mediolanenſis Reſponſa nunquam antehac excuſſa. Lugduni apud Petrum Fradin. 1561. in fol. *In hiſce* Reſponſis *aliquando ipſe* Alciatus *quæri poteſt. Adeo ſui diſſimilis.*

Andreæ Alciati J. C. In Stellam, & Longovallium LL. Doctores Defenſio, Aurelio Albucio autore. Baſileæ in Officina Frobeniana. 1529. in 8. *Libellus diſertus & ſatis dentatus.*

Udalrichi Zaſii LL. Doct. Opera omnia in XII. tomos diſ-

distributa. Basileæ, apud Joannem Rebolium & Mich. Eisingrinium, annis, 1537. 1538. 1539. 1540. 1541. & 1543. in fol. 12. vol. *Diligentissimus* Zasius *effecit, ut sine fastidio legamus Barbarorum Interpretum quas ipse refert sententias elegantiori stilo. Trigesimum annum excesserat cum primum cœpit Jus Civile addiscere. Evasit tamen Jureconsultus doctissimus. Pertinax erat in illis defendendis quæ semel asseruerat, teste* Fichardo *ejus discipulo.*

Jurisconsultorum Vitæ, Veterum quidem per Bernardinum Rutilium una cum ejusdem Decuria; Recentiorum vero ad nostra usque tempora (*intellige* Fichardi) per Joannem Fichardum Francofurtensem. Ad hæc Indices locupletissimi omnium scriptorum in Jure tam Pontificio, quam Civili a veteribus & recentioribus Jureconsultis, ad hæc nostra usque tempora editorum, per Joannem Nevizanum, Lud. Gometium, & Jo. Fichardum collecti. Basileæ..... *In veterum Jureconsultorum Vitis multa aliena miscentur ac confunduntur: multa necessaria desiderantur. Decuria legi potest sine temporis dispendio. Recentiorum Jurisconsultorum Vitæ sunt valde deminutæ. Indices esse possunt usui non despiciendo, si quis inelegantium Interpretum studiosus est.*

Commentaria D. Viglii Zuichemi in decem Titulos Institutionum Juris Civilis. Item Prælectiones in Titulum Pandectarum De rebus creditis, & Tit. Cod. de Edicto D. Hadriani toll. Lugduni in Offi. Q. Phil. Tinghi. 1584. in 8. *Doctissimum & prudentissimum merito vocavit* Cujacius 8. obs. c. 23.

Ant. Augustini Jurecons. Emendationum & Opinionum libri IIII. Ejusdem ad Modestinum, sive de Excus. Liber singularis. Item Lælius Taurellus ad Gallum, & Legem Vellejam, Ad Catonem & Paulum: De militiis ex casu. Lugduni apud Ant. Vincentium. 1560. in 8. Ant. Augustinus, *licet adolescentulus*, Emendationum *editis libris, omnes Reipublicæ Literariæ maximos viros exter-*

terruit. Liber ad Modeſtinum *ea doctrina, gravitate, ac elegantia ſcriptus eſt, qua ſolebant veteres Jureconſulti.* Lælii Taurelli *ad* Gallum & Legem Velejam *enarratio plena juditio & elegantia. Idem ſentiendum eſt de* Catonis *apud* Paulum *dictis ab eodem* Taurello *illuſtratis. Epiſtola* de militiis ex caſu *erudita eſt, etſi forte melius ſentiri poſsit.*

Ex Conſiliis multorum, Codicis Interpretatio. Ex Bibliotheca Ant. Auguſtini Epiſcopi Ilerdenſis. Ilerdæ. Petrus Roburius menſe Junio 1566. in 8. *Utiliſsimus libellus ad interpretandum Codicem. Quanquam opus eſt magna librorum copia, ut libellus iſte poſsit eſſe uſui.*

De Nominibus propriis TOY PANDEKTOY Florentini cum Antonii Auguſtini notis. Tarracone ex Officina Philippi Mey 1579. in fol. *Ad interpretandum Jus nullus liber utilior*, & Auguſtini Notæ *indefeſſam ejus lectionem, & judicium arguunt vel ad minima attentiſsimum.*

Ant. Auguſtini De Legibus & Senatuſconſultis liber adjunctis Legum Antiquarum, & Senatuſconſultorum fragmentis cum notis Fulvii Urſini. Romæ, ex Typographia Dominici Baſæ. 1583. in 4. *Hæc eſt princeps editio. In univerſum De Legibus & Senatuſconſultis nihil hoc opere doctius, nihil eruditius, nihil docta brevitate gratius. Sic ſunt* Auguſtini *omnia.*

Franciſci Duareni J. C. omnia opera. Lugduni apud Guilielmum Rovillium. 1581. in fol. 2. vol. *Juriſconſultus doctus & eloquens, barbarorum hoſtis accerrimus,* Cujaciique *æmulus.*

Inſtitutiones Juſtiniani quam emendatiſsimæ cum Æmilii Ferretti J. C. notis. Diſputatiuncula de Actionibus in rem, & Reſponſum de ſubſtitutione poſthumi ante tutelæ ſuæ annos decedentis, ac vindicante propinquo, eo non nato. Lugduni apud Theobaldum Paganum. 1543. in 8. *Fuit* Ferrettus *doctrina haud aſpernanda.*

Ant. Goveani de Jure accreſcendi liber ad Andream Goveanum fratrem. Toloſæ apud Guidonem a Boude-

vi-

ville. an. 1545. in 4. *Hæc eſt editio prima hujus aurei libelli, cujus autoris ingenium in tam ſpinoſo argumento alicubi vacillat.*

Ant. Goveanus ad Legem Imperium de Juriſdictione omnium Judicum ad Joannem Coraſium. Toloſæ apud Jo. Rogerium. 1545. in 4. *Poſtea* Goveanus *leceſſitus ab* Eguinario Barone, De Juriſdictione *ſcripſit* libros duos, *ubi* de Imperio *latius diſputavit. De his libris, ut alios omittam in præſentia, ita ſcripſit magnus* Antonius Faber lib. 4. Conject. cap. 4. Emendandam eſſe l. Imperium 3. ff. de Juriſd. non puto dubitari amplius poſſe poſt editos viri doctiſſimi Antonii Goveani adverſus Eguinarium Baronem de Imperio & Juriſdictione Commentarios: in quibus omnia, quæ ad eum tractatum pertinent, a veteribus interpretibus ignorata, tam dilucide, vere, & eleganter explicantur, ut magnus ille vir cum in aliis quidem juris partibus alios longe ſuperaſſe, tum in eo maxime tractatu ſe ipſo ingenioſior fuiſſe videatur.

Ant. Goveani J. C. opera cum vita ipſius auctoris. Neapoli ex Typographia Nicolai Laino. 1696. in 8. *Summus vir* Jac. Cujacius *ad* Ulp. lib. Regular. tit. 6. *ita ſcripſit.* Antonius Goveanus, cui ex omnibus quotquot ſunt, aut fuere Juſtinianei Juris Interpretibus, ſi quæramus quis unus excellat, palma deferenda eſt. *Doctiſſimus* Ant. Faber in Epiſt. præfixa lib. 7. Conjectur. *ſcripſit eruditiſſimo* Petro Fabro Jac. Cujacii *Diſcipulo*, Ant. Goveanum multo feliciore ingenio ad Juriſprudentiam natum, quam Cujacium, Cujaciumque illo multo laborioſorem fuiſſe. *Probabile videtur Judicium* Fabri, *ſi quæ de iiſdem argumentis uterque ſcripſit, inter ſe conferantur, etſi* Cujacius *Poſterior. Doctrinæ vero copia proculdubio* Cujacius *vincit omnes.*

Eguinarii Baronis J. C. in Titulos de ſervitutibus Notæ. Apud Joannem Girard. 1546. in 4. Toloſæ *ut conjici poteſt ex Typographi nomine. Homo concertationibus magis, quam doctrina celebris: quippe adverſarios habuit,* Duare-

renum *atque* Goveanum *Juriſconſultiſſimos viros.*

Antonii Contii Commentarius ad Tit. IIII. lib. XXXXVIII. Digeſt. & Prælectiones ejuſdem ad Tit. VIII. lib. Cod. IX. qui ad L. Juliam majeſtatis inſcribitur. Pariſiis, apud Sebaſtianum Nivellium, an. 1570. in 8. *Vir magni judicii & exquiſitæ eruditionis.*

Ant. Contii J. C. & in Academia Biturigum Anteceſſoris opera omnia quæ extant primum ex manuſcriptis auctoris, in unum redacta, digeſtaque ſtudio & diligentia Emundi Merillii J. U. D. in eadem Academia Anteceſſoris. Pariſiis ſumptibus Nicolai Buon. 1626. in 4. *Summus* Cujacius *eo progreſſus ut dixerit, ſe nunquam non doctiorem ab* Antonii Contii *Colloquio receſsiſſe. Tantum erat* Contii *judicium, tam alta doctrina, & eruditio.*

Jacobi Cujacii J. C. Præſtantiſsimi Opera omnia in decem tomos diſtributa. Editio emendatior & auctior opera & cura Caroli Annibalis Fabroti J. C. Lutetiæ Pariſiorum. 1658. in fol. 10. vol. *Vir fuit mente capaciſſima omnium bonarum artium; ſtudioſiſsimus ſupra quam dici poſsit; ad miraculum eruditus. Doctrinæ copia ſuperavit omnes interpretes. Unus videtur in Jure pene omnia docuiſſe. Sed vel præ nimio ſtudio fatigatus, vel ſcribendi facilitate correptus, multa ſolet inconſiderate ſcribere, ſuique immemor ipſius in graviſsimos labitur errores. Græcis fuit nimis addictus: adeoque Romani Juris teſtimonia quamplurima temerario auſu, ut reſtitueret, depravavit. In adverſarios ſuos acerbiſsime invectus eſt. Stilus ejus eſt purus, apertus, profuſus, aliquando a propoſito argumento longe aberrans. Ejus Schola fuit ſeminarium eruditiſsimorum virorum. Poſteritas omnis* Cujacium *ut magiſtrum ſummum venerabitur.* Fabroti *diligentia in his operibus recenſendis, illuſtrandis, edendiſque ſempiternam laudem meretur.*

Hugonis Donelli J. C. Ad Titulos Pand. De Uſuris, Nautico fenore, De Pignoribus & Hypothecis, De Ædilitio Edicto, De Evictionibus & Dupla ſtipulatione,

De

De Probationibus, De fide instrumentorum; De testibus, Commentarii. Lugduni apud Guilielmum Rovillium 1558. in 4. *Hi Commentarii sunt perquam docti & elegantes.*

Hugonis Donelli Jurisconf. Opuscula Postuma, ex Bibliotheca Scipionis Gentilis Jurisc. Hanoviæ Typis Uvechelianis. Apud Claud. Marinum. 1604. in 8. *Libellus aureus.*

Hugonis Donelli Commentarii ad II. III. IV. VI. & VIII. Libros Codicis Justinianei, Tit. V. Lib. XIX. Dig. De Præscriptis verbis. & Tit. I. Lib. XLV. Dig. de Verb. oblig. Maxima ex parte posthumi, publicati a Jac. Schegkio, Jac. Schegkii nepote, Professore Tubingensi & Auditore Donelli. Francofurti apud Egenolphum Emmelium, 1622. in fol. Donelli *Commentarii sunt egregie docti, perspicui, elegantes; sed præ nimia prolixitate molesti.*

Joannis Ferrarii Montani in IIII. Institutionum Justiniani libros Adnotationes. Apud Sebastianum Gryphium. Lugduni 1554. in 8. *Harum Adnotationum major est amœnitas, quam doctrina.*

Joannis Oroscii Regii in Pinciana Curia Consiliarii, Doctoris Antecessorisque olim Salmanticensis, ad Responsa Prudentum Commentarii. Duo hi Tomi in priores integrosque Digestorum duos libros sunt. Salmanticæ in ædibus Andreæ a Portonariis, 1558. in fol. *Cordatissimus & elegans interpres.*

Joannis Superioris in singulas leges quæ sunt sub titulo de Servitutibus Commentarii Succenturiati. Tolosæ ex Officina Guidonis Boudevillei. 1555. in 4. *Satis docti, nec ineruditi Commentarii.*

Francisci Balduini J. C. Justinianus, sive De Jure novo Commentariorum libri IIII. Basileæ per Joannem Oporinum 1560. in 8. Balduini *laudanda potius eruditio, quam judicium.*

De Institutione Historiæ universæ & ejus cum Jurisprudentia conjunctione PROLEGOMENON libri II.

Fr. Balduini. Parisiis, apud Andream Uvechelum. 1561 in 4. *Libri lectu dignissimi ob varietatem amœnissimam.*

Ad Leges de Famosis libellis & de calumniatoribus Commentarius Fr. Balduini. Parisiis, apud Andream Uvechelum. 1562. in 4. Balduino *neque ingenium, neque eruditio, neque dicendi facultas defuit. Eum tamen judicium destituere solitum.*

Franc. Balduini Relatio ad Henricum Andium Ducem magnum. Latini Pacati Panegyricus ad Theodosium A. Eumenii oratio de Scholis. Ejusdem Balduini Annotationes in utramque orationem. Ejusdem explicatio l. si pacto C. de pactis. Parisiis apud Michaëlem Sonnium. 1570. in 4. Relatio Balduini *elegans est*: Pacati *Panegyricus* & Eumenii *oratio pulcherrima.* Balduini *Annotationes eruditæ. Ejusdem explicatio* legis si pacto, *extemporalem fucundiam indicat.*

In L. II. de origine Jur. Catalexis Ventura Cœco autore. Bononiæ in alma Academia Humaniores Literas profitente. Bononiæ apud Jo. Rubeum. 1563. in 4. *Imi Subsellii Magistellus tanto impar conatui, quamquam stilus non inelegans est. Illud est adnotandum*, Joannem Emericum a Rosbach *libellum hunc venditasse ut suum manifestissimo plagio.*

Alexandri ab Alexandro Jurisperiti Neapolitani Genialium Dierum libri sex. Parisiis apud Claudium Micard. 1565. in 8. *Vir diserti amœnique ingenii.*

Jacobi Simancæ Civitatensis Episcopi, De Primogenitis Hispaniæ libri quinque. Salmanticæ apud Joannem Mariam a Terranova. 1566. in 4. *Cl. scriptor* Nic. Antonius *eum laudat ut* Virum præter exactam Juris cognitionem Politices æque gnarum Ecclesiasticæ, Historiæque ac multiplici eruditione perornatum, gravique ac emendato dicendi genere.

Fran. Hotomani Commentarius in quatuor libros Institutionum Juris Civilis. Secunda editio ab autore recognita. Lugduni apud Ant. Gryphium 1567. in fol.

Hæc

Hæc eſt abundantiſsima penus unde ceteri omnes Inſtitutionum interpretes eruditionem depromſerunt, licet allegationum ſitu mutato id diſsimulare voluerint. Illud puerile ac faſtidioſum eſt ubique cauſſam ſimili modo proponere ex aridiſsimis Rhetorum formulis.

Fr. Hotomani J. C. Variarum Diſputationum volumen primum. Lugduni apud Ant. Gryphium. 1569. in fol. *Jureconſultus graviſsimus & politiſsimus, ſed nimis acer reprehenſor.*

Franc. Hotomani Commentarius de verbis Juris: Antiquitatum Romanarum elementis amplificatus. De Legibus, De Magiſtratibus P. R. De Senatu & SC. inſignibus. De Juriſconſultis, eorumque formulis. Lugduni apud Ant. Gryphium. 1569. in fol. *Ingens hic eruditio, major elegantia.*

Matthæi Uveſembecii J. C. Commentarii in Pandectas Juris Civilis & Codicem Juſtinianeum, olim dicti Paratitla, aucta ſubinde ab Arnoldo Vinnio J. C. cum Notis & Obſervationibus Reinhardi Bachovii Echtii J. C. Adjectus eſt M. Uveſembecii Tractatus de feudis, ex recenſione Johannis Chriſtenii, J. C. Amſtelodami apud Jacobum de Zetter. 1665. *Quanquam* Uveſembecii *celebritas multa fuerit, mirandum eſt tamen*, Arnoldum Vinnium, *judicioſiſsimum virum in eo adnotando poſuiſſe operam: nam acutiſsimum* Bachovium *credi poteſt voluiſſe, ut ſolebat, ſuum oſtentare ingenium in alieno opere.*

Jacobi Rævardi Brugenſis J. C. & Anteceſſoris Duacæni Opera in duos tomos Digeſta. Lugduni ſumptibus Ludovici Proſt, hæredis Roville. 1623. in 8. *Vir elegantis ingenii, in cujus ſcriptis major eſt amœnitas, quam doctrina.*

Nicolai Vigelii J. C. Methodus Juris Controverſi in quinque libros diſtincta. Lugduni apud Joannem Jacobi Juntæ F. an. 1581. in 8. *Summi laboris opus, & utile Pragmaticis librorum copiam habentibus.*

Nicolai Vigelii Juriſconſulti Inſtitutionum Juris ad

uſum fori non depravatum accomodatarum, libri quatuor. Baſileæ Typis Oporinianis. 1582. in 8. *Libellus haud quaquam aſpernandus.*

Nicolai Vigelii de Dreiſa Heſſorum, Juriſconſulti Digeſtorum Juris Civilis libri quinquaginta in ſeptem partes diſtincti, ab ipſo autore recogniti, & multis in locis emendati. Baſileæ ex Officina Oporiniana. an. 1584. in fol. 5. vol. *Si rectam methodum* Vigelius *in opere iſto inſtituiſſet, majori in pretio apud omnes haberetur, neque, ut nunc apud pleroſque jaceret inglorius. Recenſendum tamen hoc ejus Opus inter ea quæ maxime conducunt ad Juriſprudentiam illuſtrandam, modo illo quis uti ſciat.*

Nicolai Vigelii Juriſconſulti Methodus univerſi Juris abſolutiſsima, ab auctore ipſo recognita multis in locis emendata & aucta. Lugduni apud hæredes Guilielmi Rovillii. 1591. in fol. *Opus obſcuriſsimum, ſed utilitate plenum.*

Boëtii Eponis Commentarii novem Teſtamentarii. Duaci apud Joan. Bogardum. 1581. in 8. *Doctus ac diligens Interpres.*

Balthazaris Ayalæ, J. C. & exercitus Regii apud Belgas Supremi Juridici De jure & officiis bellicis, & Diſciplina militari libri tres. Duaci ex Officina Joannis Bogardi. 1582. in 8. *Libellus doctus, eruditus, elegans.*

Tractatus de Juris arte duorum Juriſconſultorum Joannis Coraſii, & Joachimi Hopperi Phriſii. Coloniæ Agrippinæ. Apud Joannem Gymnicum. 1582. in 8. *Ex his libellis aliqua poſſunt excerpi ſcitu digniſsima.*

Seduardus. ſive de vera Juriſprudentia ad Regem (Philippum II.) libri XII. nempe. NOMOTHESIAS, ſive De juris & legum condendarum ſcientia libri IIII. Rerum Divinarum, & Humanarum, ſive de jure civili publico, libri IIII. Ad Pandectas, ſive de jure civili privato, libri IIII. Opus Joachimi Hopperi Friſii, J. C. equeſtris ordinis viri &c. Adjectus eſt ejuſdem auctoris de Inſtitutione Principis liber ſingularis. Editio nova cu-

cura Hermanni Conringii. Brunſvigæ excudebat Andreas Dunckerus an. 1656. in 4. Conringii *Dedicatio luculentiſsima eſt & perquam digna lectu.* Georgii Hopperi *ad Lectorem Præfatio elegans.* Joachimum Hopperum *ejus patrem apparet fuiſſe prudentiſsimum, humani divinique juris peritiſsimum. Verum multa miſcet aliena, & dum Philoſophus haberi vult, ridiculus fit, & faſtidioſus.*

Antiquitatum Romanarum Pauli Manutii libri duo. Unus de Legibus, alter de Senatu. Coloniæ Agripinæ, apud Joannem Gymnicum. 1582. in 8. Pauli Manutii *eruditio, & elegantia, notiſsimæ ſunt omnibus.*

Antiquitatum Romanarum Paulli Manuccii liber de Civitate Romana. Romæ 1585. in 4. apud Bartholomæum Graſſum. *Liber eruditus, laborioſus, elegans.*

Emmanuelis Coſtæ Luſitani J. C. in Academia Salmanticenſi (poſt emerita alterius ſtipendia in Conimbricenſi) Primariæ Cathedræ Legum Profeſſoris, Opera omnia. Salmanticæ, apud Ildephonſum a Terranova & Neyla. 1584. in fol. 2. vol. *Vir ingenii acutiſsimi, ſed non judicii æque felicis. Nimis eſt profuſus, & a propoſito longe aberrare aſſueſcit, ſui ſeculi & præcedentium more.*

Indices Juris varii Jac. Labitti, Ant. Auguſtini, & Uvolf. Freymonii, ad Pandectarum ac Codicis leges ſuis auctoribus ac libris conjunctim reſtituendas: temporum, quibus veteres illi Juris auctores vixerunt, aut leges promulgarunt, ratione ſervata: anno, menſe, ac die adjectis. Singulis auctoribus præfixæ ſunt eorum vitæ. Adjecta etiam interpretum Juris, qui ab Irnerio vixerunt, enumeratio. Apud Jacobum Chovet. 1585. in 8. *Egregius liber, niſi promiſſa fallerent! Nihil in eo minus quam* Auguſtinus *reperitur, cujus merus Index peſsime deſcriptus eſt, & omiſſæ Notæ eruditiſsimæ.*

Juriſprudentiæ Propylæum ad Hiſtoricam & Chronologicam Juris Canonici, & Civilis œconomiam & ordinem, Authore Petro Payen Anteceſſore Avenionenſi. Apud Petrum Offray. 1685. in 12. *Nibil in hoc libello lau-*

laudari poteſt præter confuſam diligentiam.

Sanctiſsimi nominis Dei Sodalitas adverſus perjuria & blaſphemias per Conſalvuum Ponce de Leon Hiſpalenſem. Ex Typographia Jo. Baptiſtæ de Cavalieris. in 4. *Videtur hic liber Romæ fuiſſe excuſus an.* 1590. *Fuit* Cundivalvus Poncius *vir piiſsimus, & aprime doctus; ſed in legum ſtudio parum verſatus.*

Petri Fabri in Senatu Tholoſano Præſidis Semeſtrium liber unus, cui acceſſerunt ejuſdem auctoris Commentarii De Juſtitia & Jure: De origine Juris: De Magiſtrat. Rom. Lugduni apud Franc. Fabrum. 1590. in 4. *Fuit* Faber *Juris, & omnis antiquitatis peritiſsimus, ſed ſtili ferrei.*

Petri Fabri Semeſtrium liber ſecundus, Lugduni apud Franciſcum Fabrum. 1592. in 4. *Multa hic* Faber *cum judicio colligit.*

Petri Fabri San-joriani Juriſc. & in Senatu Toloſano Præſidis liber Semeſtrium tertius. Lugduni in Officina Hugonis a Porta. 1595. in 4. Faber *ubique ſui ſimilis. Eruditionis laudem affectat: adeoque multa moleſte cumulat.*

Agoniſticon Petri Fabri Sanioriani J. C. & in Senatu Toloſano Præſidis, ſive De re Athletica, ludiſque veterum Gymnicis, Muſicis, atque Circenſibus Spicilegiorum Tractatus, tribus libris comprehenſi. Opus teſſellatum; elucubratum denuo, amplificatum & ab innumeris mendis vindicatum. Lugduni ſumptibus Thomæ Soubron, & Moſis a Pratis. 1595. in 4. *In hoc libro maxime cernitur* Fabri *varia lectio, accurataque collectio.*

Petri Fabri in Senatu Toloſano Præſidis ad Tit. de Diverſis Regulis Juris antiqui Commentarius ex ultima auctoris Prælectione plurimis in locis auctus. Huic editioni acceſsit Græcarum allegationum in toto opere paſſim occurrentium Interpretatio Latina. Coloniæ Allobrogum. Apud Fr. Fabrum & Samuelem Criſpinum. 1618. in 4. *In ceteris libris* Faber *eruditior, quam doctior; in*

hoc

hoc doctior quam eruditior.

Barnabæ Briſſonii De Formulis & Sollemnibus P. R. verbis libri VIII. Francofurti apud Joannem Uvechelum & Petrum Friſcherum. 1592. in 4. *Eruditio hujus operis digniſsima eſt ſeculorum omnium admiratione.*

Barnabæ Briſſonii De verborum quæ ad jus pertinent ſignificatione libri XIX. Pariſiis apud Sebaſtianum Nivellium. 1596. in fol. *Opus Jus Civile tractantibus neceſſarium ad inquirenda innumera Juris teſtimonia, quæ alias non invenirentur ſine labore maximo. Sed non in omnibus hujus autoris diligentiæ acquieſcendum, ne alicui contingat quod* Gregorio Majanſio, *qui cum* P. Rutilium Rufum *interpretaturus eſſet, videretque* Rutilium *allegari ſolum a* Briſſonio in l. qui penum 3. §. lingua de pen. leg. *ſolum illud fragmentum interpretatus fuit, & prætermiſit alia* Rutilii *fragmenta. Ea tamen poſtea* Majanſius *ut primum ex diligentiſsimo* Auguſtino *omiſsionem ſuam animadvertit, Commentario donavit, aliquando edendo, volente Deo.*

Barnabæ Briſſonii J.C. & Conſiliarii Regii Commentarius in l. Dominico de ſpectaculis, in C. Theod. & in l. omnes dies C. de feriis. Editio prima. Hanoviæ, apud Guilielmum Antonium 1600. in 12. *Eruditione plenus libellus ut ſunt omnia opera diligentiſsimi* Briſſonii.

Juſtiniani Inſtitutionum, ſive elementorum libri quatuor emendatiſsimi ex editione Jac. Cujacii. In eoſdem Jani a Coſta Commentarius. Accedunt Annotationes & Notæ Theodori Marcilii, & Marci Antonii Mureti, ut & M. Tatii Alpini Diſſertatio de furto per lancem & Licium concepto. Adjecti quoque varii Indices curante Joanne Vande Uvater. Trajecti Batavorum. 1724. in 4. *Inſtitutionum editio* Cujaciana *non in omnibus probanda. In* Coſtæ *Commentario certat ingenium cum judicio, & utrumque maximum eſt: eruditio minime vulgaris, dictio caſtiſsima.* Marcilii *Annotationes non aſpernandæ ſunt.* Mureti *Notæ, ut ſunt ejus omnia, elegantiſsimæ. Sed aliquando plus habent ingenii, quam judicii.* Alpino *per me licuiſſet non ſcribere,*

&

& Joanni Vande Uvater *eum non describere.*

Jani a Costa Jurisc. & Antecessoris Tolosani in Decretales Gregorii IX. PP. Summaria & Commentarii primum editi Lutetiæ Parisiorum. Apud Viduam Edmundi Martini & Augustinum Besoigne. 1676. in 4. *Maxima in his scriptis elucet pietas, maximum ingenium, eruditio exquisitissima, judicium admirabile. Dumque Jus Pontificium explanatur, Romanorum mirifice illustratur.*

De Montis Ferrati Ducatu contra Serenissimum Ducem Mantuæ, pro Serenissimo Duce Sabaudiæ, Consultatio Antonii Fabri J. C. Sebusiani. Lugduni apud Jac. Rousin. an. 1618. in 4. *Multa docte & ingeniose ac cum elegantia summa hic* Faber *Disputat : sed plurima miscet longe aliena a proposito, ut ingenium ejus agnoscas se potius quam veritatem ostentandi.*

Ant. Fabri J. C. Sebusiani Opera omnia. Lugduni sumpt. Phil. Borde, Laur. Arnaud, & Claud. Rigaud. 1660. in fol. 11. vol. *Vir ingenio præstantissimo, quo nisi abussus fuisset adversus immerentem* Tribonianum, *ut legislator potius, quam legum interpres haberetur; & nisi* Cujacio, *cui ob doctrinæ eruditionisque præstantiam subinvidebat aliquantulum, licet aperte eum laudare soleret, major voluisset videri; inter omnes interpretes meruisset palmam. Stilus ejus perspicuus & elegans, sed nimis prolixus.*

Huberti Giphanii J. C. OEconomia Juris. Francofurti sumpt. Lazari Zetzneri. 1596. in 4. *Aliqua ex hoc libro decerpi possunt notatu digna.*

Rerum Quotidianarum libri tres, auctore Rodulpho Fornerio Guil. F. Antecessore Aurelio. Parisiis apud Ambrosium Druert. 1600. in 8. *Eruditulus scriptor, non despiciendæ doctrinæ.*

Curia Filipica por Juan de Hevia Bolaños. Madrid. Por Francisco del Hierro. 1725. in fol. *Vir doctissimus, cujus liber utilissimus Hispanis Pracmaticis.*

Tractatus aureus De Jurisdictione & imperio. Ana-

ly-

lysis in Tit. Dig. de officio ejus cui mandata est Jurisdictio. Repetitiones de origine & progressu juris Romani; ut & de Legibus, Senatusconsultis, Responsis Prudentum, & Constitutionibus Principum, auctore M. Ant. Mureto J. C. Romano. Francofurti. Impensis Jo. Ludovici Bitschii. an. 1603. in 8. *Libellus eruditus, & elegans.* Mureti *judicium nondum satis maturum.*

Johannis Emerici a Rosbach J. C. Germani Catalexis in L. 11. Dig. De origine Juris Romani. Francofurti, impensis Jo. Ludovici Bitschii. an. 1603. in 8. *Libellus eruditulus. Verum illa lex eruditissimo indiget interprete. Adde* Rosbachium *impudentissimum plagiarium fuisse* Venturæ Coeci, *cujus* Catalepsin *ad literam descripsit, & ut suam publicavit homo cui periit frons, cum ante* 40. *annos Bononiæ edita fuisset.*

Scipionis Gentilis Jurecos. De Donationibus inter virum & uxorem libri iiii. Hanoviæ, Typis Uvechelianis. Apud Claud. Marinum. 1604. in 4. *Jureconsultus doctus, & elegans.*

Antonii Matthæi J. U. D. & Professoris in illustri Academia Groningæ & Omlandiæ Collegia Juris sex. Quibus adjectæ sunt Disputationes quædam extraordinariæ. Groningæ. Typis Johannis Sas. An. 1638. in 4. *Vir multæ lectionis, & nullius electionis; multiplicis doctrinæ, sed propositæ magis, quam expositæ, & inordinatæ. Fuit ei diligentia ad colligendas difficultates quamplurimas ab aliis interpretibus excogitatas; judicium defuit ad dissolvendas illas.*

Politica Indiana por el Dotor D. Juan de Solorzano Pereira, Cavallero del Orden de San Tiago, Consegero Real en el de Castilla, e Indias. En Amberes por Henrico i Cornelio Verdussen. 1703. fol. *Vir doctus multæque lectionis.*

Guilielmi Barclaii J. C. primum J. U. Professoris Pontimusani, deinde Andegavensis, in Titulos Pandectarum de rebus creditis, & de Jurejurando, Comentarii. Parisiis, apud Franc. Huby. 1605. in 8. *Doctus & expe-*

ditus interpres.

Ant. Pichardo Vinuesæ J. U. D. Hispani, Salmanticensis Antecessoris in tres priores Institutionum Imperatoris Justiniani libros Commentarii. Editio secunda, quam idem Auctor recensuit, auxit. Salmanticæ apud Officinas Arti Taberniel, & Antoniæ Ramirez Viduæ. 1608. in fol.

Ant. Pichardi Vinuesæ J. C. Hispani apud Salmanticenses Cæsarei Juris Primarii, & Collegii Decani Commentariorum in quatuor Institutionum Justinianearum libros recens editus Tomus secundus. Appendicis loco Manuductionum Juris Civilis Romanorum & Regii Hispani pro Judicibus & Advocatis Tyronibus ad Praxim liber singularis. Salmanticæ apud Didacum a Cusio. 1620. in fol. *Doctus fuit* Pichardus, *sed plerumque serio ac prolixe meras nugas agebat. Ejus Manuductio Pracmaticis tirunculis esse potest usui.*

Titi Popmæ Phrysii de operis servorum liber. Amstelodami apud Andream Frisium. 1672. in 16. *Opusculum elegans & omœnum.*

Instruccion Politica i Practica Judicial por el Dotor Alonso de Villadiego Vasuñana i Montoya. En Madrid por Geronimo Rojo. 1729. fol. *Vir magno judicio, & doctrina: pracmaticis Hispanis apprime utilis.*

Selectarum Juris Disputationum Dodecas Interprete D. Joanne Chumacero Sotomayor, Vetustissimi Collegiorum Divo Bartholomæo sacri, Alumno, & apud Salmanticenses Justinianei Codicis publico stipendio Antecessore. Salmanticæ ex Officina Didaci a Cusio. 1619. Chumaceri *ingenium in hoc libello majus est quam judicium.*

Syntagma Juris universi, auctore Petro Gregorio Tholosano J. U. Doctore. Editio v. Francofurti ad Mœnum, ex Officina Nicolai Hoffmanni. 1611. in fol. *Vir stupendæ lectionis Romani, ac Pontificii Juris peritissimus, omni literarum notitia tinctus, quam non hausit ope Lullianæ artis, cui fuit ipse addictissimus, sed pertinacis studii: quæ*

scien-

Sciendi eſt Ars unica.

Laurentii Pignorii Patavini De ſervis & eorum apud veteres miniſteriis Commentarius, in quo familia, tum urbana, tum ruſtica, ordine producitur & illuſtratur. Editio noviſsima aucta, emendata, & figuris æneis exornata. Amſtelodami, ſumptibus Andreæ Friſii 1674. in 16. *Libellus eruditus & elegans.*

Conciliatio cunctarum Legum quæ in toto corpore Juris Civilis invicem quaſi ex Diametro ſibi contrariari videbantur, auctore D. Nicolao de Paſſeribus a Genoa, Juriſconſulto Patavino. Lugduni, ſumptibus Michaëlis Chevalier. an. 1618. in 8. *Ut non ſine multa lectione liber hic ſcriptus fuit, ita non ſine magna electione legi debet: eruditis potius, quam erudiendis utilis.*

D. Melchioris de Valentia J. C. Hiſpani Primarii Juris Civilis in Salmanticenſi Academia Anteceſſoris, illuſtrium Juris tractatuum libri tres. Lugduni ſumptibus Laurentii Aniſſon. 1663. in 4. *Vir doctus & ingenioſus, cujus nominis celebritati multum contulit* Antonii Fabri *amicitia.*

Jacobi Gutherii J. C. Civis nobilis & Patricii Romani De Jure manium, ſeu de ritu, morte, & legibus priſci funeris, libri iii. Pariſiis ſumptibus Nicolai Bvon. 1615. in 4. *Opus eruditum & elegans, cui adjunctus eſt* Choartius Major, *vel de orbitate toleranda ad* Annam Robertum *F. C. Præfatio, erudita etiam atque diſerta.*

Jacobi Gutherii De officiis domus auguſtæ publicæ & privatæ libri tres. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſiy. 1628. in 4. *Eruditio in hoc opere major eſt, quam criſis. Huic editioni acceſsit* Rupella Rupta *poema non inelegans. Item* Tireſias, *ſeu* De Cæcitatis & ſapientiæ cognatione, *ad ampliſsimum atque illuſtriſsimum* Nicolaum Brulartium *Franciæ Cancellarium; qui libellus eruditus, & amœnus eſt.*

Ant. Mornacii in Senatu Pariſienſis Patroni Obſervationes in XXIV. libros Digeſtorum & in IV. libros Codicis ad uſum Fori Gallici, correctiores & in meliorem or-

dinem quam antea disposita. Parisiis. 1631. in fol. 2. vol. *Doctus pragmaticus, & non ineruditus.*

Tessera Legum, sive otium æstivum Pomeridianum. D. Laurentii Ramirez de Prado &c. Madriti 1616. in 4. *Huic libro frons deest: ideo accurate non describitur titulus. In universo opere autor*

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.

Jani Langlæi in Senatu Britanniæ Celticæ Consiliarii Semestria Senatusconsultis & observationibus iterum illustrata in hac editione tertia a Bernardo Autumno J.C. Parisiis apud Nicolaum Buon. 1616. in 4. *Doctus, & amœnus scriptor, sed prolixus.*

Thesaurus Variarum Lectionum utriusque Juris, D. G. Pancirolo auctore. Edidit Hercules Pancirolus J. C. Regiensis ex fratre filius. Lugduni apud Jo. Anard. 1617. in 4. *Panciroli eruditio multiplex, neque vulgaris fuit.*

Emundi Merillii Tricassini J. C. opera omnia. Videlicet. Observationum libri VIII. Notæ Philologicæ in Passionem Christi. Expositiones in L. Decisiones Justiniani. Variantium ex Cujacio libri iii. Differentiarum Juris ex libris Julii Pauli liber singularis. Oratio de tempore in studiis Juris prorogando. Neapoli. An. 1720. Apud Felicem Moscam, in 4. Merillii *major fuit eruditio, quam crisis. Fuit tamen doctus, & quæ scripsit breviter & aperte exposuit.*

Julii Pacii a Beriga J. C. Euantiophanon seu Legum Conciliatarum Centuriæ VII. Editio ab Auctore recognita, & aucta. Lugduni, sumpt. Claudii Landry. An. 1618. in 8. *Fuit* Pacius *homo acutulus, ac minime judiciosus. Quæ docere tamen voluit satis perspicue tradidit.*

Gerardi Tuningii in quatuor libros Institutionum Juris Civilis Divi Justiniani Commentarius ex adversariis auctoris magna cura collectus ac primum editus ab Arnoldo Vinnio J. C. Lugduni Batavorum. Ex Officina Elzeviriana 1618. in 4. *Brevis atque dilucidus Commentariolus, quæ auctor alicubi emendaturus, si licuisset, erat.*

Pe-

Petri Ærodii Rerum ab omni antiquitate judicatarum Pandectæ, ab eodem auctore recognitæ. Acceſsit liber ſingularis ejuſdem auctoris De Patrio Jure ad filium. Mediolani, apud Jo. Bapt. Bidellium. An. 1619. in 8. *Vir amœni floridique ingenii.*

Commentarius ad Codicem Juſtinianeum, Autore Diodoro Tuldeno, J. U. Doctore in Acad. Lovanienſi Legum Anteceſſore Primario, & in magno Senatu Belgico apud Mechlinienſes Regio Conſiliario. Editio quarta, tertiis authoris curis auctior & limatior. Lovanii, Typis & ſumptibus Ægidii Denique. Anno 1701. in fol. *Non indoctus interpres. Sed parum acutus, parumque diligens. Ea tamen quæ docet, perſpicue tradit.*

Expoſitiones in Imperatoris Juſtiniani Inſtitutionum libros quatuor in tres partes diſtinctæ, Auctore Franc. Broeo J. U. D. & in Academia Bituricenſi Profeſſore. Lutetiæ Pariſiorum apud Sebaſtianum Cramoiſy. 1622. in 4. *Multa hic exponuntur accurate & erudite,* & Brevis totius Juris Chronologica hiſtoria quæ præmittitur *legi meretur.*

Reſpueſta de Eſpaña al Tratado de Francia ſobre las Pretenſiones de la Reina Chriſtianiſsima año 1667. en fol. *Hoc Reſponſum ſcripſit* D. Franciſcus Ramos del Manzano, *vir maximi, & excultiſsimi ingenii, & Jureconſultus egregius.*

D. Franciſci Ramos del Manzano, J. C. & Anteceſſoris Salmanticenſis, Caroli II. Magiſtri, & Francorum Comitis, ad Leges Juliam & Papiam Commentarii, & Reliquationes. Acceſſerunt Diſſertationes duæ extemporales. Altera ad Titum Gajum de Uſufructu municipibus legato. Altera ad l. 2. C. de excuſat. mun. lib. 10. de Immunitate protectorum & præpoſitorum. Matriti apud Joſephum Fernandez de Buen dia. 1678. in fol. 2. vol. Legum Juliæ & Papiæ *argumenta exhauſit* Ramos *vir ingenii ſupra quam dici poteſt acutiſsimi, judiciique paris, omni ſcientiarum genere non tinctus ſolum, ſed &*

al-

alte imbutus ; qui ſi orationi , quæ pura eſt , & amœna, ſuavitatem adjunxiſſet , majus apud exteras gentes adquiſiſſet nomen. Ejus elogia vide apud Joſephum Reteſium *in* Dedicatione Commentariorum ad tit. De interd. & releg.

D. D. Joannis Altamirani & Velazquez Commentarii ad Tredecim primos libros Quæſtionum Scævolæ. *Hic liber eſt manuſcriptus* in 4. *Eum* Majanſius *ubi aliquid otii nanciſcetur , recenſebit , & publici juris faciet. Floruit auctor ſub* Philippo II. *Hiſpaniarum Rege , fuitque perquam doctus , & eruditus.*

Arnoldi Vinnii J. C. Juriſprudentiæ contractæ , ſive Partitionum Juris Civilis libri IV. Variis Obſervationibus Notiſque illuſtrati. Adjecti ſunt huic editioni Tractatus De Juriſdictione, Pactis , Tranſactionibus , & Collationibus. Editio tertia. Roterodami , ex Officina Arnoldi Leers. 1664. in 8. *Ex omnium interpretum ſcriptis nullum eſt æque breve perſpicuum ac ſolidum ac Juriſprudentia contracta. Majus operæ pretium feciſſet* Vinnius , *ſi* Donelli Commentarios *quos excerpſit , in epitomen redegiſſet, utens ſimul* Hilligeri *diligentia, & judicio ſuo. Tractatus ſunt copioſi , docti , elegantes.*

Arnoldi Vinnii J. C. in quatuor libros Inſtitutionum Imperialium Commentarius Academicus & Forenſis. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander AA. 1709. in 4. Vinnii *judicium egregium eſt , doctrina plerumque ſolidiſſima , eruditio ſelecta , perſpicuitas mirabilis , elegantia ſumma.*

Arnoldi Vinnii J. C. De Pactis Tractatus, edente Simone Vinnio , A. F. Philologo. Lugduni Batavorum ex Officina Elzeviriorum. 1646. in 24. Tractatus *eſt egregie doctus , copioſus , elegans.* Vinniolus *affectat gloriam Patris ſcripta recencendi* : Si credere dignum eſt.

D. Juſtiniani Inſtitutionum libri quatuor notis perpetuis multo quam huc uſque diligentius illuſtrati, cura & ſtudio Arnoldi Vinnii , J. C. Editio poſtrema ab auctore

re

re recognita. Amſtelodami ex Officina Elzeviriana. An. 1633. in 18. *Uſus hic eſt* Vinnius *docta facilique brevitate. Optandum eſſet ut hujuſmodi Notas haberemus in Pandectas, Codicem, & Novellas. Quod ſi fieret, fruſtra eſſent innumeri libri.*

Arnoldi Vinnii J. C. Selectarum Juris Quæſtionum libri duo. Additæ ſunt Simonis Vinnii Arn. fil. Orationes duæ. Roterodami, ex Officina Regneri Leers. 1685. in 16. Quæſtiones *iſtæ vere ſunt* Selectæ, *præterea elegantiſsimæ.* Oratiunculæ Simonis *nihil aliud probant, quam eum fuiſſe egregium ſartorem. Vix ſuum habet quicquam, præter orationis filum, quo aliena conſuit.*

Petri Pantoja de Ayala J. C. Toletani Commentaria in Tit. de Aleatoribus D. & C. Madridii apud Petrum Tazo. 1625. in 4. *Diligens vir, doctuſque, humaniori-bus literis non infeliciter inbutus.*

Hugo Grotius de Mari libero, & P. Merula de Maribus. Lugduni Batavorum ex Officina Elzeviriana. 1633. in 32. Acceſsit ad calcem Marci Zuerii Boxhornii Apologia pro navigationibus Hollandorum, adverſus Pontum Herterum, qua præcedentium ſeculorum navigationes, earumque jura & inſtituta ex tabulis præſertim publicis aſſeruntur. *Vel ex his* libellis *apparet Reſpublicas & Principes uti legibus veluti Regula lesbia. Digniſsimi ſunt hi libelli qui legantur, præſertim* Grotii.

Hugonis Grotii Florum Sparſio ad Jus Juſtinianeum. Pariſiis, apud Viduam Guilielmi Pelè. 1642. in 4. *Grata eſt amœnitas horum florum.*

Hugonis Grotii de Jure Belli ac Pacis libri tres, in quibus jus naturæ & Gentium, item Juris publici præcipua explicantur. Editio nova cum Annotatis Auctoris ex poſtrema ejus ante obitum cura multo auctior. Acceſſerunt & Annotata in Epiſtolam Pauli ad Philemonem. Amſtelodami, apud Joannem Blæu. 1650. in 8. *Magna eſt hujus operis doctrina, major eruditio.*

Frederici de Marſolaer Equitis Legatus. *Deeſt huic li-*

libro frontiſpicium, ſed videtur excuſus Antuerpiæ Apud Balthaſarem Moretum. 1625. in 4. *Hujus libri major eſt amœnitas, quam doctrina.*

Paratitla in XLII. priores Digeſtorum libros, auctore Guilielmo Marano Anteceſſore Toloſano. Toloſæ ex Officina Raimundi Colomerii. 1628. in fol. Marani Paratitla *ſunt egregie docta & elegantia. Ubi* Cujacius *profuſus, ſolet eſſe mutus. Tantum apud eum valuit Magiſtri reverentia.*

Guilielmi Marani Anteceſſoris Toloſani Varii Tractatus Juris Civilis nunc primum editi. Tomus alter. Toloſæ apud Joannem Boude. 1671. in fol. *Agnoſcas Virum e* Cujaciana *Schola, doctum, eruditum.*

Fontes quator Juris Civilis. Puta legis XII. tabularum Fragmenta quæ ſuperſunt, ordini ſuo reſtituta, una cum ejus Hiſtoria, Probationibus, Notis, & Gloſſario. Legis Juliæ & Papiæ itidem fragmenta ſuo ordini reddita, Notiſque illuſtrata. Edicti Perpetui: ut & Sabinianorum librorum ordo ſerieſque: quorum duo priora antehac edita; nunc alicubi accuratiora, auctioraque: duo poſtrema nunc primum eduntur, auctore Jac. Gothofredo J.C. Genevæ. Sumptibus Joannis Ant. & Samuelis Tournes. 1653. in 4. *Quomodo Leges 12. tabul. ordini ſuo facile poſſent reſtitui indicavit uno verbo eruditiſsimus Hiſpanus* Ant. Auguſtinus: *quam viam arripuit* Jac. Gothofredus, *vir mentis ſagaciſsimæ, ſummæque induſtriæ, Juriſconſultorum ſui ſeculi facile princeps.*

Jac. Gothofredi Manuale Juris, ſeu Parva Juris myſteria, ubi quatuor ſequentia continentur. Juris Civilis Romani I. Hiſtoria. II. Bibliotheca. III. Florilegium Sententiarum Juris. IV. Series Librorum & Titulorum in Digeſtis & Codice. Nona editio. Genevæ apud Samuelem de Tournes. 1677. in 16. *Hunc libellum* Majanſius *Sectatoribus ſuis magnopere ſolet commendare.*

Jac. Gothofredi J. C. Animadverſionum juris civilis liber pro vero nonnullarum legum intellectu: & genuina

ea-

eafundem lectione. Lugduni (*forte Genevæ*) Apud Jacobum Chouët. 1628. in 4. *Libellus aureus.*

Dissertationes duæ Juridicæ. I. De Nuptiis Consobrinorum, ubi lex celebrandis 19. C. de nupt. illustratur, Arcadioque imp. vindicatur : II. De testamento tempore pestis, vel a testatore peste contacto, condito : ubi lex casus majoris 8. C. de test. illustratur : ostenditurque eam de peste non agere, Auctore Jac. Gothofredo. Genevæ sumptib. Jacobi Chouët. 1643. in 4. *Reperiuntur hæ* Dissertationes *in* Appendice Philostorgiana. *Sunt eruditissimæ, subactissimique judicii gemelli partus.*

Jac. Gothofredi J. C. De diversis Regulis Juris antiqui Commentarius. Genevæ. Sumptibus Petri Chouët. 1653. in 4. *Inter maximos viros qui titulum hunc interpretati sunt uni* Jac. Gothofredo *palma debetur. Majus operæ pretium feciſſet* Gothofredus, *nisi regularum sensum sæpe nimis arctasset.*

Jac. Gothofredi J. C. Opuscula varia, Juridica, Politica, Historica, Critica, videlicet I. Discursus Historicus ad l. quisquis C. ad L. Jul. majestatis. II. De imperio maris deque jure naufragii colligendi *Hypomnèma* ad Legem *Axiosis* ff. de Lege Rhodia de Jactu. III. De mutatione & augmento monetæ aureæ ad l. 2. C. Just. de veteris Numism. potestate. De functione & æqualitate in nummo ad d. l. 2. ff. de reb. cred. si certum petatur. IV. De electione Magistratus incapacis seu inhabilis per errorem facta ad l. Barbarius Philippus ff. de offi. Proco-s. V. De velandis mulieribus, deque Exuvia capitis ad D. Pauli locum I. ad Corinth. XI. VI. De interdicta Christianorum cum Gentilibus communione, deque Pontificatu maximo, num Christiani Imperatores eum aliquando gesserint. VII. De famosis latronibus ad l. si Barsatoram 13. C. de fidejussoribus. Genevæ. Sumptibus Joannis Antonii & Samuelis de Tournes. Anno 1654. in 4. Jac. Cothofredus *ubique est sui similis, diligentissimus, doctus, eruditus, stilo tamen duriusculo.*

Jac. Gothofredi J. C. Diatriba De Jure Præcedentiæ repetitæ Prælectionis duplo quam antea auctior. Genevæ, apud Petrum Chouët. 1664. in 4. *Stupendæ lectionis opus.*

Jac. Gothofredi J. C. Tractatus de ſalario repetitæ Prælectionis duplo quam antea auctior. Genevæ, apud Petrum Chouët. 1666. *Vaſtiſsimæ lectionis abſolutiſsimus partus.*

De Præfecto Urbis liber, auctore Felice Contelorio. Romæ ex Typographia Rev. Cam. Apoſt. 1631. in 4. *Multæ diligentiæ libellus, ſed cui multo major adhiberi debuit.*

Caroli Annibalis Fabroti J. C. Exercitationes XII. Accedunt leges XIV. quæ in libris Digeſtorum deerant Græce & Latine nunc primum ex Baſilicis editæ. Pariſiis, ſumptibus Maturini Du Puis, 1639. in 4. Huic Editioni præmittitur Apologia pro Græcis Baſilicôn Interpretibus & Theophilo Anteceſſore. Fabroti *judicium fuit egregium, eruditio ſtupenda.*

D. Joannis Suarez de Mendoza J. C. Hiſpani in Salmanticenſi Academia Publici juris Cæſarum Profeſſoris Commentarii ad L. Aquiliam. Salmanticæ apud Tabernier. 1640. in 4. Ad libri finem adjectus eſt Franciſci Balduini Commentarius de lege Aquilia. *Inter omnes qui ſcripſerunt ad* L. Aquiliam *debetur Palma* Suaretio, *ſive diligentiam, ſive judicium, docendive claritatem ſpectes.* Balduini Commentarius *exilis eſt præ* Suaretii.

Donellus Enucleatus, ſive Commentarii Hugonis Donelli De Jure Civili in Compendium redacti. Acceſſerunt Notata, quibus Donello omiſſa ſupplentur, aliorum idem cum illo, vel diverſa ſentientium, rationes breviter referuntur, & expenduntur, Autore Oſvaldo Hilligero Fribergenſe. Antuerpiæ, Apud Petrum Bellerum. 1642. in fol. 2. vol. *Liberat* Hilliger *Lectorem a moleſtia legendi elegantiſsimos quidem, ſed perquam prolixos* Donelli Commentarios De Jure Civili. *Nuclei ſtilus*

eſt

est ferreus & subobscurus. Notata eruditissima, & selectæ Bibliothecæ vicem præstare possunt. Sed Hilligeri *lectio lectorem postulat eligere scientem.*

Jurisconsultorum Delecti Judicii liber primus in XXIV. interpretationes divisus, auctore Josepho a Santolaria J. U. D. in Oscensi Patria Academia Primario legum Interprete. Oscæ. Excudebat Joannes Franciscus a Larumbe. 1644. in 4. Santolariæ *ingenium majus fuit quam Judicium, cujus inopia passim labi solet.*

Miscellæ Defensiones pro Cl. Salmasio De variis Observationibus & Emendationibus ad Jus Atticum pertinentibus. Lugduni Batavorum ex Officina Joannis Maire. An. 1645. in 12. Salmasius *egregius Philologus; gregarius Juris interpres.*

Opusculorum libri quatuor: quorum I. est totus varius miscellaneusque & ex nova plerumque observatione. II. De contractibus incertis, & actionibus quæ ex illis competunt, & de pactis in continenti adjectis: III. Commentarius ad librum singularem Quæstionum publice tractatarum Scævolæ. IIII. & ultimus notas uberiores continet ad Notas Claudii præfixas libris Responsorum & Digestorum ejusdem Scævolæ, auctore Josepho Fernandez de Retes Hontiveriensi in inclyta Salmanticensium Schola Juris Civilis Doctore, & Vespertinis horis Antecessore perpetuo. Salmanticæ, apud Didacum de Cosio. 1650. in fol.

Opusculorum alii libri quatuor, auctore Josepho Fernandez de Retes J. C. Hontiverienſi. Salmanticæ apud Josephum Gomez de los Cubos. 1658. in fol. *In his Opusculis ingeniosissimus apparet* Retesius, *doctus, eruditus, elegans, perspicuus.*

D. Josephi Fernandez de Retes J. C. Hontiverienſis, Vespertini Juris Civilis Antecessoris in Salmanticensi Academia, ad Tit. de Interdictis & Relegatis, & deportatis, Commentaria. Accesserunt Notæ, Additionesque ejusdem auctoris, & totus liber tertius, qui est analectus.

Lugduni ſumpt. Phil. Borde, Laur. Arnaud, & Cl. Rigaud. 1660. in 4. *Vir ingenii amœniſsimi, judiciique recti, cui multum profuit in eodem argumento habuiſſe æmulum, eruditiſsimum virum* D. Nicolaum Antonium.

Ad Titulos de Bonorum poſſeſsione contra tabulas: de legatis præſtandis: & de inofficioſo teſtamento Scholaſtica Adverſaria autore D. D. Joſeph Fernandez de Retes, J. C. Hontiverienſi, & perpetuo Juris Civilis Salmantino Anteceſſore. Salmanticæ, ex Officina Antonii a Coſsio. 1663. in 4. *Liber non minus elegans, quam doctus.*

Ad Leges, Edicta, Principumque Conſtitutiones ex quibus prohibita uſucapio eſt Selectio ſucceſsiva Doctoris Joſephi Fernandez de Retes Veſpertini legum Anteceſſoris. Secunda editio priori emendatior. Accedit ad LL. Atin. Plaut. Juliamque de vi, & Repetundarum Academica feriata Selectio ejuſdem Anteceſſoris. Salmanticæ apud Viduam Sebaſtiani Perez. 1663. in 4. *Liber doctus, & elegans.*

De Donationibus Academica Relectio, Auctore Joſepho Fernandez de Retes J. C. Hontiverienſi, Salmantino Juris Civilis Doctore, primarioque Anteceſſore. Salmanticæ apud Ant. a Coſsio, in 4. *Doctus hic eſt* Reteſius, *ingenioſus, elegans.*

Interpretationum Juris Bartholomæi Cheſii Piſani J. U. D. Libri duo. Liburni, apud hæredes Domin. Minaſchi. an. 1657. in fol. 2. vol. *Interpres majori pollens acumine quam judicio.*

De Differentiis Juris Bartholomæi Cheſii Piſani J. U. D. liber primus. Barcinone ex Typ. Mathevat. 1686. in 4. *Harum Differentiarum nimis affectatam ſubtilitatem multi viri docti conquoquere non poſſunt.*

Recitatio ſolemnis ad l. unicam Cod. de Palatiis & domibus dominicis lib. XI. auctore Joſepho ab Exea & Deſcartin J.C. Cæſarauguſtano. Cæſarauguſtæ, apud Didacum Dormer. 1655. in 4. *Vir amœna luxuriantique eruditione.*

Cl.

Cl. Colombet J. C. & in Principe Galliarum Curia Senatoris, in quinquaginta libros Pandectarum, seu Digestorum Paratitla. Editio prioribus auctior & emendatior. Tolosæ apud J. Franc. Caranove. 1701. in 12. Paratitla *hæc sunt Tirunculis Juris apprime utilia ob doctrinæ sobrietatem, & perspicuitatem.*

De Exilio, sive de exilii pœna antiqua & nova, exulumque conditione & juribus libri tres, auctore D. Nicolao Antonio Hispalensi, J. C. & Ordinis S. Jacobi Equite. Antuerpiæ, apud Jacobum Meursium. 1659. fol. *Libri docti, & laborioſi, ut sunt omnia opera hujus maximi viri.*

Ægidii Menagii Juris Civilis amœnitates. Tertia editio, prioribus longe auctior & emendatior. Francofurti & Lipsiæ, apud Christophorum Guntherum. 1680. in 12. *Eruditio* Menagii *varia est & amœna.*

Don Joannis Pugæ & Feijoo Jurisconsulti & Primarii Antecessoris Salmanticensis, Regii Neapolitani Senatus Præsidis Tractatus Academici. Sive Opera omnia posthuma, ex sparsis manuscriptis nunc primum in unum collecta, recognita, digesta, Indicibus adaucta a Don Gregorio Mayans, J. C. Olivensi, & in Academia Valentina Justinianei Codicis Interprete. *Hos Tractatus dis-tributos in duo volumina in fol. propediem publici juris faciet* Greg. Majansius *Lugduni apud* Nicolaum de Ville, & Ludovicum Chalmette. *Fuit* Puga *vir magni ingenii atque judicii, Romanique juris consultissimus. Plura de illo* Majansius *in ejus* Vita.

Doctoris D. Joannis de Arechaga & Cassas J. C. Havanensis, & in inclyta Salmanticensi Schola Juris Civilis Professoris Extemporaneæ Commentationes. Salmanticæ. Apud Josephum Gomez de los Cubos. 1666. in 4. *Vir non aspernabili doctrina, sed stilo ridiculo.*

Theophilus Renovatus, sive levis ac simplex via ad Institutiones Juris Civilis, auctore Daniele Galtier, Biterrensi U. J. Professore, in Academia Tolosana. To-

lo-

losæ apud Bernardum Dupuy. 1683. in 4. *Quid de hoc scriptore sentiat* Greg. Majansius *ex professo declaravit, cum videns Justinianeos difficile intelligere* Arnoldum Vinnium, *tum ob Latinæ linguæ frequentem ignorantiam, tum ob ejus auctoris sublimem disputandi rationem, posteaquam* Vinnium, *interpretem ut ipse ait, perspicuum, sexennium explicaverat auditoribus suis; an.* 1728. *in eorundem gratiam recognovit* Galtierum, *addiditque ei omnium legum numeros, quo facilius possent inveniri, Gallica Hispane reddidit, Græca ob characterum defectum sustulit, & Valentiæ edi curavit, hoc Judicio præmisso....* Judicium hic omittitur, quia excussum est supra pag. 215.... *Huc usque* Majansius, *qui si tunc per tempus licuisset, huic Auctori adjecisset aliquas notulas, quibus indicasset aliquot* Galtieri *lapsus, sed fieri non potuit, cum eodem tempore excuderetur liber in tribus Officinis, nihilque posset adjici, cum antiquæ editionis paginæ, recentis editionis paginis respondere deberent. Illud autem hic prætermitti non debet, cum veluti in oculos incurrat, ineptissime se gessisse* Galtierum, *cum Lectoribus obtrusit* L. Cuspidii Testamentum, *tanquam paucissimis cognitum, & tanquam (verba sunt ejusdem) ex ruina & ruderibus venerandæ antiquitatis bono publico servatum, juris publici faciendum credidit, adjunctis brevibus Notis: cum illud ediderit* Henricus Glareanus *anno* 1534. *ac deinde Paullus Manutius semel & iterum in suis* Commentariis ad Ciceronem de officiis. *Et discere* Galtierus *potuisset ab summo illo critico* Ant. Augustino, *ejus Testamenti autorem fuisse* Pomponium Lætum; *ibi enim filii sui mentionem facit, deque eo dicit*: Vixisses Læte fili: fili mi vixisses *&c. Unde apparet quis autor fuerit. Addidit vir eruditissimus, prædictum testamentum bene confictum esse in multis partibus, modeste significans; in aliis suam imperitiam prodidisse* Pomponium Lætum. *Quod si* Galtierus *non legit nostri* Augustini Dialogos, *inspicere saltem debuerat sui* Brissonii Formulas, *in quarum* lib. 7. *vir diligentissimus ita scripsit.* Jam quod ad Cuspidii Pseudo testamentum

tum attinet, quod patrum noſtrorum memoria conditum eſſe, multi ſciunt, libens id illis concedo, qui ſibi fucum fieri, æquo animo patiuntur. Ego illud alienæ priſcarum formularum familiæ ſeſe inſerere, aut falſo vetuſtatis diplomate commeare nequaquam fere poſſum. *Sapienter Briſſonius. Nam obſervationibus aliis prætermiſſis, ipſum initium Teſtamenti arguit, ejus confectorem, vel potius conficiorem fuiſſe Chriſtianum. Conſulum deſignatio (in qua, ſi verum eſſet teſtamentum, errari non poterat) denotat eundem Chronologiæ imperitiſsimum. Nomina virorum ex contextu ſatis celebrium, & aliunde incognitorum fingendi imperitiam aperiunt. Affectata alluſio ad omnia genera legandi fingendi ſtudium manifeſtat. Denique invita Juriſprudentia teſtamentum illud dictatum fuit, cum Juris progreſſus nulla in eo ratio habeatur: cujus adeo ignarus eſſe non poterat Juriſperitus, qui ut moris erat antiquitus, teſtamentum dictaret*, l. Lucius 88. §. ult. de leg. 2. *cum alioqui appareat mediocriter eruditus, ita ſcilicet ut agnoſcas inferiorum ſeculorum eruditionem, & ſuperiorum ignorantiam. Hæc obiter.*

M. Aurelii Galvani Ferrarienſis De uſufructu Diſſertationes variæ. Genevæ. Sumptibus Joh. Herm. Uvid

ELEYTHERIA, ſive de manumiſsione ſervorum apud Romanos libri quatuor, auctore Uvilhelmo a Loon, Neomag. Ultrajecti, apud Jo. Ribbium Jo. Van de Uvater, & Fr. Halma, Bibliopol. 1685. in 12. *Eruditulus ſcriptor: ſed parum criticus.*

Tractatus de Jure accreſcendi, fideicommiſsis, & concurrentibus actionibus, Auctore Andrea Raymundo Paucy J. U. D. Pariſiis apud Nicolaum le Gras. 1685. in 12. *Juſtinianis utilis libellus.*

Commentaria ad ſex ſelectiores Cæſarum leges quæ in poſtremis duobus voluminis libris continentur, Auctore Doct. D. Franciſco de Arana & Andraca. Matriti ex Typographia Juliani de Paredes. An. 1688. in 4. *Scriptor doctrina haud aſpernanda, eruditione tinctus potius quam imbutus.*

Petri Burmanni de Vectigalibus Populi Romani Diſſertatio. Trajecti ad Rhenum apud Guilielmum Van de Vvater. 1694. in 8. *Hujus libelli doctrina ſolidiſsima eſt, eruditio ſelecta, amœnitas gratiſsima.*

Jo. Chriſtiani Itteri Mœno Francofurtenſis De Honoribus, ſive Gradibus Academicis Liber, ea ratione atque inſtituto ſcriptus, ut non Juriſprudentiæ tantum, ſed aliarum etiam diſciplinarum cultoribus ului eſſe queat. Editio nova, & aucta. Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Friderici Knochii, Bibliop. Literis Joannis Uvuſtii. 1698. in 4. Itteri *diligentia maxima eſt, doctrina multa, judicium non contemnendum, ingenium hebes, ſtilus prolixus & faſtidioſus, odium in Eccleſiam Catholicam nefarium.*

Ulrici Huberi J. C. Prælectionum Juris Civilis tomi tres ſecundum Inſtitutiones & Digeſta Juſtiniani. Accedunt Additiones Chriſtiani Thomaſii J. C. quibus Scholia ipſius contra auctorem defenduntur, ejuſdemque nova Præfatio, & Remiſsiones ad Jus Saxonium. Cura Lud[illegible]deri Menckenii J. C. Lipſienſis. Lipſiæ ſumpt. Jo. Friderici Gleditſchii. 1707. 3. vol. in 4. Huberi Prælectio-

tiones *ſunt doctiſsimæ atque perſpicuæ*: Additiones Thomatii *plerumque ineptiſsimæ, obſcuræ, faſtidioſæ.*

Henrici Brenkman J. C. De Eurematicis Diatriba, ſive in Herennii Modeſtini librum ſingularem PERI EYREMATIKON Commentarius. Lugduni Batavorum apud Fredericum Haaringh. 1706. in 12. *Agnoſcas hic præclariſsimum ingenium, judicium matureſcens, ſtilumque juveniliter luxuriantem.*

Henrici Brencmanni J. C. & Academici Florentini Hiſtoria Pandectarum, ſeu fatum exemplaris Florentini. Accedit Gemina Diſſertatio de Amalphi. Trajecti ad Rhenum, apud Guilielmum Vande Uvater. 1722. in 4. *Hic liber eſt partus indefeſſæ lectionis: judicium autoris maturrimum, eruditio vaſtiſsima, preſſus ſtilus, abſolutiſsimum opus. Si Promiſſa ſolverit* Brencmannus, *diligentiæ, & eruditionis palmam inter interpretes referet. Sin minus vereor, ne videatur alicui recenſeri debere inter literarios Thraſones.*

Petri de Tollieu J. C. & Anteceſſoris Lingenſis Diſſertationum Juridicarum Trias, Trajecti ad Rhenum, apud Guilielmum Vande Uvater. 1706. in 8. *Non indoctus ſcriptor, ſed præ nimia prolixitate moleſtus.*

Guilielmi Beſt J. C. Ratio emendandi leges. Ultrajecti apud Guilielmum Vande Uvater. 1707. in 8. *Auctor eſt non indoctus, nec ineruditus. Verum ejus libello hic conveniebat Titulus.* Ratio corrumpendi leges. *Argumentum quod ſuſcepit* Beſtius *judicium acrius poſtulabat.*

Jani Vincentii Gravinæ Originum Juris Civilis libri tres ad Clementem XI. Pont. Maximum. Neapoli. 1722. Ex Typographia Felicis Moſca. in 4. *Solidiſsima eſt hujus viri doctrina, eruditio minime vulgaris, judicium rectum, politiſsimus ſtilus. Sed ſi ab hac cornicula* Ant. Auguſtinus, Jacobus Gothofredus, *& præterea duo treſve alii ſuas plumas repetant, omnino nuda manebit: eruditis certe movebit riſum.* Ad hujus libri calcem adjectus eſt De Romano Imperio liber ſingularis ad S. P. Q. R. *Eru-*

ditus quidem & elegans, ſed quem intendebat ſcopum non attingens.

Joſephi Averanii V. Cl. Juriſc. & in illuſtri Academia Piſana Anteceſſoris, Interpretationum Juris libri duo. Lugduni Batavorum, apud Petrum Vander Aa. 1716. in 8. *Hoc ſcribendi genere ſuperat* Averanius *omnes ante ſe interpretes. In diſputationibus iſtis dubium eſt utrum majus, ingenium, an judicium; expeditio, an elegantia.*

Everardi Ottonis Antec. Duisb. Papinianus. ſive, De vita, ſtudiis, ſcriptis, moribus, & morte Æmilii Papiniani, Diatriba. Lugduni Batavorum apud Samuelem Luchtmans. 1718. in 12. *Optandum eſt, ut ita ſcribantur Jureconſultorum vitæ. Nihil in hoc genere præſtantius editum eſt. Ea fuit* Ottonis *in hoc libello diligentia, & eruditio. Quanquam ut diligentiæ laudem conſequatur, aliquando nimis a propoſito aberrare ſolet.*

Cornelii Van Bynkershoek J. C. & Senatoris Obſervationum Juris Romani libri quatuor, cum præfatione Jo. Gottl. Heinectii. Francof. & Lipſiæ, apud Erneſt. Gottl. Krugium. 1723. in 4. Heinectii Præfatio *elegantiſsima eſt.* Bynkershoekii Obſervationes *ſagaciſsimæ, eruditio non vulgaris, minimeque affectata, judicium acerrimum. Auctor ipſe utrique* Jacobo, Cujacio, & Gothofredo *plerumque infenſus, & falcem criticam, quam illis jure merito adimit, cum ea utuntur non exigente neceſsitate, ipſe denuo acuit, ut in venerandam vetuſtatem eam inclementur immittat.*

Joannis Van de Vvater J. C. Obſervationum Juris Romani libri tres. Trajecti Batavorum, apud Guilielmum Van de Uvater. 1713. in 4. *Vir pollens ingenio doctrinaque; ſed qui falce critica potius abuti ſolet, quam uti.*

Joſephi Borrullii J. C. Valentini, Doctoris etiam, & olim Anteceſſoris Primarii Salmanticenſis, nunc in Supremo Granatenſi Auditorio Senatoris integerrimi, Commentarii Ad Titulos Digeſtorum & Codicis de negotiis geſtis: Ad Titulum Pandectarum de uſufructu accreſcendo:

Ad

Ad Titulos Digeſtorum & Codicis qui potiores in pignore habeantur: Ad Titulos Digeſtorum & Codicis de lege Falcidia. Ad Titulos Digeſtorum & Codicis ad S. C. Trebellianum. Ad l. filio 2. Cod. de repudianda bonorum poſſeſsione. *Hi Commentarii manuſcripti, docti ſunt & laborioſi, ac luce publica digni.*

Greg. Majanſii Generoſi Valentini ad quinque Jureconſultorum fragmenta Commentarii, & ad legem ſi fuerit 5. de leg. 3. Recitatio extemporalis. Valentiæ in Edetanis, apud Ant. Bordazar. 1723. in 8. Recitationem *habuit Majanſius ad Valentinæ Academiæ Cenſores pro Juriſconſulti titulo adipiſcendo* 11. *Cal. Decembreis, Anni* 1722. *ætatis ſuæ* 23. *natus enim fuit* 7. *Eidus Majas an.* 1699. *Poſtea ſerio recognitam præfixit ſuo* Diſputationum Juris lib. 1. *F. C. ſunt* P. Rutilius Rufus, Q. Cornelius Maximus, Rutilius Maximus, Campanus, & Tarruntenus Paternus. *Horum Jureconſultorum fragmenta interpretatus fuit feſtinanter, cum petiturus eſſet Juſtinianei Codicis Cathedram, ut aliquod ederet ingenii ſui ſpecimen. Quo tempore etiam Commentariis nondum editis, ſed, Deo volente, edendis, illuſtravit* Sexti Papyſii, Cinnæ, Julii Aquilæ, & Granii Flacci Fragmenta, *& eorum germanam mentem publica diſputatione defendendam propoſuit, ſicut &* Collectionem quandam Propoſitionum legalium, De Adjecto ſolutionis gratia: De ſervitutibus non oppignorandis: De ſtatuis & imaginibus: De ſuffragio: De indicta viduitate & Lege Julia Miſcella tollenda: De mutatione nominis. *Evigilavit hæc omnia intra quadrimeſtre; & navatæ operæ pretium tulit Juſtinianei Codicis Cathedram, Cal. Jul. an.* 1723. *licet per ſexennium ſolum Juriſprudentiæ Operam dediſſet, licet competitores fuiſſent ſex, omneſque eo antiquiores: denique licet* Majanſii *petitio prima. Verum ecce hominum inconſtantiam, & humanarum rerum eventus varios. Qui tunc Civitatis Valentinæ ſuffragia meruit, ſuperiori anno* (1729.) *Præpoſitura quadam vacante, cui munus eſt adjunctum interpretandi*

Leges, ſolum tria, ſed peritiſſimorum hominum (erant autem ſeptendecim) ſuffragia tulit, poſtea quam ſexennium Juſtinianei Codicis interpres in Schola Valentina fuerat, magna frequentia auditorum, majorique fructu; poſteaquam impleverat ludum Doctoribus, ſcriptiſque per univerſam Europam inclaruerat ſuis: &, quod eſt admirabilius; cum Majanſio *neque negaretur ingenium ad docendum natum, neque laboris aſsiduitas & contentio, neque adverſus auditores ſuos & quoſvis alios affabilitas; neque ei probrum objiceretur ullum: denique cum Cathedra deſtinata eſſet ad Jus Civile interpretandum, & docuiſſet Canonicum qui* Majanſio *prælatus eſt. Præterea Viri quamplurimi qui tum ob nobilitatem ſuam, tum ob virtutis & ſapientiæ opinionem, plurimum autoritatis in Hiſpania habebant, quales ſine dubio aliqui qui Reigi erant a conſiliis intimis, ad hæc,* Joſephus Bermudetius, *Regius Fiſci Patronus in Epidemetico Concilio*, Marchio Grimaldus, Marchio Caſtellarius, Cordubenſis Epiſcopus Marcellinus Siurius *jam cœlo denatus*, [illegible] Inquiſitor Generalis, Andreas Orbis Archiepiſcopus Valentinus, & Regii Caſtellæ Senatus Gubernator, *commendatitias literas pro* Majanſio *dederunt, & quidem* Archiepiſcopus Gubernator, *non privatas, ut alii, ad aliquos ex decurionibus, ſed publicas etiam (ſine exemplo) ad Civitatis Proprætorem Regnique Proregem, ut uterque nomine ſuo peteret Decurionum ſuffragia: ſcripſitque ſemel & iterum, intelligere ſe negotium illud eſſe juſtitiæ, non gratiæ, ſeque optime ſcire, quam boneſti eſſent* Majanſii *Natales, quam excellens doctrina, ſeque accepiſſe multorum literis, quantum fuiſſet ejuſdem acumen in diſputando, quanta dexteritas in reſpondendo, expectareque ſe futuram etiam admirabilem ejuſdem eruditionem & eloquentiam in Recitatione extemporali, quam adhuc erat habiturus. Incaſſum. Nam Deo Opt. Max. aliter viſum fuit: qui proculdubio viam illam* Majanſio *præcluſit, ut ingrederetur aliam. Qua conſideratione* Majanſius *mirum in modum recreatur, ac meritorum ſuorum ſibi*

+ Joannes Camargus

conſ-

conſcius, repulſæque ſordidæ neſcius, videtur ſibi retuliſſe maximum anteactæ vitæ triumphum: quo reportato indignissimum eſſet velle alios minus glorioſos ducere, & togam candidam hominibus ingratiſsimis iterum objicere maculandam. Itaque competitionibus lætus lubenſque vale dixit, ſolo ſibi relicto, docendi onere, & honore. Sed ad propoſitum. Nunc editionem adornare cupit Majanſius *fragmentorum viginti Jureconſultorum, quibus Titulus erit.* Jureconſultorum Decades. *Eorum nomina præter novem illos jam paullo ante numeratos ſunt hæc.* Cato, Manilius, Gallus Aquillius, Servilius, Sextus Ælius, Paconius, Puteolanus, Arianus, Cartilius, Pactumejus Clemens, Tertullianus.

Juſti Vindicii Relatio De Diſputatione quam habuit in Valentinæ Academiæ Sacello Greg. Majanſius, Generoſus, & Anteceſſor Valentinus pro intellectu vero §. eſt autem 3. Inſt. Imp. de rer. div. Coſmopoli (Valentiæ) *apud Libe-ralem Evangelum* (Ant. Bordazar) *ſub ſigno Lunæ, & Canum. an.* 1725. *in* 8. Ex illo die, qui *Majanſio* fuit glorioſiſsimus, cœpit ipſe uti ſymbolo Canum adlatrantium Lunam, Lunæ adjuncto hoc lemmate, *Alta regebat equos,* & Canibus hoc altero : *Sævitque Canum latratus in auras.*

Gregorii Majanſii Generoſi & Anteceſſoris Valentini Diſputationum Juris liber 1. Valentiæ in Edetanis apud Ant. Bordazar. an. 1726. in 8. *Quamprimum poterit* Majanſius Diſputationes *baſce recognoſcet, & adjunget eis nonaginta jam evigilatas ut Centuriam omnes conficiant. Illud hic prætereundum non videtur, averſæ tituli Chartæ Diſputationum Juris Libri I. hos adjuntos fuiſſe verſiculos.*

AUTOR LECTORI.

UBer Oliva mihi patria eſt: genuere parentes
Ingenui, clara conditione pares.
Myſtica me nutrix non ſolum vindicat una.

Urbs Barchina mihi ſcire Latina dedit.
Turia quam ante fluit, ſophiæ penetravit amorem.
Hic Artis didici prima elementa boni.
Inde ſuo accepit Tormis clariſsimus alveo.
Laurea prima mihi jure in utroque data.
Hæc Schola dat Juris decora alta: Senatus honorem
Clarandi libros, Juſtiniane, tuos.
Gandia me Gremio ſuſcepit, Juris honores
Utriuſque mihi largiter accumulans.
Eſt mihi amica quies; & amicum ſcribere: duxi
Ægidii ſtilum facta per alma meum.
Atque Ildefonſi decoravi geſta decenti
Scriptura, quamvis invida turba neget.
Nunc celebris Saavedra magis: Juriſque periti
Per me quinque Viri multa per ora volant.
Notius eſt Litus: Civilis notior Artis
Per me cognitio. Plura quid hic referam?
Opprimitur Scriptis pluteus, vix ſole viginti
Magnos ſeptem orbes conficiente mihi.
Hinc in me rabies. Hinc me non deſinit unquam
Dente Theonino carpere livor edax.

Greg. Majanſii Generoſi & Anteceſſoris Valentini Juriſconſultus, ſive De Juriſprudentia Romanorum illuſtranda liber ſingularis, *ineditus, edendus tamen, volente Deo. In hoc libro* Majanſius *ingenii ſui, & induſtriæ nervos, quantum potuit, intendit.*

Gregorii Majanſii Generoſi & Anteceſſoris Valentini Recitationum extemporalium liber unus *nondum publicatus.*

Gregorii Majanſii Generoſi & Anteceſſoris Valentini Diſputationum publice tractatarum ſingularis liber, *prælo deſtinatus.*

Plurima alia quæ *Majanſius* habet in adverſariis, prætermittuntur hic, ne novæ aliquæ ad *Menckenium* exoriantur Notæ, & in *Thraſonum literariorum cenſum referatur.*

Ex-

Explicit Librorum Juridicorum Catalogus.

Hi ſunt Libri Juridici, Cl. *Camuſate*, qui ad præſens ſunt in Bibliotheca mea, ut cum Poëta loquar,

Exigui numero, ſed bello vivida virtus.

Hæc ſunt judicia quæ de illis facio. Tua ego cauſſa laborem hunc ſuſcepi. Quamobrem æquum eſt, ut culpam una præſtes, quocum & laudem, & gratiam, ſi quam forte inde promerebor, libentiſsime partior. Laboris autem mei vel hoc ſolo præmio contentus ero, ſi tibi hanc meam operam non diſplicere ſenſero. Quod ſi culpæ reus non vis eſſe mecum, judicium meum caſtiga judicio tuo; cumque Catalogus iſte a te recognitus, emendatuſque fuerit, quibus voles communicato, non *Læliis Decimis* ſolum, ſed iſtis etiam doctiſsimis Pariſienſibus *Perſiis*, dummodo periculum offeras correctione tua. Interea ego ceterorum quos habeo librorum, conficiam Indicem, ſed non adjungam judicium, tum quia nimis multæ ſunt occupationes meæ, tum quia id ab aliis egregie præſtitum eſt, & ſolum aliquid novi afferre poſſem in recentibus libris, quos ego vix attingo, quia pauciſsimi ſunt (de Hiſpanicis loquor) qui mereantur legi, etſi librorum ſeges nunquam uberior. Præterea (ne quid diſsimulem) quod in legalibus præſtiti, vix in ceteris poſſem. Alteros, ut profeſsioni meæ neceſſarios lego; alteros voluptati deſtino. Aliter judicamus ſtudentes, aliter legentes voluptatis cauſſa. Quare reliquorum librorum Catalogum, minus accuratum, adeoque tibi ſoli mittam.

Sed revertamur ad *Juridicam* noſtram *Bibliothecam*. Forte in ea deſiderabit aliquis libros aliquot. Quid mirum, cum & ego etiam deſiderem? Neque enim habeo libros omnes quos cupio, ſed quos emere potui. Neque deſcripſi *Bibliothecam* quam opto; ſed quam habeo. Objicet alter, me infenſum videri barbarorum ſeculorum interpretibus: quippe quibus locus non fuerit in *Bibliotheca* mea. Libere dicam quod ſentio. Sententia

le-

legum, aut mere legalis eſt, aut Hiſtorica etiam. Si legalis, quem ad finem interpretes illi barbari, cum laboretur ſolum de aperiendo ſenſu, illis verbis involuto, quorum vim & varias ſignificationes, ob noſtri ſeculi felicitatem multo melius quam illi ſcimus, aut ſaltem ſcire poſſumus, atque debemus. Si legum ſententia eſt Hiſtorica etiam, quamnam amabo te, utilitatem hauriemus ab iis, qui niſi divinando nihil certi poterant afferre, propterea quod libros illos, ubi legum condendarum cauſſæ inquiri deberent, neque attigerunt unquam, neque eorum nomina fortaſſe audierunt. Præterea, quænam probabilis alicujus legis interpretatio oſtendetur mihi depromta, ex *Odefredo*, *Baldo*, *Jaſone*, *Caſtrenſi*, utroque *Fulgoſio*, aliiſque ſimilibus, quam in ſuos libros non tranſtulerint, *Zaſius*, *Alciatus*, *Duarenus*, *Cujacius*, *Ant. Faber*, aliique ex recentioribus? Sed cur non etiam faciamus, quod fecerunt hi, ſummi viri? Quia fecerunt. Quanquam ego neminem impedio ſuo uti judicio; ſua ſpicilegia facere poſt illorum ingentem ac diligentiſsimam meſſem. Sed quotieſcumque volui emere triticum, non ego illud in palearis quæſivi, quamvis ibi ſcirem aliqua reperiri grana; ſed in horreis. Præterea dicam quod expertus ſum. Cum aliquando haberem aliquos ejuſmodi interpretes (nam etiam habui) eveniebat forte ut inciderem in obſcuram alicujus legis ſententiam; recentiores diligenter evolvebam, & fortaſſe neminem inveniebam qui veluti acu rem attingere videretur. Tum poſtremo ad illos confugiebam. Sancte auſim dejerare, poſt longiſsimas moleſtias nunquam me inveniſſe aliquid, quod probare poſſem. Fuerint itaque acutiſsimi, fuerint egregii pragmatici. At ego comperi, veriſsimum eſſe quod *Jacobus Cujacius* vir ſummi judicii ex animi ſententia pronunciavit, in ſuo *Papiniano ad l. filio præterito* 17. *de inj. rupto. Vim ejus* (reſponſi) *& poteſtatem non bene percipiunt interpretes. Inani ſermone imprudentia utuntur. Sunt ver-*

bo-

bosi & prolixi more suo, ut solent, in re facili esse multi, in difficili muti, in augusta difusi. Cujus rei ego sum optimus testis. Si in testimoniis dignitas, fides, mores, gravitas examinanda est, ut *Modestinus* docuit *lib.* 8. *Regularum* ecqua exceptio *Cujacio* opponi possit, non video. Verum mihi aliquis, forte objiciet, nonnulla me non erraturum fuisse in scriptis meis, si consuluissem eos, quorum lectionem fugio. Non ego id ausim negare. Sed & scio etiam multo plura quam nunc erraturum fuisse, nisi versatus essem in his quos lego. Cur igitur utrisque operam non do? Dato is mihi tempus, dato patientiam ad legendum. Sed quid verbis opus est? Hæc mea Disputatio non impedit, quominus qui perfectam velit habere *Bibliothecam Juridicam*, ex barbarorum seculorum interpretibus paucos eligat; adjiciat præterea recentiores aliquos, quos ego non vidi; suppleat denique opera eorum omnium, quos in Catalogo laudavi; nihilque amplius, quod attinet ad præsens Institutum, desiderabit. Sed neque tu aliquid in præsentia a me requires, qui forte jam diu fatigatus es hisce legendis. Superest ut tibi persuadeas, me quæ te velle quæque ad te pertinere intellexero, ea summo studio diligentiaque curaturum esse. Vale Cl. *Camusate.* Valentiæ Edetanorum, IV. Kal. Aprileis, Anni MDCCXXXI.

VI. *NOBILISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO FRANCISCO DIONYSIO CAMUSATO GREG. MAJANSIUS, S. D.*

CUm his literis accipies aliquot opuscula mea ad Jus Civile spectantia: *Commentarios* scilicet ad *quinque Jureconsultorum fragmenta*, *Justum Vindicium*, & *Disputationes Juris.* His adjunxi *Oratiunculas duas in laudem Didaci Saavedræ*: totidem *Exhortationes ad assequendam Hispanam eloquentiam*: duas etiam *Orationes in laudem Conceptionis beatissimæ Mariæ Dei matris*: de-

nique totidem *Syſtemata Propoſitionum Legalium*, quas propugnavi in Præpoſituræ petitione. Quæ opuſcula tibi mitto, non quia putem digna eſſe quæ tuos oculos morentur, cum neque ipſe mihi ſatisfecerim præterquam in ultima oratione, forte ob tanti myſterii amorem, venerationemque; ſed ut admoneam te de promiſſa *Bibliotheca Ciacconiana*, quam potes mittere hac eadem via. Ego avide expecto eam: nec enim dubito, quin Obſervationes tuæ eruditiſsimæ mihi valde placituræ ſint. Vale, doctiſsime *Camuſate*, & Rempublicam literariam illuſtrare perge. Valentiæ in Edetanis, Nonis Juniis, anni MDCCXXXI.

VII. *GREG. MAJANSIUS FRANCISCO DIONYSIO Camuſato, nobiliſsimo, & eruditiſsimo Viro, S. D.*

DE tuo adventu in Bataviam tibi ex animo gratulor. Spartam nactus es, hanc orna. Habes iſtic *Siebenium*, *Nortkerkium*, *Barbeyracium*, quorum erudita communicatio opto ut tibi tantum proſsit, quantum jucunda tibi eſt eorundem amabilis conſuetudo. Habes iſtic Bibliothecas publicas omni librorum genere abundantes. Tibi divitiæ ſuppetunt ad inſtrumenta ſapientiæ comparanda. Tibi amici potentes, qui ſpes tuas fovent, & tibi cupiunt favere. Tibi excellens, ingenium ad maxima cœpta idoneum. Itaque niſi tu tibi deſis, & qui eſſe cœpiſti deſinas eſſe, bonis omnibus abundas, ut noſtri ſeculi ſis ornamentum & gloria. Ergo arreptam viam inſiſte. Macte iſta tam egregia virtute Cl. *Camuſate. Sic itur ad aſtra.*

Quæ de recens editis libris nunciaſti mihi gratiſsima ſunt; maximamque a me inibis gratiam, ſi his ſimilia nunciare pergas. Unum velim ut enucleatius ſcribas. Ecquid *Everardus Otto* publici juris fecerit præter *Papi-*

nia-

nianum, quem libellum & legi jucundiſsimè, & egregie laudo, vellemque ut fidem ſuam liberaſſet in edendis vitis *Servii Sulpicii*, *Salviique Juliani*.

Apud nos quotidie prodeunt novi libri. Eorum indicem conficere hominis eſſet intemperanter otio abutentis. Nuper tamen non ſine voluptate legi librum cui Titulus eſt. *Pictor Chriſtianus eruditus. Sive, de erroribus qui paſsim admittuntur circa pingendas, atque effingendas ſacras Imagines, Autore Fratre Joanne Interamnenſi Ajalæo, Regii ac Militaris Ordinis B. Mariæ de Merced. Madriti in fol. Anno* 1730. Hujus Operis eruditio haud quaquam eſt aſpernanda; oratio, etſi nævulis quibuſdam aſperſa, florida, facilis, delectabilis. Hic ipſe autor (ut omittam opuſcula vernacule ſcripta, inter quæ locum debet obtinere principem elegantiſsima tranſlatio Catechiſmi ſapientiſsimi Viri *Claudii Floridi* (1)) edidit anno 1729. Libellum alterum in 8. cui Titulum fecit mihi haud probatum: *Humaniores atque amœniores ad Muſas Excurſus. Sive, Opuſcula Poetica*, in quibus oſtendit egregium ingenium, & miram pangendorum verſuum facilitatem. Aliquando tamen proſodiæ immemor, in pueriles labitur errores, in quo ſocios habet *Aurelium Prudentium*, *Magnum Felicem Ennodium*, *Tironem Proſperum*, *Apollinarem Sidonium*, alios. De quo admonitus a me, cum mihi olim recitaret aliqua Epigrammata; modeſtiſsimus homo ſuos errores agnoſcebat, & emendabat: ſe vero veluti excuſans ajebat, ſolos Poetas, non verſificatores in metra peccare, utpote illi res præcipue curantes, parum attendunt regulas accentuum; hi harum nimis ſolliciti negligere videntur res. Cui ego: vel Poëtæ mediocres (ſi modo tales ſumus) ſyllabas longas a brevibus ſcimus ſeponere, *legitimumque ſonum digito callemus & aure*. Deceſsit anno ſuperiore paralyſi correptus tertiodecimo kal. Novembreis, natus annos ſeptuagintaquatuor, magnumque ſui deſiderium reliquit ob egregiam doctrinam, candi-

diſsimos mores, inſignemque pietatem. *Continuatio Hiſtoriæ Jo. Marianæ a Joſepho Emmanuele Miniana* conſcripta, nunc deſcribitur Valentiæ, & ubi deſcripta erit, mittam autographum Hagam ad *Petrum Hondtium* qui utriuſque Hiſtoriam ſimul publicabit. His literis adjunxi *Minianæ Continuationis Cenſuram*, quam Regius Caſtellæ Senatus mihi demandavit. De *Miniana* plura legentur in *Hiſtoriæ Dedicatione & Præfatione.*

Ignarus tuæ profectionis in Bataviam miſi ad *Nicolaum Villæum* Typographum Lugdunenſem aliquot Opuſcula mea, mandavique ut Pariſios ad te deferri curaret. Niſi moleſtum erit, ſcribere poteris ad amicum aliquem Pariſienſem, aut Lugdunenſem ut ab eo perquirat apud quem depoſuerit libellos. Illos ego non fuiſſem auſus mittere, niſi mihi ſignificaſſes cupere te legere. Scio te in illis oleum & operam perditurum, niſi fortaſſe volueris, eorum lectione tibi conciliari ſomnum. De *Bibliotheca Ciacconiana* tibi aurem pervello. Aveo legere tuas eruditiſsimas *Obſervationes.*

Jam duos menſes Olivæ ſum. Confugi in domum paternam animi recreandi, æſtuſque urbani eludendi cauſſa. Hic permanebo uſque ad Eidus Octobres. Simul ac Valentiam redibo, a Trinitariorum Fratrum Præfecto Provinciali enixe petam, ut mihi vendi jubeat duo exemplaria *Bibliothecæ Valentinæ* : & ſi ea (uti ſpero) nactus fuero, mittam ad te. Hæc *Bibliotheca* publici juris non eſt facta, propterea quod ejus Autor *Frater Joſephus Rodriguez*, cum operis editio jam ad umbilicum perveniret, e vivis deceſsit IV. kal. Decembreis Anni 1703. ætatis ſuæ 73. Autor ego fui monachis ut ſuppleant quæ deſunt, aut ſaltem, ut publicent *Bibliothecam*, *Præfatione* præmiſſa. Sed vento loquutus ſum. Fuit *Rodrigezius* homo diligentiſsimus, non admodum doctus, & parum emunctæ naris. Semper tamen ad fontes digitum intendit, ut facile diſcernere poſsis, utrum aqua limpida, an cœnoſa, prout ejus origo. Hunc librum

nu-

nuper compilavit *Franciſcus Ortinus* Canonicus Valentinus in eo libro qui inſcriptus eſt. *Memoriæ Hiſtoricæ Fundationis & Progreſſuum Inſignis Academiæ Valentinæ. Matriti. an.* 1730. *in* 4. Hic Scriptor affectibus ſuis aliquantulum indulſit, adeoque ut viros magnos celebrat qui vix merentur nominari, neque verbum facit de multis qui magni viri fuerunt, aut ſunt, & Rempublicam literariam ſuis ſcriptis ornant, & illuſtrant. Quos amat, tollit ad aſtra; quos averſatur, deprimit, aut ſilentio involvit. Crimine ab uno diſce hominis candorem. *Emmanuelem Martinum* Hiſpanorum hodie viventium eruditiſsimum oblivioni tradidit. Prætereo illum Scriptores recenſentem, nullum catalogum conficere eorum Operum, nullum judicium ex obſervatione propia ſubjicere, ut hominis lectionem, & criticen agnoſcas. Sed fortaſſe veniam meretur homo alioqui probus, & aliis rebus intentus, ingenio minime contemnendo, facilique ſtilo, licet parum emendato, aliquando etiam inæquali, ut animadvertere poſsis multorum qui eum adjutarunt diverſiſsimas manus. Verum hæc ego non curo. Graviora me ſollicitant.

Nunc ſum in maximo mœrore ob mortem *Vincentii* fratris mei, adoleſcentis optimæ indolis, ac præclariſsimi ingenii. Quoniam igitur oppreſſus ægritudine nihil poſſum ſerio meditari, nihilque ſcribere, animum adjeci ad ſeligendas aliquas *Epiſtolas* meas, quas cum Valentiam rediero, publici juris faciam, ſubjectis quam plurimis eruditiſsimorum virorum reſponſionibus, Hiſpanorum exterorumque, ut literis meis conciliem dignitatem aliquam. Libellus hic vicem præſtabit Hiſtoriæ literariæ, oſtendetque plane quid ego poſſem efficere, ſi eruditiſsimi *Nicolai Antonii Bibliothecam Hiſpanam* ſupplere, & proſequi aggrederer. Quod conſilium (ad quod tu aliique viri eruditiſsimi me adhortamini) libenter amplecterer, ſi, aut Valentiæ eſſent Bibliothecæ librorum copia abundantes, quales ad tantum cœptum per-

perficiendum neceſſariæ ſunt ; aut ſi penſio aliqua annua aſsignaretur mihi ; qua ſublevatus majorem librorum numerum coëmere poſſem , & peregrinationem aliquam ſuſcipere ad excutiendas Bibliothecas aliquorum Conventuum, in quibus latent multi libri, qui (quod mirum non eſt in tanta copia) *Nicolai Antonii* diligentiam effugerunt. Quæ peregrinatio omnino neceſſaria eſt ad *Bibliothecam Veterem* ſupplendam. Nam ad *Novam* quod attinet , recentiores libri (licet innumeri) ante omnium oculos ſunt poſiti ; certe inventu faciliores. Verum hæc ſperare, idem eſt, ac expectare volaturam teſtudinem.

Nuncius iſtuc perlatus de morte *Emmanuelis Martini* Decani Alonenſis vera narravit, & ut oraculum ambiguum , male fuit intellectus. *Emmanuel Martinus* vir ille eruditiſsimus Coadjutorem in ſuam Dignitatem ſibi adſcivit nobilem & prudentem virum *Emmanuelem Martinum* cognominem ſuum. Hic deceſsit Madriti hoc anno. Prior ille abditus Alonæ, famæ dives & gloriæ, utramque deſpicit, nec niſi æterna cogitat. Jam tres ab hinc annos vale dixit libris. Cauſſam quæris ? Diſces ex literis adjunctis , & Hendecaſyllabis , quos eo tempore emiſit. Ex quibus velut ex ungue leonem poteris agnoſcere. Multa ſcripſit eruditiſsimus vir , non ſolum ſoluta, ſed ſtricta oratione. Verum inopia oppreſſus præter unum aut alterum libellum nihil publicare potuit. Unum habeo hic ad manum ſic inſcriptum. *Apaſteroſis , ſive in Arcam converſio. Elegia D. Emmanuele Martino Decano Alonenſi auctore. In qua Arcam , vicennalium peregrinationum comitem itinerum attritu ac vetuſtate fatiſcentem, quadam veluti conſecratione inter Aſtra collocat. Cl. Viro J. U. D.D. D. Philippo Buliphoni olim in Neapolitano Foro cauſarum Patrono , ac poſtmodum in Alonenſi tractu Regii Ærarii Præfecto vigilantiſsimo atque integerrimo inſcripta. Acceſſerunt nonnullæ eorundem epiſtolæ ad idem argumentum ſpectantes. Mantuæ Carpetanorum ex Typographia*

Ni-

Nicolai Rodriguez Francoſ. Anno 1722. *in* 4. In hoc libello eſt elegans Præfatio *Cæſaris Laurentii Buliphonis* (*Philippi* fratris) ſe profitentis editorem. Hic multa refert de *Emmanuele Martino*, de ejus ingenii præſtantia, & antiquitatis peritia. *Elegia* eſt eruditiſsima, elegantiſsima, & numeris omnibus abſoluta. Hæc attingenda putavi de *Emmanuele Martino*. De quo plura adderem, niſi propediem eſſem editurus ejus Latinas epiſtolas ad me, ex quibus quam plurima colligi poterunt ad ejus vitam ſcribendam. Epiſtolam habes bene longam. Tu ad me velim literas crebrius mittas. Vale. Olivæ XVII. Kal. Octobres Anno MDCCXXXI.

(1) *Operæ ab Ajala Hiſpanæ linguæ conſcripta ſunt hæc.* Relacion de las demonſtraciones de accion de gracias, i regocijo, que celebrò la Univerſidad de Salamanca, por el deſeado i feliz Nacimiento del Sereniſsimo Principe nueſtro Señor, Luis Primero deſte nombre en Eſpaña; eſcrita i dirigida por orden i acuerdo del Clauſtro a la Sacra, Real, Auguſta, Catholica Mageſtad de el Rei nueſtro Señor D. Felipe Quinto. En Salamanca. En la Imprenta de Maria Eſtevez, Viuda, Impreſora de la Univerſidad. Año de 1707. en 4. *Libellus hic non inamœnus eſt.* Examen diligente de la verdad. Demonſtracion Hiſtorica del Eſtado Religioſo de S. Pedro Paſcual de Valencia Obiſpo de Jaen, glorioſo Martir de Chriſto, i Dotor iluſtriſsimo, Religioſo que fue del Real i Militar Orden de nueſtra Señora de la Merced Redencion de Cautivos. En reſpueſta de lo que tiene eſcrito el Señor Dotor D. Juan de Ferreras, Cura propio de la Parroquial de S. Andres de eſta Corte, Primer Bibliothecario de ſu Mageſtad &c. Por Fr. Juan Interian de Ayala del miſmo Sagrado i Real Orden, del Clauſtro Theologo, i Cathedratico Jubilado de la Univerſidad de Salamanca, Predicador i Theologo de ſu Mageſtad &c. En Madrid. En la Imprenta de Don Gregorio Hermoſilla, en la Calle de los Jardines. Año de 1721. en 4. *Rationibus adeo ſolidis hoc argumentum probavit* Joannes Interamnenſis Ajalæus, *ut* Joannes Ferreras *literis ad eum datis, quæ publici juris factæ fuerunt, opinionem ſuam retractaverit.* Varios Sermones predicados en diverſas ocaſiones, i a diverſos aſuntos, por el M. R. P. M. Fr. &c. Primera parte. En Madrid. En la Imprenta de Don Gregorio Hermoſilla. Año 1722. en 4. *Hæc prima pars aliquot ante annos jam excuſa fuerat.* Parte ſegunda. En Madrid.

Por

Por Euſebio Fernandez de Huerta. Año 1720. *Hæ Orationes ad vulgarem Hiſpanum concionandi morem compoſitæ ſunt. Multa acute diſputantur ingenii gratia.* Relacion de las Reales Exequias que ſe celebraron por el Señor D. Luis Primero, Rei de Eſpaña, nueſtro Señor que eſtà en el Cielo, ſiendo Mayordomo mayor del Rei nueſtro Señor (Dios le guarde) i egecutandolas por ſu Real precepto, el Excelentiſsimo Señor, Señor Don Juan Manuel Fernandez Pacheco Acuña Giron i Portocarrero, Marques de Villena &c. Eſcrita i dada a luz por orden de ſu Excelencia. En Madrid. En la Imprenta de Muſica, por Miguel de Rèſola. Año 1725. *Hanc Narrationem anonymam elegantiſsimam mihi dono miſit ipſe* Ajala, *ſcripſitque mihi eſſe ſuam: quod & ipſe etiam adnotavit ad marginem pag.4. Unde liquet ipſiſsimum fuiſſe autorem ſupra memoratæ Narrationis. Eodem anno legi ejuſdem Orationem, quam, ob ſermonis ſuavitatem, & quia poſtremò ab* Ajala *habita fuit, non immerito Cygneam dixeris. Publicata fuit in Narratione Exſequiarum quas Regia Academia Hiſpana celebravit pro Cl. Viro* Joanne Emmanuele Fernandezio Paccieco, *Marchione Villenenſi, Primo illius Academiæ Inſtitutore, & Directore. Quam Narrationem mihi per tabellarium publicum miſit Cl. Vir* Mercurius Lopezius Pacciecus *Villenenſis Marchio.*

MARTINUS MAJANSIO SUO S.D.

NArro tibi rem permoleſtam. Mihi manus intuli, & viſcera mea diſcerpſi. Nempe, venit ad nos bibliopola quidam Londinenſis; ſpecie quidem ut libros noſtros videret; re autem, ut, ſi fieri poſſet, precio à me extorqueret. Igitur iis diligenter inſpectis, animi ſententiam aperuit. Nec ſurdo dictum eſt, nec nolenti. Itaque tribus verbis tranſacta res eſt. Valde enim cupiebam libros diſtrahere, quorum nullus mihi uſus. Jamdiu enim non mihi tantùm oculi caligant; ſed & palpebræ, ignei cujuſdam humoris affluxu, moleſtiſsima quadam prurigine infeſtantur. Neque ſubſidium mihi ullum ab optice. Simul enim mihi tenebræ oboriuntur. Ad hæc, cruciabar animo, in hac bonarum literarum ſolitudine nondum mihi licere perſonam mutam exuere,

quam

quam per tot annos ſuſtinui. Ut ne ſtudiorum noſtrorum ratio ulterius mihi fraudi eſſet. Denique (quod omnium caput eſt) præſagiebam fore, ſi libros reliquiſſem ſuperſtites ; ut ſcombris piperique eſſent cuculli, thuriſque involucra , vel (ſi Dis placet) Latrinis emunctoria præberent. Itaque , angore potiùs animi ac deſperatione , quam ſponte atque ex ſententia , inviſam ſupellectilem domo abegi. In eoque mentis æſtu hos verſus panxi.

Infauſtis avibus libri exarati,
Et chartæ ſteriles , abite in ignem.
Quin vobis malè ſit , probroſæ , inertes,
Caſſæ literæ ; in crucemque ſontes
Ite , triſte mihi atque inane nomen.
Tuque inviſa Minerva , diva fallax,
Gnavæ pernicies bonæque mentis,
Futilis Dea , numen inficetum,
Letbale illicium , faceſſe longè.
Noſtram deſine faſcinare mentem.
Odi teque , doloſque , abominorque
Pellaces laqueos , laborioſas
Quis ſoles animas , potens nocendi,
In triſte exitium vocare. Noctes
Inſano ſtudio , atque pertinaci,
Exhauſtæ , male collocatæ , inanes,
Periſtis penituſque funditusque.
Lævo numine lucubrata ſcripta,
Infauſtis avibus libri exarati,
Et chartæ ſteriles abite in ignem.
Olim deliciæ , quies , levamen
Languentis domini , & labore feſsi:
At nunc quiſquiliæ , meræque nugæ;
Et gerræ illepidæ , valete multum.
Sacræ Mulcibero flagrate chartæ,
Abſumat pluteoſque codiceſque
Vulcani rabies. Vorate cuncta.

Quæ me intemperiæ, furorve adegit,
Ut luſtrare adytum ſacrum repoſtumque
Auderem ſtolidus, ſacrumque limen
Minervæ? atque ſacros movere poſtes?
Heu! me perdidit ingenI venuſtas.
Huc, huc Bibliopola nundinator,
Tot volumina, ſarcinas inertes,
Aufer hinc, apinaſque næniaſque.
Evolvant quibus obſequentiorem,
Et lætam ſuperi dedere ſortem.
Me fortuna premitque conficitque
Atrox, lurida, triſtis, invidenſque.
Utque olim citharoedus ille, vitam
Duxi anakroatos, *ſilente fama,*
Ignotus patriæque civibuſque,
Atque inglorius. O! *ſatis ſuperque*
Væcors deſipui. Valete priſca.
Nugarum ſatis atque ineptiarum.
Tintinnabula vana, barbarique
Stridóres, Scythicæ ſonus loquelæ,
Regnate incolumes vetante nullo.
Mirentur ſtolidique ſtipiteſque
Rixoſa crepitacla morionum,
Inaneſque ſonos, nuceſque caſſas,
Et ſqualentis agri aſpra ſenticeta.
Nos, quis contigit auribus Batavis
Verba fundere, verberare ventos
Incaſſum, & ſteriles arare campos;
Stertamus validè, atque utramque in aurem
Dormianus. Iners premat ſupinum
Somnus, obſtrepero ſonante roncho.

Valentiæ Eidibus Aprilis an. MDCCXXVIII.

GRE-

GREGORII MAJANSII,
GENEROSI, ET ANTECESSORIS VALENTINI,
EPISTOLARUM LIBER VI.

I. *GREG. MAJANSIUS GENEROSUS VALENTINUS Jo. Burch. Menckenio J. C. eximio, & Consiliario Regio, S. D.*

QUO magis eruditio tua cultioribus gentibus, non cognita solum, sed summam etiam æstimationem apud eas adepta est; eo minus mirari debes Vir Cl. salutari te ab incognito. Noveram ego diu præclarissimum ingenium tuum ex disertissimis tuis *Declamationibus De Charlataneria Eruditorum.* At mihi nunc humanitatem narravit laudavitque tuam nobilissimus Baro *Schombergius*, Vir perelegantis & peramœni ingenii, ac subtilissimi palati. Præterea dixit habere te literarum commercium cum Nationum omnium eruditissimis viris, Hispanis exceptis. Minime id quidem mirum. Nam nihil in Hispania minus quam literæ curantur. Pauciſsimi sunt qui colunt eas: ceteri barbariem. Quod cum ægre tulerim semper, & Valentiæ degam, quæ bonarum artium sedes ac domicilium habita est, existimavi me debere aliquid literarum ad te dare. Non ut intelligas ex me, quales, quanti-

tique ſint Valentiæ viri (cum præter amorem literarum nihil oſtendere poſsim) ſed ut ſaltem ſcias eſſe etiam hic qui te legerit, qui ſubactiſsimum ingenium, & eruditionem tuam miretur; denique qui te ad literarum commercium provocare audeat. Quanquam autem Baro *Schombergius* me puto tibi depinget; ejus in me amor tibi debet eſſe ſuſpectus. Expreſsius nemo repræſentabit me, quam ſcriptiunculæ meæ, quæ animi ſunt ſpeculum minime fallax. In eum finem ad te miſi Opellas aliquas, non omnes: nam & ego ipſe ſic parvi facio eas, ut facile paſſus ſim carere aliquibus. Illas ad te mittet, cum occaſio erit, nobiliſsimus *Schombergius*. Hinc facile intelliges meum in te, & in literas amorem: adde ingenii candorem, & voluntatem amicis liberaliter officioſam. Præter hæc ſi quid expectaveris, ſpem tuam fallam. His ſi uſus fueris, rem mihi facies gratiſsimam. Vale, Vir eruditiſsime, & me tui amantem redama. Valentiæ in Edetanis XI. Kal. Julias. Anno 1730.

II. *CONSULTISSIMO ET GENEROSISSIMO VIRO* Gregorio Majanſio, *Anteceſſori Valentino*, *S. P. D.* Jo. Burchardus Menckenius.

QUantum mihi gaudium attulerit epiſtola tua Valentiæ die XI. Kal. Julii ad me data, verbis exprimere haud valeo: eſt enim prima, quæ, quod pridem optaveram, mihi venit ex Hiſpania, & quidem elegantiſsima, e qua vires tuas & virtutes eximias velut ex ungue leonem agnoſco. Libros tuos, pro quibus immortales ago, habeoque gratias, jam impatientiſsime præſtolor, daturus operam, ut, quam primum licebit, commendentur orbi litterato in Actis noſtris eruditorum, quæ me (atque olim Patre meo) directore per annos fere quinquaginta ſine ulla intercapedine ſingulis menſibus prodiere, & adhuc prodeunt de novis libris in

om-

ōmni Europa (ſi ſolam Hiſpaniam excipias : nam e Luſitania quoque quædam nuper ad nos allata ſunt) conſcripta : quod inſtitutum te latere vix poteſt. Quam vellem adduci te patiaris, ut ſubinde per literas mihi nuncies , quid nuper præclari apud vos actum ſit in re literaria, Hiſtorici in primis argumenti , indicatis librorum titulis annoque & loco quo impreſsi , ipſaque forma libri , quæ res non nobis modo , verum & Reipublicæ Literariæ univerſæ , cui ſcribimus , futura eſt perjucunda , præſertim ſi quæ de Autore aut libri dignitate notanda ſunt , addere luberet.

Eſt præterea aliud quod ſumopere abs te expeto. Commendavit mihi illuſtris *Schombergius* typographum Madritenſem N. qui ad commercium librorum mecum inſtituendum proclivis viſus eſt. Huic mittam *Acta Eruditorum* integra , quæ nunc conſtant ſexaginta duobus voluminibus in 4. atque is mihi per compenſationem remittet libros intra triennium, vel quadriennium in variis Hiſpaniæ locis excuſos ſive Hiſpanicos, ſive Latinos (hos tamen etiam paulo vetuſtiores) ſed Hiſtoricos maxime, Philologos, ſi qui ſunt , Juridicos etiam & litterarios. De Theologis , Poëtis , & Interpretibus minus me fateor ſollicitum. Cum vero mihi haud conſtet quinam apud vos intra annos haud ita multos prodierint libri alicujus pretii ac lectu digni , quæſo te , ut N. per litteras indices, quos ad me mittendos cenſeas : quod ego magni beneficii loco habebo.

Ceterum quod eſſe aliquid putas meas nugas , ſub barbara *Charlataneriæ* voce editas , mirum mihi videtur: Ego certe hic omnia indicta mallem. Transferri interim liber meruit in linguam Gallicam , Anglicam , & a binis interpretibus modo diverſo in Germanicam : ut in Hiſpanicam etiam transferatur , ſperare nequaquam poſſum: ſaltem caſtigandus aut caſtrandus fuerit nonnullis in locis , forte tamen & civium exemplis augendus. Edidi vero & nuper tres tomos non exiguos *Scriptorum rerum*

Ger-

Germanicarum fol. quorum maximam partem hunc demum produxi ex tabulariis Principum : ſed forſan hæc minus curant veſtrates. Quod reliquum eſt , me amare perge , & cura ut valeas. Vale. Dabam Lipſiæ d. xx. Sep. MDCCXXX.

III. *ILLUSTRISSIMO , ET ERUDITISSIMO VIRO Jo. Burchardo Menckenio, Conſiliario Regio S. P. D. Greg. Majanſius.*

JAm ſpem amiſeram accipiendi literas , quas illuſtriſſimus *Schombergius* te mihi reſcripſiſſe nunciaverat, deſtinabamque iterum ad te ſcribere , ut ſignificares ſi quid eſſet quod me curare velles ; cum ecce tandem ad me perlatæ ſunt , Madridii hactenus detentæ. Quanto cum gaudio eas legerim , non eſt neceſſe dicere , cum tandiu a me expectatæ fuerint , & ab eo venerint , cujus eruditio orbi literario ita innotuit , ut non ſolum ipſa præclariſsima ſit ; ſed & per ipſam multi præclariſſimi facti , qui alioqui (licet immerito) in oblivione jacerent. Quo magis æquum eſt , ut immortales ego tibi habeam gratias , propterea quod nomen meum vis inſerere in *Acta Eruditorum.* Quod ſi ab amico judice aliquid honeſte concedi poteſt , nunc opportunum tempus utendi præclaro illo rogandi judicis more , ut per te teneam *quæ ſalva fide facere poſsis.*

Videris velle ut ſubinde per literas tibi nunciem quid nuper præclari apud nos actum ſit in re literaria. Equidem ut dicam quod ſentio ; nunquam in Hiſpania tot prodiere libri , quot nunc ; ſed neque unquam viliores. Unum aut alterum excipio. Idcirco ex Scriptoribus recentibus vix lego quenquam. Paucorum tamen quos legi , & nunc ad manum habeo , mitto tibi indiculum, & criſim. Bona pars librorum Madridii ſolet publicari. Ad nos niſi unus , aut alter non defertur , & cum ali-

quis

quis petit: nam vel librarii (qui in Hiſpania ſolent imperitiſsimi eſſe) vilitatem mercium agnoſcunt, eaſque adeo non curant, cum videant raro invenire emtores. Ita fit, ut ſit difficillimum, vel ipſos libros inſpicere. Nuncius ille ſeptimanus meros deſcribit titulos, mera nomina auctorum, ſed neque librorum figuram, neque Typographos deſignat. Si e re tua eſt habere hanc qualemqualem notitiam, indicem prolixum, ſed minus accuratum mittam. Scit Cl. *Schombergius*, aliud hic non poſſe præſtari. Si Madridii degerem, deſiderio tuo facerem ſatis. Cl. *Franc. Dionyſius Camuſatus Neſuntinus*, Pariſiis ad me literas dedit, quibus ſignificavit cupere ſe, ut ſibi mittam librorum meorum indicem. Id facile factu, atque nunc in eo ſum. Deſcripſi jam *Bibliothecam Juridicam*, ſinguliſque ſcriptoribus, imo ſingulis ſcriptorum libris, adjunxi criſim breviſsimam. Spero hanc diligentiam eruditiſsimo *Camuſato* non ingratam futuram. Sum præterea occupatiſsimus in recenſendo *Jo. Puga*, Salmanticenſi legum Doctore celeberrimo, qui octo ab hinc & triginta annis vita deceſsit in mari ab Italia rediens. Exemplar eſt mendoſiſsimum. Itaque majorem ſuſtineo laborem, quam ſi Augiæ ſtabulum purgaturus eſſem. Ad hæc locupletiſsimos & rerum, & legum indices conficio. Scribam & auctoris vitam. Prodibit opus Lugduni 2. volum. in fol. Gratiſsimum erit reipublicæ literariæ; continet enim viginti duos Tractatus ſummo ingenio, ſummaque diligentia elaboratos. Vix ſuſcepit argumentum, in quo omnes ante ſe ſcriptores non vicerit, doctrinæ copia, atque judicio. Defuit ei eruditio. Sed, ut erat homo prudentiſsimus, continuit ſe intra legalia argumenta, pedem minime proferens ad amœnitates Juris. Scripſit tamen ſtilo ſatis eleganti. Plura de illo dicam in ejus vita.

Hoc etiam anno (ut confido) prodibit Hagæ apud *P. Hondtium Jo. Marianæ Hiſtoria de Rebus Hiſpaniæ*, cui accedet ejuſdem *Hiſtoriæ Nova Continuatio* uſque ad ini-

initia Regni *Philippi III.* auctore *Josepho Mignana* Fratre Trinitario, viro dum viveret, subactissimi exculissimique judicii. Veritatis fuit amantissimus, ut Historicus debet, diligentissimus, prudentissimus. Stilus ejus (si gravitatem addas) *Plautinus* est, aliquibus aspersus archaismis, quos aut ille affectabat, aut contraxerat ex *Plauti* assidua lectione, quo maxime delectabatur, adeo ut memoriter soleret recitare. Excipietur hoc opus communi eruditorum plausu. *Declamationes* tuas *de Charlataneria eruditorum* in tot linguas conversas minime miror: sunt enim lepidissimæ. Aliquot ab hinc mensibus (antequam aliæ me occupationes distringerent) eo inclinabat animus, ut in Hispanicam etiam transferrem, novisque exemplis, quorum feracissima Hispania, ea loca supplenda existimabam, quæ tu putas recidenda hic fore in tali casu. Sed ne quid de occupationibus dicam, veritus sum, ne inde mihi major invidia, & odium crearetur. Nam nostrates nihil æque solent odisse quam studium Critices. Nempe sine eo major est libertas scriptitandi somnia. Religionis caussam semper excipio. Primus ego specioso prætextu laudandi *Didacum Saavedram*, sub Persona Laudatoris, de aliquibus auctoribus judicium feci. Et incredibile dictu est quanta mihi invidia inde suborta sit. Spero tamen aliquando fore, ut recipiscant nostrates, tuncque profecto intelligent, me judicasse benignissime.

N. significavit mihi, e re sua non esse permutare libros recens in Hispania editos, cum tuis *Actis*. Caussam ille non declaravit. Verum facili conjectura assequi videor. In *Actis* istis proculdubio multi laudabuntur, qui in Romanis Hispaniciisque Indicibus prohibitorum librorum, proscripti sunt. Itaque, antequam *Acta* vendi possent, prius examinanda essent; postea forsan prohibenda. Quare *Acta* ista usui esse non possunt nisi paucissimis iis qui ab Inquisitore Generali veniam habent legendi quoslibet libros, uti ego habeo. Gaudeo te *Scripto*

torum rerum Germanicarum editionem adornaſſe. Quid facias, niſi Rempublicam literariam novis illuſtrare operibus? Poſthac frequentes ad te literas dabo, quibus reſcribere poteris, aut recta via per tabellarium cum Hiſpana Epiſtolæ inſcriptione, aut per illuſtriſsimum *Schombergium*, cujus Epiſtolæ ad me cito, ac ſecure transferuntur. Valetudinem tuam cura diligenter: meque tui amantiſsimum redamare perge. Valentiæ in Edetanis XII. kal. Aprileis. An. MDCCXXXI.

IV. *EXCELLENTISSIMO VIRO DOMINO D. JOANni Cervellioni, Caſtelvinio, Colomæ, Alagonio, & Borgiæ, Comiti Cervellionis, Marchioni Villæ Torcæ, Baroni Oropeſæ, Hiſpaniæ Magnati, Imperatoris Caroli VI. a Conſiliis, & a Cubiculo.*

Ex.me Domine.

PRopoſitiones iſtas Legales ſpero multis de cauſsis tibi gratas futuras. Primum quia mittit tui Clientis Filius, cujus obſequium minime deſpicies, cum Parentis officia tam libenter accipias. Deinde quia veniunt, non ab Ithaca illa in aſperrimis ſaxis tanquam nidulo affixa, ſed ab hac urbe amœniſsima, altrice tui. Quod ſi Ulyſſes ille ſapientiſsimus, vel Patriæ ſuæ fumum exoptabat cernere, cur tu Vir prudentiſsimus legere non gaudeas Poſitiones iſtas in ea Academia propugnatas, ubi ſapientiæ tuæ qua nunc præditus es, præclariſsima quondam dediſti ſigna; ubi primis literis inſtructus, & in tantum virum evadere cœpiſti? Denique munuſculum hoc literarium eſt: quo vel ſolo nomine tibi placiturum certo ſcio. Nam quis eſt qui te amore literarum ſuperet? Nec tantum illas amare contentus es; ſed tibi etiam familiariſsimas feciſti: quod cum in homine privato per ſe magnum ſit, in Hiſpaniarum Magnate

multo majus eſt , in tanto vero literarum deſpectu , etiam maximum , & ſupra quam dici poteſt , prædicandum. Idque in te eo plus admiror, quo magis ego contemplor vitæ tuæ rationem ; nam neque ſtudium ardens te diſtrahit a negotiis publicis : neque ab illo hæc avocant. Itaque horis ſubciſivis ſic vacas literis , ut Umbraticus Doctor ; reliquis, negotiis, ut Aulicus. Duplicem hoc pacto vitam vivis , atque unam efficis, Sapientem & Politicam. Vixere ita pauci quos ſorte quadam divina capaciſsimum ingenium habere contigit. Vixere ita *Scipiones*, *Lælii*, *Cicerones* , *Cæſares*. Ita ſuo exemplo te docuit vivere Parens tuus : ita vivis. Unde illa orta controverſia , utra major ſit , Eruditio tua , an Prudentia. Ab illa parte literati : ab hac politici. Utrique certant acriter : & adhuc ſub judice lis eſt. Ego te nunc exopto literarum fautorem. Si Patronus fuero, fortaſſe in aliam ſententiam ibo. Vale, o & præſidium, & dulce decus meum. Deum veneror, Amice magne , ut publico bono te diu ſoſpitem felicemque tueatur. Valentiæ in Edetanis. Septimo decimo Kal. Decembreis. Anni MDCCXXX.

Ex.me Domine

Tibi devotiſsimus Cliens

Vincentius Nicolaus Millera & Seſsè.

V. *EXCELLENTISSIMO VIRO JOANNI CERVELLIONI & Caſtelvinio , Cervellionis Comiti Greg. Majanſius , S. D.*

LIcet in literis tuis, præſertim iis quas dare ſoles ad Cl. Virum *Joſephum Caſtelvinium* fratrem tuum multa & egregia indicia protuleris tuæ erga me benevolentiæ; ta-

tamen nunquam ſum auſus tibi gratias agere ; ne mihi nimis arrogarem, ſi quæ tu conceſsiſti humanitati, ea ego intelligere viderer, tribuiſſe te meo merito. Præterea verebar, ne, qui non ſolum præclarè agendi, ſed & optime dicendi tenes artem, illud præ oculis haberes, *in excitando & in acuendo plurimum valere, ſi laudes eum quem cohortere.* Verum, qualecumque fuerit conſilium tuum, ſi forte pecco interpellans te, humanitati tuæ id imputabis. Ego videri ingratus neque debeo, neque volo. A qua nota ut ſim liber, velim intelligas, me non ſolum redamare te, ut tua merita erga me poſtulant; ſed & maximi te facere ob tuas egregias virtutes. Unus enim es in paucis qui Valentinæ gloriæ memor, noſtrorum popularium decus es, & ornamentum eximium. Nam, ut omittam ſingularem tuam prudentiam, & negotiorum explicandorum egregiam ſcientiam uſumque; cum præterea ſis nobiliſsimus, ita a puero coluiſti literas, quaſi ab iis vitæ ſubſidium petiturus eſſes. Itaque non ſolum Latinas Græcaſque literas optime calles, quod in noſtra nobilitate magnum aliquid eſſet, & admirabile ; ſed & utrâque lingua elegantiſsime ſcribis. Unde fit, ut veros eruditos agnoſcas, foveas, protegas; & vel literarum ſtudioſos, qualis ego ſum, exiſtimes dignos benevolentia tua. Te igitur ego non diligam? Non admirer? Tibi gratias non agam? Ago, vel potius habeo maximas. Atque hic quidem conſiſterem, ſi in iſta gloriæ altitudine tibi conſiſtendum eſſet. Cum multa tibi debeam, plura me tibi debiturum ſpero. Benevolentiæ tuæ fructum ego cœpi maximum; doctrinæ non niſi indicia, licet ea profecto præclariſsima. Quando igitur de tuæ eruditionis theſauris aliquid in publicum proferes ? Quando præterea beneficio tuo continget legere *Villegatem* tuum, & tibi debebit Hiſpania iſtius non minus eximii, quam ignoti Poëtæ editionem ? Quando publicabis (quod tibi in votis eſſe ſcio) *Minianæ* noſtri *Hiſtoriam De bello ruſtico Valentino*, & ejuſdem aliquot

Epiſtolas? Equidem ego, ut tibi vellam aurem, edi brevi curabo *Minianæ Hiſtoriam de rebus Hiſpaniæ*, quam Valentiæ nunc deſcribunt amanuenſes quatuor, & ubi erit deſcripta, mittam Hagam ad *Petrum Hondtium*, ſumtibus ejus publicandam. Ad extorquendum autographum uſus ſum autoritate *Blaſii Joverii* Proprætoris Valentini, cujus filius *Hyacinthus* duodecennis puer *Hiſtoriam* hanc publici juris faciet, ut tam illuſtri merito innoteſcere incipiat. Ejus autem pater recepit, emturum ſe juſto pretio exemplaria centum, ut invitaretur *Hondtius* ad editionem *Marianæ*, *Continuationiſque* hujus *Hiſtoriæ* ab noſtro *Miniana* factæ. Quæ omnia acta tranſacta, me agente, & autoritate Cl. Baronis *Jo. Baptiſtæ Schombergii*, juvenis excellentiſsimi judicii, & exquiſitiſsimi ſaporis. Præterea totus ſum in colligendis meis *Epiſtolis Latinis*, quas, ubi Valentiam rediero, publicabo, & continuo mittam ad te. Accedent plures *Emmanuelis Martini*, aliquot *Minianæ*, nonnullæ aliorum virorum eruditiſsimorum, quorum aliquos noſti, alios denuo cognoſcere gaudebis. Ex hoc libello conjecturam facies præſentis ſtatus literarii in Hiſpania.

Lugduni nunc excuduntur *Tractatus Academici* (ſcilicet duo & viginti) *Joannis Pugæ & Feijoo, J. C.* & Primarii Salmanticenſis Anteceſſoris celeberrimi, octo & triginta ab hinc annos vita defuncti. Vir fuit acutiſsimi ingenii, diligens, copioſus, & licet humanioribus literis leviter tinctus potius, quam imbutus; ſtillo tamen ſcripſit plerumque perſpicuo, & non ineleganti. Ejus *Tractatus* amanuenſium culpa mirifice depravatos ego recenſui: quibus Autoris vitam præmiſi, & in ea criſim, quantum potui, accuratam, illius operum, quæ diviſa erunt in duo prægrandia volumina. Sic ſunt res noſtræ.

Nunc ſum Olivæ. Huc venire ſoleo æſtivarum feriarum tempore, animi reficiendi gratia, & cauſſa patres viſendi, cum quibus jucundiſsime vitam tranſigo. Veni centum, ut meus mos, comitatus libris. Eorum varietas

me

me mirificè recreat, atque delectat. Accedunt amicorum confabulationes gratiſsimæ, deambulationes amœnæ. Aliorum rebus non immiſceo me, neque ad eas pertrhai patior. Togas candidas non curo : alias, quas ſi vellem, forte induere poſſem , nimis nigras exiſtimo, ob curas ſcilicet nigerrimas quas afferunt , & irrequietem vitam. Nihil mihi placet niſi quod cum tranquillitate animi conjunctum eſt. Brevi Valentiam redibo. Bibliothecam tuam ſelectiſsimam frequenter viſam : & quoniam te frui non licet, fruar veteribus illis amicis tuis. Da operam ut valeas, meque tibi nullo officiorum genere defuturum eſſe, confide. Olivæ. Poſtridie Nonas Octobreis. An. MDCCXXXI.

VI. *J. BASILIUS CASTELVINIUS GREGORIO MAjanſio eximio Juriſconſulto S. D.*

SEra mea epiſtola , aut certe tarda videri poteſt, ſi *anantiphoneſian* tantummodo ſpectas. Quamobrem excuſari me primum omnium meritiſsimo cupio. Diſtuli ad te ſcribere non libens, ſed quia verebar tecum de hoc genere exercitationis certare. In ipſo fateor , etiam Minervam noſtram aliquando luſiſſe, ſi non ornata, liceat dicere, non omnino incompta oratione ; ſed poſtquam hæc reliquimus, & ad graviora , magiſque ſeria , & ſi non tam grata , convertimus vela , ut ratio temporum poſtulabat , diuturna ceſſatione , ingenium deſuefactum hebeſcere cœpit, & bonarum artium, quibus à puericia ſtuduimus, aliquem uſum, abſque ipſa exercitatione, retinere non valemus. Huc accedit quod per hoſce dies diſtrahar ac diſtinear negotiis : vix otium ſæpe ad aures ſcalpendas eſt : ipſum mihi eripiunt non ſollennes ſolum occupationes, ſed novæ , ex inopinato ſupervenientes, quæ alternis viciſitudinibus, me circumagunt ; ita ut in mare tranquillum lapidis jactus gyros incitat propè innumerabiles, pauxillulos primum, poſt majores, indeque ma-

maximos, continua progreſsione ſeſe viciſsim propagantes. Sed hæc quid attinet commemorare ? Venio ad epiſtolam tuam. Quam grata mihi acciderit, haud facile dicam : nam in ipſa agnoſco affectum, video de me judicium ; illum amplector, & repono : hoc, & ſi plurimi facio, verecunde refello, & velim eſſe quanti me habes. Allicit nos amor, ſua vi trahimur, & coecutire nos facit benevolentia : nam ea eſt amantium natura ut nihil videat in amato niſi magnum, niſi ſplendidum : ut nihil in amico cernat amicus præter ea quæ honeſta ſunt, quæ magnifica, quæ ſublimia. Verum non inficiar eſſe in me quandam naturæ vim, quandam *energeian* quæ, à teneris annis, ad Muſarum ſacra me, velut afflatum, rapiebat. Gratiſsimos habebam quoſqunque noveram humanioribus ſtudiis deditos, addictoſque. Adamabam eos, impenſe perquirebam, amplectebar, proſequebar vehementer. Hinc evenit mihi illa tam nota omnibus ſuaviſſima neceſsitudo cum *Martino* noſtro. Scis de quo loquar. De illo nempe præſtantiſsimo Viro virtutis ac ſapientiæ gloria : cujus lucubrationibus, inſtitutionibus, ac præceptis tantum debeo quantum perſolvere vix fas eſt: pro noſtro tamen ſtudio illi immortales gratias agam: ipſas referat & ipſi patria noſtra, ſi verbis patitur tanto beneficio ſatisfieri : cum jam videat, ope illius, Græcam & Latinam linguam bonaſque litteras poſtliminio redeuntes, ac velut e radice repullulantes, unde ipſæ barbarorum hominum ſævitia, pæne exulabant. Sed quò me rapit oratio? Redeamus in viam. Jam diu eſt, cum ex litteris *Joſephi* fratris haud difficulter proſpiciebam, te ad me mittere nonnullas amoris tui ſcintillas, quas libentiſsime obſervabam, quarum ſplendore delectabar, & quibus facillime accendebar, eo magis quod jam illo tempore, de multiplicis eruditionis tuæ laude, de facillimis, ſuaviſsimiſque moribus, mihi multa, ſecundo rumore perferebantur. His adde ſtudiorum ſimilitudinem, charitatem in patriam, & communium amicorum con-

ſue-

suetudinem : quæ vincula etsi jam ante nos conjunxerant, spero fore ut ipsissimis magis magisque astringamur. Ego animum meum tibi profecto emetiar , & studii officiique diligentia , fortasse aliquando consequar tibi esse persuasum meam tibi benevolentiam nunquam defuturam. Præterea ut aliquid tibi gratum faciam , conabor *Villegatis* opera edere ubi primum nonnullas possim exsorbere difficultates. Videbis Poëtam nitidum , facilem, elegantem , qui in Poëmate *de nuptiis Philippi* & *Isabellæ* , taurorum & cannarum ludrica spectacula summa tractat venustate,

Nunquam carminibus vatum tentata priorum,

Ut ipse ait. Miraberis suavissimas *Eclogas* , quæ , si *Virgilianas* excipias , à quibus non longe absunt , ullis aliis minime cedunt. Sermonum structuram observabis mascularn , vividam , *Horatianis* numeris mirifice contextam. Denique te spero valde delectandum congerie non parva epigrammatum : ex quibus alia *Plautinis* salibus condîta, non ingratum sortiuntur saporem : alia quidem *Martialis* vibrantibus sententiis jucunde micant. Tandem,ne abutar patientia tua ista minutissime recensendo , ipsa tuo judicio permitto : & quovis pignore contendam tibi jucundissima fore. At necquicquam antiquius habeo quam *Mignanæ* nostri Opusculum *De bello rustico* in lucem proferre , una cum *Dialogis de Theatro & Dissertatione de Circo Saguntino* , variisque Epistolis : quæ omnia haud dubito quin efficiant justum volumen : quibus suprema officia amoris , studii , ac pietatis exsequi valeam, ut te tuis vestigiis persequar , qui tota mente incumbis in *Historiam Marianæ* , ejusque *Continuationem Mignanæ* edendam. Age jam, recense, quam primum adorna *Tractatus Academicos* celeberrimi Jurisconsulti *Jo. Pugæ.* Brevi expedi , redige in unum tuas & clarissimorum virorum epistolas , quibus non temere auguror trans maria etiam & Alpes , ab exteris gentibus plausum multiplicem dandum. Quare pro ea quæ mihi tecum est amoris , offi-

cii-

ciique conjunctione, te rogo & adhortor etiam, ut in eas curas & cogitationes, magnis conatibus incumbas, quæ tibi ſummam ingenii famam, & nominis gloriam adferent. Relinque aliis candidas togas nigraſve: illæ ſæpe ambitione inquinantur: iſtæ aliquando à blattis tineiſque obroduntur. Ingenii laus tua nunquam eſſe deſinet, quam facile in hoc ſtudii deflexu obtinebis. Habes ad epiſtolam tuam. Sed antequam manum de tabula, illud non prætereundum duxi, quod ex *Joſephi* fratris litteris accepi, te animo cogitare, immo etiam & paratum eſſe librorum bibliothecæ noſtræ indicem facere; quo fiat eorum abſentia levior, & ut illorum deſiderium mollius ferre queam, cum mihi liceat ipſorum memoriam refricare. Quamobrem fateor me tibi magnopere devinctum eſſe. Sed jam non licet diutius tecum garrire. Valere te jubeo, & abs te redamari opto. Vindobonæ. x. kal. Februarii. anno CIↃ IↃCC XXXII.

VII. *MICHAEL EGUAL GREGORIO MAJANSIO, Generoſo, Anteceſſori Valentino, & amico ſuo eximio, S. D.*

VEhementer gaudeo *Declamationum* mearum cenſuram a Regio Caſtellæ Senatu tibi mandatam eſſe. Critici perſonam tantiſper depone, & amici utere. Omnes tui domeſtici bene valent. Ego quoque. Verum ſermones tuos amœniſsimos valde deſidero. Quoniam vero hanc jucunditatem mihi abſentia ademit, ſi quando ſum otioſus, ſcripta tua lectito: atque in *Didaci Saavedræ Panegyrico* animadverti, te nominaſſe *Balthaſarem Gracianum*, quem vulgus & inſcripti libri appellant *Laurentium*. Id ipſum ego acceperam a clariſsimo & eruditiſsimo Viro *Didaco Vincentio Vidania*, magno Aragoniæ lumine & ornamento. Fama ne permotus, an aliquo teſtimonio id aſſereret, non memini. Cum autem tu eodem lo-

loco dicas Cl. Virum *Laurentium Matthæum Sanctium* in ſua illa *Criſi* adverſus *Gratianum* latuiſſe ſub nomine *Sanctii Terzonis & Molæ*, retexi literas, & latentem inveni veritatem. In *Gratiano* diſpar ſucceſſus. Quare rogo te, qua ratione nixus (neque enim dubito quin aliquam habueris) immutaris nomina, ut ſi forte aliquis id reprehenderit, ego tueri poſsim. Præterea indica mihi quis autor fuerit Rhetoricæ illius Caſtellanæ anonymæ, cui tu inter vernaculas aliquando palmam dediſti. Reſcribe etiam an cenſeas *Cervantem* eſſe verum autorem *Quixoti*. In præſentia plura non occurrunt. Nec ſi occurrerent deceret, tua abuti patientia: nam proculdubio

——— *In publica commoda peccem*
Si longo ſermone morer tua tempora Mayans.

Vale literarum decus. Et me mutuiter ama. Olivæ. XII. Kal. Aprilis, Anni MDCCXXXI.

Illud in animo mihi ſedet immotumque eſt dedicare meam *Declamationum Verſionem* Cl. Viro *Joſepho Bermudetio* Conſiliario Regio, cujus eximiam prudentiam, doctrinam, humanitatem, liberalitatem toties mihi prædicaſti. Scio conſilium hoc tibi valde placiturum: adeo ut ſententiam tuam exquirere non ſit neceſſe. Iterum vale.

VIII. *GREG. MAYANSIUS MICHAELI EGUALI, AMICO ſuo dulciſsimo, S. D.*

PErbelle mecum jocaris. Vis ut abjiciam perſonam critici, ut eam ſumas. Amovi paullisper: non tamen abjeci. Itaque legi *Joannis Franciſci Lauretani Declamationes* in Hiſpanam linguam a te converſas; *Epigrammata* etiam quæ harum ſingulis addidiſti. Vis ut candide proferam judicium meum? Melior es ſcriptor, quam interpres. Vel ut aliter dicam: *Epigrammata* tua

mihi magis placent, quam *Declamationes* illius. In his multa puerilia: in illis omnia viro digna. Tibi igitur ſum autor, ut gravius argumentum ſuſcipias, ut judicium tuum magis innoteſcat. Venio ad quæſita tua.

Critici Magni autor proculdubio fuit *Balthaſar Gratianus* Jeſuita. Ita cenſuit eruditiſsimus *Nicolaus Antonius*: rationem attulit nullam. Forte quia communis omnium opinio erat. Ego ei aſſentior his conjecturis nixus. *Antonius Liperius* Clericus Regularis in Cenſura præmiſſa primæ Critici parti, ait legiſſe ſe librum *Compoſitum a Patre Laurentio Gratiano*. Quorſum illa *Patris* mentio niſi ut deſignaretur Jeſuita? Adde obiter illius Cenſuræ autorem ipſum eſſe *Gratianum*, ut ſtilus indicat plenus ingenioſis ſchematibus ſoni ſimilis. Familiare id ſcriptoribus, a quibus Cenſores deſignati ſolent petere cenſuras, ut eis gratificentur. Itaque non eorum ambitioni, ſed horum urbanitati imputandum eſt. Hoc ego obſervavi in quamplurimis ſcriptoribus, qui probe ſciebant optimo vino non eſſe ſuſpendendam hederam. Nominabo unum pro millibus *Jo. Marianam*, cujus prudentiam gravitatemque ſpirant judicia præfixa omnibus ejus operibus. Ad *Gratianum* redeo. Secunda pars Critici magni, etiamſi in fronte præferat nomen *Laurentii Gratiani*; tamen in Cenſura ei præpoſita (quam etiam puto ſcripſiſſe eundem *Balthaſarem*, & edidiſſe ſub nomine *Franciſci Andreæ Uſtarrozii*, Hiſtorici clariſsimi, prætendentis ab eo aliquantulum diſſentire, ut autorem ſe magis ſimularet) tribuitur *Garciæ cuidam de Matalones*, homini in Republica literaria plane obſcuriſsimo ignotiſsimoque. Unde clare liquet utrumque nomen *Laurentii* ſcilicet, & *Garciæ* ſuppoſitum eſſe. Atqui conſtat *Gratianum* quendam autorem fuiſſe, ut patet ex cenſura critica *Joſephi* cujuſdam *Longi* (ſub cujus etiam nomine latere voluit Jeſuita ille) cujus poſtrema verba ſunt hæc. *Omnia quæ legi redolent leporem & GRACIAN.* Præterea *Frater Stephanus Sans*, in cenſura præmiſſa tertiæ parti

(quam

(quam, ſicut & ſequentem *Alfonſi Munnozii Otaloræ* etiam puto eſſe ejuſdem *Gratiani*, non vero reliquas) ait autorem *Herois*, *Politici*, *Diſerti*, *Artis ingenii*, & *Primæ*, & *Secundæ partis Critici magni*, eundem eſſe ac *Tertiæ*. At niſi me fallit memoria in *Heroe* primæ editionis legiſſe memini acroſtichidem quandam in qua legebatur nomen *Balthaſaris Gratiani*. Cui acroſtichidi (ut hoc obiter addam) ſunt ſimillimæ quamplurimæ notatu digniſsimæ, quas legere poteris in libro Caſtellanis verſibus conſcripto cui Titulus eſt, *Aula Dei*: ubi animadvertere poteris laudatorum quorundam malignitatem deteſtabilem. Rurſus e diverticulo in viam. Cl. vir *Joannes Vincentius de Laſtanoſa* qui fuit amiciſsimus *Balthaſaris Gratiani*, ut inter alia conſtat ex *Secundæ partis criſi ſecunda*, quæ tota pertinet ad celebranda miracula (Hiſpane loqui liceat anagrammatis cauſſa) *de Salaſtano*, id eſt, ſi literas invertis, *de Laſtanoſa*; *Joannes* inquam *Vincentius de Laſtanoſa* in *Muſæo numiſmatum Hiſpanorum incognitorum pag.* 77. ita ſcripſit. *Pater Balthaſar Gratianus Societatis Jeſu, Rector olim Collegii Tarraconenſis, celebris ob artificioſa ſcripta, uti publice teſtantur, Heros excuſus ſexies in diverſis Regnis, Politicus Ferdinandus, Ars Ingenii & Acumihis, & alia quæ habet prælo parata &c.* Adde eundem *Laſtanoſam pag.* 5. tribuere *Balthaſari Gratiano Artem ingenii*, quæ tamen prodiit ſub nomine *Laurentii*, ſicuti *Criticus Magnus*. Hæc ſi diligenter obſervaſſent qui in oratione mea incuriam meam reprehenderunt, non adeo præcipiti judicio uſi fuiſſent. Saltem debebant, ut tu, modeſte quærere a me rationem ob quam inverti nomina.

Autorem *Rhetoricæ Caſtellanæ*, quam impenſe ante me laudavit vir elegantiſsimi ingenii *Joannes Petrejus* Toletanus Latina epiſtola diſertiſsima ei præmiſſa, exiſtimo fuiſſe *Michaelem de Salinas* Monachum Hieronymianum eruditiſsimum. Aliquorum eſt hæc opinio, quam indicavit *Nicolaus Antonius*, & libentiſsime probo.

Ad *Quixotum* quod attinet, ſcio fictam illam Hiſtoriam ab aliquibus tribui *Philippo IV.* nullo certe neque indicio, neque judicio. Veriſsimus autor eſt *Michael de Cervantes Saavedra.* Rectius dubitare potuiſſes, quiſnam fuerit autor illius ſecundi *Quixoti*, quem *Cervantes* in *Prologo ſecundæ partis*, ait, *genitum fuiſſe in oppido Tordeſillas, & natum Tarracone.* Nimirum eſt *Alphonſus Fernandez de Avellaneda* ex oppido *Tordeſillas*, qui impari ingenio, & repugnantibus Muſis auſus fuit publicare, vivo ipſo *Cervante Continuationem Quixoti*, eamque edidit *Tarracone apud Philippum Robertum* 1614. *in* 8.

Potuiſſes etiam dubitare de autore fabulæ illius *Amadiſii Gaulæ*: quem librum equitum imaginariorum primum fuiſſe, qui in Hiſpania fuerit excuſus, memorat *Cervantes* harum rerum peritiſsimus in eruditiſsimo illo *cap. 6. Primæ partis Quixoti.* Stupendæ lectionis vir *Ant. Auguſtinus Dialogo 2. pag.* 42. ait Luſitanos affirmare *Amadiſii* autorem fuiſſe *Vaſcum Lobeiram.* Illud ego nunquam credere potui, libellum inſcriptum *El Lazarillo de Tormes*, veram ſobolem eſſe ſapientiſsimi viri *Didaci Mendozæ.* Potius aſſentior *Fratri Joſepho Seguntino* Hieronymiano Monacho doctiſsimo diſertiſsimoque, qui in *Hiſtoria Sodalitii Sancti Hieronymi lib. 1. cap.* 35. Libellum illum tribuit *Fratri Joanni de Ortega* Sodali ſuo. Neque mirum videri debet cucullatum dediſſe operam hujus ſcriptionis generi, propterea quod tunc temporis apud Hiſpanos maxime invaluerat peſtis illa fabuloſorum librorum. Propterea etiam libellus inſcriptus *La Picara Juſtina*, qui prodiit ſub nomine *Franciſci de Ubeda* dicitur eſſe proles *Andreæ Perezii* Dominicani ſodalis. *Ea fama vagatur.* Sed mittamus ejuſmodi eruditionem, nam mihi videtur *Attilius* monere ad aurem, *Satius eſſe otioſum eſſe, quam nihil agere*: &, ut *Martialis* noſter diſertiſsime dixit,

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Con-

Consilium de tuo libello dedicando summo amico meo, & probo, & urgeo, & ut id facias obsignatis tabulis tecum agam. Neminem vidi qui sincerius quam ille amicitias colat, firmiusque retineat. Cum his literis habebis judicium quod feci *Lauretani* tui. Cum argumentum gravius suscipies, te laudabo diligentius, & pro tuo merito. Da operam ut valeas. Valentiæ. VI. Kal. Aprieis, Anni MDCCXXXI.

IX. *GREG. MAJANSIUS PETRO HONDTIO, S. D.*

SImul ac literas accepi tuas, conveni *Blasium Joverium* hujus Civitatis Proprætorem, & ab eo contendi maximo studio, ut pro ea qua valeret auctoritate apud Trinitariorum Fratrum Præfectum Provincialem, ab illo enixe peteret, ut *Josephi Mignanæ Historiam de Rebus Hispaniæ* in Archivo Valentini Conventus Virginis Mariæ Remedii custoditam mihi traderet, ut ad te mitterem sumtibus tuis publicandam. Recepit *Joverius* effecturum se quantum posset. Multæ difficultates amovendæ fuerunt, sed tamen ejus diligentia superavit omnes. Quamobrem intra paucos dies mihi tradetur ipsum autographum, quod ego curabo tibi tradi, ubi primum intellexero assentiri te conditionibus aliquibus, honestissimis omnibus minimeque duris. Conditiones autem hæ sunto.

P. Hondtius Joannis Marianæ Historiam de Rebus Hispaniæ, Latinam & integram prout inter *Hispaniæ Illustratæ* monumenta extat, & *Josephi Mignanæ Continuationem usque ad initium Regni Philippi III.* sumtibus suis publicato.

Editio esto accuratissima, elegantissima, & librorum figura numerusque secundum arbitrium *Hondtii*.

Marianæ, atque *Mignanæ*, neque verbum unum tollito *Hondtius*, aut per eum alius, neve adjicito *Historiæ* con-

contextui. Verumtamen *Indices* locupletiores conficiendi esto jus facultasque, si visum fuerit *Hondtio*.

Hyacinthus Joverius Blasii filius utramque *Historiam* dedicato *Hispaniarum Regi*. Idem addito *Præfatiunculam* in qua de *Mignanæ* Judicio, eruditione, prudentia, eloquentiaque dicatur aliquid.

Greg. Majansius jussu Regii Castellæ Senatus judicium præmittito de more Continuationi *Mignanæ*.

Postquam edita fuerit memorata Historia, mittito *P. Hondtius* 60. exemplaria eleganter compacta, quorum omnium pretium ejusdem *Hondtii* arbitrio *Blasius Joverius* persolvet ei, qui exemplaria sibi tradiderit.

Qui secus faxit, improbus esto, & quantum interesit feciisse adversus ea, persolvito.

Vides omnes conditiones bonas esse honestasque. Hæ si tibi placuerint, curabo, ut mercator aliquis in se recipiat in manus tuas tradere *Mignanæ* autographum. Quam magnum sit volumen dicere non ausim, nam etiamsi dum viveret *Mignana* singulos codices mihi legendos daret, nunquam venit in mentem numerare illos. Nisi me fallit memoria, *Marianæ Historia*, quadruplo, ad summum quintuplo major erit, quam *Mignanæ*. Hujus stilus æque Latinus est ac illius. Si festivitatem excipias (nam *Mignana* fuit gravissimi severissimique ingenii) dixeris *Plautum* scripsisse Continuationem hanc. Vir fuit excelsi judicii, vastissimæ eruditionis, veritatis amantissimus, rigidusque Censor. Denique par scriptor tanto conatui. Idcirco e re nullo modo est huic Historiæ quicquam addere. Imo neque congruenter aliquid addi potest in presentia, cum ejusmodi scriptiones non nisi multis vigiliis elaborari possint. Crede mihi multum tibi debituram literariam Rempublicam, si tam egregia Hispanicarum Rerum monumenta publici juris feceris. Igitur, nisi displicent conditiones, fac ut id ex te sciam; & curabo, ut quanto celerius possit, tibi hoc autographum tradatur: tu vero interea *Marianæ* editionem urge-

gere poteris. Ubi autem emerſerimus ex hoc negotio, agitabimus alia.

Nunc totus ſum in recenſendis *Tractatibus Academicis Poſthumis Joannis Pugæ* celeberrimi Salmanticenſis Anteceſſoris. Prodibit hoc opus Lugduni duobus tomis in fol.

Mittito mihi *Cornelii Van Bynkershoek*,& *Antonii Schultingii* opera omnia legalia : opuſcula item *Friderici Brumneri* : quorum librorū pretium numerabo ei,qui mihi libros tradiderit , aut cui tu volueris. Mittito etiam catalogos, præſertim Juridicos , recentium ſcriptorum , ut plures cum amicis petere poſsim. Reſcribere poteris per illuſtriſsimum *Schombergium*, ut tua epiſtola ſecurius ad me perferatur. Poſtea vero ſcribes per quem volueris , aut Gallica lingua , ut nunc; aut Latina , qua tibi ſcribere commodius. Ad utramvis intelligendam interprete non egeo. Si quid eſt , quo in Hiſpania tibi poſsim eſſe uſui , indica. Nulla in me mora erit. Vale , & ſi quæ iſtic aguntur in re literaria , quæ me ſcire interſit , diligenter ſcribito , & Rempublicam literariam bonis libris mactare perge. Valentiæ in Edetanis. XIII. kal. Aprileis. An. MDCCXXXI.

X. *GREG. MAJANSIUS PETRO HONDTIO , S. D.*

BEne habet. Conditionum mutatio a te facta me atque *Foverium* minime ab incœpto remorantur. Itaque *Foverius* conſtituet Amſtelodami Procuratorem , qui tibi cavebit de implendis conditionibus quæ inter nos placuerunt ; eique tu viciſsim cavebis , te nihil adverſus eas facturum. Idem Procurator tibi tradet *Fratris Joſephi Emmanuelis Minianæ De Rebus Hiſpaniæ libros decem*, ab ipſo Auctore emendatiſsime ſcriptos. Nunc Valentiæ diligentiſsime deſcribuntur , ut aliquod hic maneat exemplar propter maris pericula. Ad *Marianam* quod attiti-

tinet, ejus editio prima Toletana caſtigatiſsima eſt. Verum ex triginta libris quos *Mariana* ſcripſit deſunt decem poſteriores, qui reperiuntur in *Hiſpania Illuſtrata*. Itaque ad recudendos priores viginti libros *Marianæ*, uti poteris exemplari tuo Toletano, ad reliquos editione *Hiſpaniæ Illuſtratæ*. Hæc raptim ſcripſi. Propediem ſcribam diligentius de his aliiſque. Olivæ pridie nonas Auguſtas MDCCXXXI. Si vis reſcribere, Valentiam ut moris eſt, epiſtolam mittito.

XI. *GREG. MAJANSIUS HYACINTHO JOVERIO ſuo, S. D.*

FElicitati magnæ debes ducere, eum habere Parentem, qui id maxime curat, ut ad ingentes virtutes eveharis, & ut in literis facias egregium progreſſum. Et vero tu ea es docilitate, ut in iſta ætatula ad ludum potius quam ad ſtudium propenſa laudabiliter Patri morem geras. Deum veneror, ut incœpta iſta ſecundet: teque per quod eſt chariſsimum oro, ne unquam fallas de te conceptam ſpem. Vide quantam habeamus. Meminiſti heri Patrem tuum delegaſſe mihi, ut Indicem librorum Theoretices Legalis conficerem, ac tibi mitterem. Ecce illum. Tuum eſt, quanto celerius poſsis huic ſtudio te accingere. Non, ſi nunc Dialectica ſicca tibi apparet; ita etiam videbitur Juriſprudentia. Nihil hac amœnius, nihil delectabilius inter humanas ſcientias. Experto crede. Interea vero dum ratiocinandi arte animum ad eam præparas, ſi tibi forte moleſtum, manum habere nimis compreſſam, aliquantiſper eam extende: ſi forte, inquam, fatigaris Dialecticæ ſtudio, quam *Zeno* Princeps Stoicorum pugno ſimilem dicebat eſſe, propterea quod in illa preſſe diſputatur; relaxa manum, & ſpatio modico ad amœniora diverte. Cumque jam adventet Natalis Domini, & his proximis diebus

gens

gens otiosa soleat tempus absumere ludendo ; tu cave ne te immiſceas ejusmodi cætibus. Imo

Dum pueros juglans, juvenes dum tessera fallit,
Detinet & segnes chartula picta viros;

alia evolve folia, inter quæ fructus invenies multo dulciores. Quem in finem tibi mitto *Vaillantium* cum ducentis numiſmatis, ut aliqua eorum inſpicias explicatione adhibita. Vellem ut hæc totidem eſſent gemmæ. At ſaltem ſunt ejuſmodi, *quibus* aliqui (ut ajebat *Sex. Pomponius in l. numiſmata* 28. *de uſufr.*) *pro gemmis uti ſolent.* Utcumque, tu voluntatem meam in pretio habeto, ſicuti ego tuum ingénium, & egregiam indolem. Vale. Ex noſtra Bibliotheca. Pridie nonas Decembreis. Anno MDCCXXX.

XII. *JUDICIUM ORATIONIS, QUAM* DE CAUSSIS corruptæ Latinitatis, & de illius remediis *ſcripſit* Joſephus Joachimus Lorga *Valentinus, Latinæ Linguæ in Academia Valentina Profeſſor, Ordinarii autoritate factum a* Don Greg. Mayàns & Siſcàr, *Juſtinianei Codicis Anteceſſore.*

ORationem hanc *de Lingua Latina* non ſolum libenter, ſed perjucunde legi. In ea ingenioſe detegit *Joſephus Joachimus Lorga*, Latinitatis corruptæ cauſſas præcipuas; & ut artis peritiſsimus quam ipſe profitetur, idonea ſuggerit remedia maximorum hominum experimentis comprobata. Argumenti ariditas efficere non potuit, quominus Orator illud amœnum redderet eruditione ſua. Itaque Oratio hæc, cum de pervulgatis agat, eſt nova; cum de jejunis, plena; & cum ſcripta ſit contra barbariem, Latiniſsima eſt. Præterea in illa dicuntur ſolum probanda, & perſuadentur omnia quæ dicuntur. Hæc eum præſtare minime miror, cujus ego ingenium jamdiu eſſe novi, promtum, acutum, ardens, uno verbo,

oratorium. Tam bella igitur Oratio haberi debuit, ut & judicium aurium mereretur. Sed Autori eſt quod gratuler. Ita fiet, ut ſicut in ſuavitate dicendi, in hoc etiam imitetur *Iſocratem*. Præterea, ſi Oratio fuiſſet habita, forte fuiſſet contenta auditoribus paucis. At nunc, publicandæ illius te facultatem concedente, legetur ab omnibus. Valentiæ in Edetanis poſtridie Eidus Januar. Anno MDCCXXXI.

Don Greg. Mayàns & Siſcàr.

XIII. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO JOACHIMO Lorgæ ſuo, S. D.*

OFficia tua jucundiora mihi ſæpe fuerunt, nunquam tamen gratiora. Nam & ea ſcripſiſti quibus tuam erga me benevolentiam mihi ſatis cognitam, declaraſti amplius; & in me conſolando non mediocrem animi dolorem adhibuiſti. Adeoque agnovi in meo caſu graviſſimo voluiſſe te doloris ſocietatem inire mecum. Æquiſſimum eſt igitur, ut ſicuti tu me conſolando mœroris mei participem te feciſti; ita viciſsim ego tibi gratias agendo vocem te in mei partem ſolaminis. Frater meus *Vincentius* ita deceſsit ab hac vita miſera, ut qui ad feliciorem iret. De mortis proximo periculo a me admonitus, minime conterritus eſt: imo continuo ſurgens e lecto, in quo jacebat correptus maligniſsima febri, ſedit, ob tam lætum nuncium mihi gratias egit, arctiſsime, quantum potuit me complexus eſt, & ex animo, claraque voce exclamavit. *Utinam mihi contingat Jeſu Chriſti dextera; meque Jeſus advocet ad ſe illa benigniſsima ſententia. Venite benedicti Patris mei: poſsidete regnum quod paratum eſt vobis a conſtitutione mundi.* Proſequutus eſt piis aliis ſententiis e ſacris libris, præcipue e *Pſalmis*

Da-

Davidicis; & Divino accepto Viatico, ac extrema Unctione, libens ac lætus, ut manifeſte videretur in Divina voluntate acquieſcere, animam ſuam Creatori ſummo reſtituit. Itaque ego, licet fratris cariſsimi, virtutibuſque omnibus ornati deſiderium vix ferre poſsim, adeo ut interdum opprimar dolore, in maximo meo vulnere maxime gaudeo; fateorque debere me immortales gratias Deo Opt. Max. a quo enixe precor, ut te ſervet incolumem atque valentem. Parentes fratreſque mei mœrore pleni tibi dicunt ſalutem plurimam. Vale. Olivæ. Pridie Non. Auguſti. An. MDCCXXXI.

XIV. *GREG. MAJANSIUS JO. BAPTISTÆ CORACciano, excellentiſsimo Matheſeos Profeſſori emerito, S. D.*

MEminiſſe nollem quam ob cauſſam tandiu diſtulerim dare literas ad te. Sed ea ſic animum exulceravit meum, ut ob doloris vim memoria excidere non poſsit. Itaque jus illud oblivionis, præter quod in præterita nullum aliud habemus, minime mihi ſuffragatur. Juvabit tamen tibi ſapientiſsimo viro doloris cauſſam declarare, ut conſolationem quam poteris (certe non exiguam pro tua prudentia) mihi afferas.

Ut Olivam veni, ſex priores dies ſalutantium frequentia conſumti ſunt. Ideo ad te non ſcripſi. Extrema gaudii luctus occupavit: nam ſexto Eidus Julias, poſteaquam e menſa ſurreximus, agnovimus *Vincentium* fratrem meum parum valere a ſtomacho, anxio deſiderio nauſeæ id declarante. Jam aliquot dies cibo potuque, quantum poterat, abſtinebat ſe. *Non vultus non color idem.* Tum vero demum intelleximus laborare illum febricula: &, ut erat malorum patientiſsimus, ac diſſimulator egregius, cubare noluit, ne Mater quæ utebatur valetudine infirma id reſciret, & novum contra-

heret angorem. Precibus tamen evictus, cum adveſperaſceret, ſe lecto commiſit. Duobus ſequentibus diebus adeo deſpexit febrim, ut a divino officio recitando abſtinere noluerit. Tertio Eidus Julias magno curarum æſtu fluctuavimus. Laborabat ille profluvio ventis, quod ſiſti nequibat. Eodem tempore febris malignitatem ſuam oſtendebat, videbaturque Medicis neceſſaria miſsio ſanguinis. Poſt longam deliberationem hæc decreta fuit, me multum invito, qui exiſtimavi ſemper multo magis ſcalpellos, quam gladios extimeſcendos eſſe. Certe eo ipſo die quo ei vena ſoluta fuit, de ſalute ejus deſperare cœpi. Igitur viſum eſt illi ſignificare, ipſius vitam in ſummo eſſe diſcrimine. Id ego ei declaravi nulla circumloquutione uſus. Prudentiam enim ejus probe noveram.

O qui complexus & gaudia quanta fuerunt! Diceres eum accepiſſe lætiſsimum nuncium. Arctiſsime, quantum valuit, me complexus eſt; gratias egit maximas; divniſsima dixit, omnibus qui aderant præ ſolatio illacrymantibus. Continuo juſsit accersi Sacerdotem; catholico ritu repurgavit conſcientiam ſuam; Divinum accepit Viaticum veneratione ſumma. Ad Curionis verba rite ac memoriter reſpondit. Deinde non ceſſavit, aut gratias agere Deo, aut ejus miſericordiam implorare, clarâ voce, dum potuit, manifeſtis ſignis, amiſsâ voce: donec inſequenti die Eidibus ſcilicet Juliis, hora decima matutina, æternitatis viam ingreſſus eſt. Toto ægrotationis tempore nullam doloris, nullam mœſtitiæ, nullam perturbationis ſignificationem dedit. Animi conſtantiam & æquabilitatem ad extremum ſpiritum retinuit. Riſus ſemper in ejus ore, Deus in corde. Ergo privatus ſum fratre dilectiſsimo, cujus prudentia, ſermone, ac ſuavitate mirifice delectabar. Privatus amico ſummo, & individuo comite ac ſocio. Privatus..... Sed quare attingo hæc vulnera, quæ, vel ſi leviſsime tangantur, recrudeſcunt? Satius eſt cogitare, ita Deo vi-

visum, ut & ille esset vere felix atque beatus; & ego quem nulli casus adversi frangere unquam potuerunt, imbecillitatem meam agnoscam, & ab eo opem implorem qui totius consolationis pater est. Tu vir optime, *Jesum Christum* precare, ut mihi largiatur fortitudinem ad casum hunc graviſsimum perferendum. *Quam potes, affer opem* tuis precibus. *Josepho Nepoti* tuo, vel potius nostro dicito salutem plurimam: & ut lætis nunciis afficias me, fac ut ex te sciam, quomodo valeas, quidque agas in re literaria, quam pro tuo ingenio & doctrina amplificare debes. Vale. Olivæ VIII. Kal. Septemb. An. MDCCXXXI.

XV. *JOANNES BAPTISTA CORACCIANUS* (1) *Gregorio Majansio, Anteceſſori Valentino, S. D.*

ACcepi literas tuas (Vir clariſsime) mœstitudinis plenas ob mortem præproperam dilectiſsimi fratris tui, cui dum ordiretur, præciſſa est veluti a texente vita: de quo doleo vehementer. Equidem in eodem animi mœrore positus sum, quoniam soror mea chariſsima è vivis quoque sublata fuit paulo post, nempe Idibus Julii, & ferme pari casu. Quamobrem communis est nobis causa mœstitiæ. Utinam sit & solatii. Cum ejus igitur sim indolis ab ineunte ætate, ut quæque funesta ac triſtitia animum deprimant, aut etiam nonnihil perturbent, de re literaria parumper gustare libet. Amicus noster *Nepos* te salutat. Vale. Valentiæ Prid. Nonas Septembris. MDCCXXXI.

(1) Jo. Baptiſta Coraccianus *scripsit, cum esset juvenis librum sic inscriptum.* Arithmetica demonstrada Theorico-Practica para lo Mathematico, i Mercantil. Explicanse las monedas, pesos, i medidas de los Hebreos, Griegos, Romanos, i de estos Reinos de Espaſia, conferidas entre si. Por Juan Bautiſta Corachan, Maestro en Filoſofia, Dotor en Sagrada Theologia, i Cathedratico de Mathe-

ma-

maticas en la Univerſidad de Valencia ſu Patria. En Valencia por Jaime Bordazar, Año 1699. en 4. *De hoc argumento nihil in Hiſpana lingua ſcriptum eſt præſtantius. Quoniam vero quo tempore hic liber excudebatur, autor ipſe morbo graviſsimo impeditus, editionem accurare non potuit, adeoque illa multis in locis vitioſa eſt; ideo nunc recognoſcit librum ſuum, ut iterum edat emendatum. Publicavit etiam*: Noticias breves de la portentoſa Vida, Martirio, Glorias, i Patrocinio del glorioſo S. Pedro Martir de la Orden de Predicadores, Inquiſidor celociſsimo, i Apoſtol de Lombardia, recogidas por &c. En Valencia. En la Imprenta de Antonio Bordazar, Año 1724. en 4. *Summam adhibuit Autor diligentiam huic Vitæ ſcribendæ. Veritatis eſt amantiſsimus, & ſagaciſsimus inveſtigator. Magno ſcribit judicio, ſingulari perſpicuitate, ſtilo familiari. Spem multis mihique nominatim fecit edendi propediem librum alterum ſic inſcriptum.* Compendio de la portentoſa Vida de S. Franciſco de Paula, Fundador de la Sagrada Religion de los Minimos, eſcrito por &c. *Legit mihi Autor pagellas aliquot, quæ mirifice mihi placuerunt ob pietatem eximiam, facilitatemque expeditiſsimam. Vidi etiam apud eum Opus ſic inſcriptum.* Hidrometria Fluyente, o Medida de las aguas corrientes, eſcrita por &c. Dedicada al Glorioſo Angel Preſidente de las aguas. Apoc. 16. v. 5. *Libellum hunc elucubravit Autor triennium integrum, abſolvitque anno* 1712. *In eo argumento feliciſsime verſatus eſt. Denique, ut plura alia omittam, quæ prope juſtum volumen exigebant, legi ego aliquot Codices* Matheſeos Sacræ, *quam ille conſcripſit per intervalla temporis triginta annorum ſpatio. Sane perquam dolendum eſt, opus illud non eſſe publicatum. Mirifice in eo illuſtrantur quamplurima Sacræ Scripturæ loca. Eruditio eſt minime vulgaris, ſtilus perſpicuus, & minime faſtidioſus. Nunc* Coraccianus *jam eſt ſeptuagenarius, natus enim Valentiæpridie Nonas Majas anni* 1661. *Ei apprime convenit ob ingenii perſpicaciam, judiciique præſtantiam, illud Phædri*

---------- Naris emunctæ ſenex
Natura nunquam verba cui potuit dare

Eſt Philoſophus excellens, Mathematicus eximius, Theologus ſapientiſsimus: quibus virtutil[illegible] ornat pietatem eximiam, & modeſtiam prope incomparabilem.

*** ***
***

HÆC

XVI. *HÆC EPISTOLA AD LECTOREM, CONTINET Vitam* Joannis Pugæ *J. C. Cl. & in Academia Salmanticenſi Anteceſſoris Primarii, Auctore* Greg. Majanſio, *Generoſo, & Anteceſſore Valentino. Præfixa eſt illius* Tractatibus Academicis.

JOannes Puga & Feijoo natus fuit Salmanticæ anno 1653. Patrem habuit Cl. Virum Doctorem *Franciſcum Pugam & Feijoo*, qui fuit olim inter Alumnos *Collegii Sanctæ Mariæ Angelorum*; poſtea inter majores *Archiepiſcopi* Collegas; denique in Salmanticenſi Academia Primarius Canonnm Anteceſſor. Tacitus nullo modo præterire poſſum quæ de *Franciſco Puga* poſteritati commendavit *Andreas Mendo* (a) *Ex Collegiis* (inquit) *tum Militaribus, tum Minoribus clariſsimi viri prodierunt, & in dies prodeunt. Unum pro multis exprimere ſufficiat D. Franciſcum de Puga & Feijoo In Collegio Sanctæ Mariæ Angelorum nunc cum hæc ſcribo* (b) *Togatum Cathedræ perpetuæ Decreti in hac ipſa Salmanticenſi Academia Moderatorem, cujus amœniſsimo, vivido, nervoſoqne ingenii acumine Schola literaria gloriatur, & eum* (ob) *totius literaturæ encyclopediam veneratur, & amat. Pugæ* Nobiles ſunt, & originem ducere dicuntur e Burgorum montibus. *Feijoones* etiam ſunt Nobiles e Gallæcia. Patrem ſuum egregie ſuppreſſo nomine laudavit ejus filius *Joannes* cum ita ſcripſit (c) *Subtiliſsime comperit literariæ paleſtræ quondam fortunatiſsimus apex, cui invidit importuna ſors, Dominus ac Parens meus.* Eundem tamen alibi (d) expreſſo nomine laudavit, & Patrem ſuum fuiſſe confeſſus eſt. *Vulgarem* (inquit) *& diffuſam hanc Juris partem, quam præter claſsicos Interpretes, ex Salmantinis noſtris Anteceſſoribus illuſtrarunt, Dominus ac Parens meus D. Franciſcus de Puga & Feijoo in ſpecioſa manuſcripta Relectione ad textum in l. Antiſtius 62. de adq. ber. Do-*

(a) *De Jure Academico lib. 1. n. 204.* (b) *Anno 1654.* (c) *Tract. 13. cap. 1. n. 21.* (d) *Tract. 21. cap. 2. n. 1.*

Dominus Retes &c. Ex quibus verbis, licet subobscure colligitur, *Franciscum Pugam* unum etiam fuisse ex Salmanticensibus legum Professoribus. Et verò meus avus maternus Cl. *Joannes Siscar* (Deus immortalis, qualis quantusque Vir, doctrina, humanitate, prudentia!) in *Disputatione* manuscripta quam habeo *Ad Tit. Pand. De rebus creditis*, manu sua hæc addidit. *Auctore D. Francisco de Puga & Feijoo, Digesti veteris Cathedræ apud Salmanticenses Professore.* Idem avus meus ingeniorum Censor acerrimus, cum mihi puero cupiditatem adeundi Salmanticam excitare vellet, præteriti temporis laudans egregios Viros, *Franciſci Pugæ* ingenium, & eruditionem mirum in modum extollebat.

Cum eâ igitur ingenii & doctrinæ laude *Franciscus* esset, optabat filium suum erudiri insigniter. Eum in finem curavit ut anno 1661. In *Conceptionis Collegium*, quod *Orphanorum* vocant, ingrederetur. Erat in Puero mira ingenii docilitas, qua factum fuit, ut brevi tempore Grammaticam addisceret. Humaniores literas vix salutasse videtur vir ceteroquin humanissimus. Quantum temporis impenderit Philosophiæ, minime constat. Ex ejus autem scriptis facile colligitur, Dialecticæ saltem navasse operam.

Erat tunc Salmantica plena doctissimorum virorum, studiaque hæc Civilis scientiæ vehementer sane colebantur. Nactus itaque fuit *Puga* noster Præceptores egregios: Utrumque *Zamoram*, *Josephum*, & *Franciscum*, filios *Antonii* celeberrimi Medici; *Josephum Retesium*, *Didacum Sernam*, & *Joannem Ferdinandi de Henestrosa*: quos omnes *Puga* ut Præceptores suos nominat, & laudat.

Josephi Nonnii Zamoræ tanta cum laude meminit, ut de illo sic scribere ausus fuerit (e) *Veriorem forsitan ejus Scævolæ responsi interpretationem excogitavit subtilissimus Primarius Anteceſſor, & Magister meus, quo majorem Academia nostra non tulit* **D. D. D.** *Josephus Nuñez de*

(e) *Tract. 19. cap. 2. n. ult.*

de Zamora. Quod profecto teſtimonium Diſcipuli erga magiſtrum amor, non judicium extorſit. Cumque *Puga* noſter hoc ſcriberet, memoria ejus exciderat, quanti viri fuiſſent, *Didacus Covarrubias*, *Emmanuel Coſta*, *Joannes Altamiranus*, & ut plures alios omittam, Francorum Comes, & Supremi Indiarum Senatus Præſes, *Franciſcus Ramos del Manzano*, è cujus ludo, velut ex equo Trojano tot prodiere viri, doctrina, & eruditione memorabiles, *Joannes Suarezius de Mendoza* vir excellentis ingenii ac præſtantiſsimæ eruditionis; *Joſephus Reteſius vir ingenii amœniſsimi, & elegantiſsimi*; denique *Nicolaus Antonius* clariſsimum Hiſpaniæ ornamentum, & eruditionis Hiſpanorum vindex acerrimus.

Franciſcum etiam *Nonnium Zamoram*, *Joſephi* fratrem (ut diximus) *Puga* noſter vocat (f) *doctiſsimum Præceptorem*, & *Anteceſſorem ſuum*. Memini ego avum meum de duobus *Zamoris* multa jucundiſsimè narrare ſolitum, quæ hic referre inſtituti mei non eſt. Hoc tantum. Doctrinæ copiam *Joſepho*, ingenii laudem *Franciſco* tribuebat. Illius extat *Solennis Repetitio ad l. quę ſub conditione* 8. *de cond. inſt.* quam edidit ejus Diſcipulus *Ferdinandus de Meneſes & Pedroſa*, adjunxitque ſuæ Expoſitioni *ad tit. de Reg. jur.* Utrique *Zamoræ Goffredus* debet magno in pretio eſſe apud Salmanticenſes. Ab eis hauſit *Puga* amorem illum in eundem Juris interpretem, quem *ſubtiliſsimum virum* paſsim nominat. Ego potius laudabo, quam imitabor *Joannis Pugę* patientiam in pervolutando legendoque homine quotquot Civile Jus interpretati ſunt, obſcuriſsimo, neque tanti ingenii, quanti prædicari ſolet. Nam quodnam quæſo eſt ingenii argumentum inter plurima deliria, aliquid acute dicere? An ideo ſubtilis, quia in fronte libri *ſubtiliſsimus* inſcribitur? At ſimimilibus titulis veteres omnes Interpretes decorati ſunt Typographorum calculo, aut ipſorummet auctorum ſuffragio, quibus in cauſſa propria quænam adhibenda ſit fides, lectoris judicium eſto. Per

(f) *Tract.* 21. *cap.* 1. *num.* 44.

me tamen legat eum qui volet. Vereor autem, ne thesauri carbones. Quod ideo moneo, ne magnorum virorum auctoritate se juventus incauta abripi patiatur. Sane ipse *Puga* cum ingenii esset perspicacissimi, & in *Goffredi* lectione assiduus; ejus tamen obscuritatem multis in locis confessus est. (g)

Præterea *Joannes Puga* Præceptoris sui *Retesii* passim mentionem fecit, vocavitque, *magnum Præceptorem suum* (h) *eruditissimum Antecessorem, & Præceptorem suum* (i) *semper venerandum.* (k) Quanquam ita frequenter *Retesii* doctrinam impugnat, ut facile credi possit, ei parum faviſse, tanquam *Zamorarum* æmulo. Nisi dicamus ideo in *Retesium* plusquam in ceteros invehi, quia eum plusquam ceteros legebat ob doctrinæ copiam, & præstantiam.

Didaci Sernę & Cantoralis Præceptoris sui etiam *Puga* noster meminit sæpissime, eumque appellat, *Antecessorem, & Præceptorem suum doctissimum* (l) *eruditissimum* (m) *disertissimum* (n) *egregium Præceptorem suum* (o) quæ sane laudes majores sunt præ meritis, nisi *Sernę* manuscripta, quæ mihi legere non contigit, multo meliora sint quam *Exercitationes*, quas publicavit Juvenis, quæ mihi videntur pueriles esse, & adolescentis non magna, neque præclara promittentis.

Denique refert *Puga* noster suum Præceptorem *Joannem Ferdinandi de Henestrosa* (p) qui (nisi me fallit animus) scriptis postea inclaruit, nam ejus memini vidisse librum *De impensis in res dotales factis.* Nactus igitur ille Præceptores quinque certatim doctos.

Cum itaque *Joannes Puga* usus fuerit Patre adeo docto atque diserto, præceptoribusque eximiis; ipseque præterea fuerit magno ingenio, honestæque laudis cupidissimus, facile colligi potest, quantum profectum fecerit, eum

(g) *Tract.* 8. *num.* 30. *tract.* 13. *cap.* 2. *num.* 16. *tract.* 17. *cap. ult. n.* 20. (h) *Tract.* 14. *in Proœm.* (i) *Tract.* 20. *cap.* 1. *num.* 1. (k) *Tract.* 20. *c.* 4. *n.* 20. (l) *Tract.* 13. *c.* 3. *n.* 2. (m) *Tract.* 17. *c.* 3. *n.* 7. (n) *Tract.* 18. *c.* 2. *n.* 29. (o) *Tract.* 21. *c.* 1. *n.* 3. (p) *Tract.* 13. *cap.* 4. *n.* 14.

eum præsertim incitante ad honestam gloriam condiscipulorum fama, qui fuere plurimi, & eorum multi non ignobiles.

Suspicari licet *Joannem* nostrum, transacto quinquennio, quod præcedere debet, ad Bachalaurei (uti vocant) gradum obtinendum, suscepisse Juris laureolas primas, ut ita se posset exercere in velitationibus illis literariis, quibus Adolescentium ingenia periclitari solent, ut sui edant specimina, quæ in petitione Cathedrarum commemorari possint. Præterea posteaquam legitima studiorum spatia emensus fuit, Doctoris lauream suscepit. Quo autem anno, etsi curavi inquirere per literas, scire non potui. In Catalogo autem Salmanticensium Doctorum, necessario id debet annotatum esse.

Per illa tempora *Joannes* noster conscripsit plurimos *Tractatus*, quos ipse vocat *Privatos*, id est, elucubratos in privatum usum. Sic appellavit *Tractatus, De legato debiti.* (q) *De falsis demonstrationibus.* (r) *De lege Commissoria* (s) ac proinde etiam privatus fuisse credendus est *Tractatus* qui eum præcesit, *De in diem addictione*, quem ut suum agnoscit. (t) Itemque *De pignore rei alienæ*, quem ipse etiam ut suum vindicat. (v) Existimo etiam fuisse privatum *Tractatum de dispositione in incertam personam collata* (x) itemque illum quo disputavit, *De servo pignori dato manumisso.* Quem nemo negat esse *Pugæ*, & ejusdem esse stilus manifeste arguit. Certe *Tractatum* illum quo explicavit *l. si fidei meæ* 28. *de leg.* 3. scripsit in gratiam illustrissimi viri *Paschasii Aragonii*, ut memoratæ legis sententiam sibi per sortem oblatam propugnare posset. Illud apud omnes debet esse certissimum, prædictos omnes

(q) *Tract.* 13. *cap.* 4. *n.* 22. (r) *Tract.* 21. *cap.* 1. *num.* 45. (s) *Tract.* 21. *cap.* 3. *num.* 25. (t) *Tract.* 5. *cap.* 1. *n.* 50. *& tract.* 14. *c.* 3. *n.* 3. (v) *Tract.* 22. *c.* 2. *num.* 17. (x) *Arguere id videtur hujus tractatus methodus longe diversa ab aliis. Item quod Puga dicit tract.* 21. *cap.* 3. *n.* 17. *Nisi forte referas hunc tractatum ad Academicas Observationes quas dictavit in primo suæ Professionis anno. arg. Tract.* 19. *c.* 1. *num.* 17. *Equidem hic tractatus sic inscriptus erat.* Observatio Academica.

Tractatus, esse *Joannis Pugæ*, cum ipse agnoscat allegetque ut suos designatis capitibus, & capitum sectionibus, idemque probet stilus ubique uniformis. Quare si posthac apparebunt aliquæ corniculæ denudatæ, gloriæ sibi falso arrogatæ pœnas luent.

Præter *Tractatus Privatos* scripsit etiam *Publicos*: quos publice scilicet in Academica dictavit, postea quam Juris Civilis Antecessor renunciatus fuit. Id autem contigit hoc pacto.

Quarto decimo Kalendas Novembris anni 1678. cum multa ingenii sui doctrinæque argumenta in velitationibus publicis variisque competitionibus exhibuisset *Joannes Puga*, Institutionum Cathedram obtinuit (quam vocant minus antiquam) ex consultatione Regii Castellæ Senatus, & electione *Caroli II.* Hispaniarum Regis.

Eo igitur anno, literario scilicet, quod incipit à festo *Sancti Lucæ*, & in *Divi Joannis Baptistæ* desinit, dictasse suspicor ad *Titulum Institutionum*, *Pandectarum*, & *Codicis quod cum eo qui in aliena potestate est*, *negotium gestum esse dicetur*. Item *Tractatum de modis instituendi*, quæ prima fuit ex *Observationibus Academicis*, quas ipse dictasse refert. (y) Huic ego alteram adjunxi, *De prohibito concursu lucrativarum causarum*, quæ proculdubio fuit scripta post *Tractatum quod cum eo*, cum hic in illa allegetur. (z) Utraque autem *Observatio* emissa fuit semestri antequam dictaret *Puga*, *de die certo contractibus adjecto*. (a) Et ex ipsius testimonio extra omnem controversiam esse debet, *Tractatum de die certo* scriptum fuisse verno tempore, (b) hoc est, in curriculo, uti vocant, Hispane *Cursillo*, quod Salmanticæ incipit (nisi me fallit memoria) 11. Kal. majas usque ad ferias autumnales.

Ei dibus Juliis anni 1679. in Codicis Cathedram minus antiquam ascendit, & eo anno secundum Academica præscripta dictavit *De collationibus*. (c)

A

(y) *Tract.* 12. *cap.* 2. *n. ult.* (z) *Tract.* 11. *num.* 12. (a) *Tract.* 12. *cap.* 2. *num. ult.* (b) *Tract.* 12. *cap.* 2. *n. ult.* (c) *Tract.* 13. *in Proœm. juncto tract.* 13. *cap.* 2. *num.* 5.

A die *Sancti Lucæ* ann. 1680. uſque ad diem *Sancti Joannis* ann. 1681. dictavit juxta Leges Academicas *De uſucapionibus*. Quod argumentum: ut ipſe refert, (d) *ante quatuor luſtra juſto exornavit commentario magnus ejus Præceptor Dom. Reteſ.* Nimirum *Reteſius* de eo argumento dictavit anno 1658. & 1659. excipiente avo meo *Joanne Siſcare*, qui id adnotavit manu ſua.

Poſtridie Kalendas Januarias memorati anni 1681. evectus fuit *Puga* noſter ad Digeſti veteris Cathedram; & à die *Sancti Lucæ* uſque ad *Sancti Joannis* dictavit, *De Pactis liberatoriis.* (e)

A feſto *Sancti Lucæ* anni 1682. dictavit, *De eo quod certo loco dari oportet*, ſecundum Academicas Leges, ut ipſe ait *in Proœmio*. Et quinto eidus Decembris ejuſdem anni 1682. electus fuit Anteceſſor Veſpertinus.

A die *Sancti Lucæ* 1683. dictavit in antiquiori hac Veſpertina Anteceſſura (f) *De adquirenda, vel amittenda poſſeſſione*; cumque ejus *Tractatus caput* 2. abſolviſſet, Primarii Profeſſorii munus obtinuit, ut ipſe refert *initio cap.* 3. ubi addit, non cogi ſe *Tractatum* illum abſolvere, ſed in poteſtate habere cum facili alicujus textus expoſitione permutare: hoc tamen facere noluit utilitatem excipientium ſuo labori anteponens. Primariam Cathedram obtinuit *Supremi Senatus numine aſpirante*, ut ipſe ait alicubi, (g) ſeu ut cordatius alibi loquitur (h) *unanimi Supremi Senatus cenſura.* Quod frequenter evenit in his qui Cathedram habent à prima proximam. In Primariæ Cathedræ competitione ſorte oblatus ei fuit, difficilis & ſingularis *Papiniani* textus *in l. cum ſilius* 76. §. *ſervus* 4. *de leg.* 2. quem, ut ipſe ait, qua ſolet indulgentia erga ſua, nova luce illuſtravit. Sed quæ tunc tumultuario labore congeſta ex tempore dixit, ſeveriori poſtea judicio diſcuſa tradidit. (i) Mirandum igitur non eſt, *Recitationem* il-

(d) *Tract.* 14. *in Proœm.* (e) *Tract.* 16. *in Proœm.* (f) *Tract.* 17. *in Proœm* (g) *Tract.* 17. *cap.* 3. *num.* 1. (h) *Tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 17. (i) *Tract.* 18. *cap.* 2. *n.* 17.

illam non extare, cum ipsi auctori aliquantulum displicuerit, & ejus doctrinam postea transtulerit in *Tractatum de cessione legatorum.* (k)

Primarius Antecessor renunciatus, à die *Sancti Lucæ* ann. 1684. usque ad tertium decimum Kalendas augustas anni 1685. dictavit *ad titulos Pandectarum, & Codicis, quando dies legatorum, vel fidei commissorum cedat.* (l)

Anno literario 1685. & 1686. *De vulgari, & pupillari substitutione.* Anno 1686. & 1687. *De transmissione hereditis.*

Anno 1687. & 1688. cum scribere deberet ad *Titulum Pandectarum, de liberis, & posthumis*; maluit tamen dictare *de conditionibus institutionum*: quia argumentum illud plurimi Antecessores pertractarunt; hoc non ita; & indignum sibi videbatur ab aliis scripta transcribere. (m)

Denique anno 1688. & 1689. dictavit *de rebus eorum qui sub tutela, vel cura sunt sine decreto non alienandis, vel supponendis.* In cujus *Tractatus Proœmio* ait, se de illo argumento dictare, quia recensetur inter præscripta Academicis Legibus, licet novum posset eligere. Nimirum, quia, ut mihi videtur, scribebat anno primo post quinquennium suæ Primariæ professionis. Atque hoc *Tractatu* pulcherrimum colophonem imposuit suis *Dictatis publicis.* Quæ quidem *Publica dictata* eo & non alio ordine conscripta fuisse mihi liquido constat ex ipsius *Pugæ* allegationibus. (n) Ex quibus manifeste constabit, nullum ex his

(k) *Tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 17. (l) *Tract.* 18. *in Proœm.* (m) *Tract.* 21. *in Proœm.* (n) *Tractatus nonus* De edicto quod cum eo, *qui primus fuit ex Publicis, allegatur in tract.* 11. *num.* 12. *Undecimum autem tractatum præcessit qui nunc est decimus arg. tract.* 12. *cap.* 2. *num. ult. Tractatum decimum, & undecimum quæ Academicæ Observationes fuere (hunc enim titulum manuscripta præferebant) sequutus est tractatus* 12. de die certo, *ut constat ex d. cap.* 2. *num. ult. Tractatus* 12. *allegatur in* 13. *c.* 2. *num.* 5. *Decimus tertius in* 14. *cap.* 2. *num.* 10. *Decimus quartus ne cessa-*

his *Tractatibus* ſuppoſititium eſſe. Qua in re viros etiam doctiſsimos vidi labi turpiter, cum ei adjudicarent aliorum opera indigniſsima, & quæ genuina ejus eſſent, attribuerent aliis. Quibus erroribus deinceps poſt diligentiam noſtram locus erit nullus. *Præterea Tractatuum* Chronologica diſpoſitio proderit, ut judicii maturitas animadvertatur melius. Veriſsimum enim illud, poſteriores curas eſſe ſapientiores.

Cum tot igitur, tamque præclaris vigiliis conſpicuus eſſet *Joannes Puga*, clarus ſcriptis, clarus auditorum frequentia, & tot annorum profeſſorio munere, ejus meritorum fama *Caroli II.* Hiſpaniarum Regis implevit aures, qui conſultante Regio Caſtellæ Senatu, elegit eum Præſidem Regalis Senatus Divæ *Claræ* apud Neapolitanos; quò cum profectus eſſet anno 1689. vixit ibi aliquot annos magna apud homines fama egregiæ juſtitiæ, æquitatis, integritatis. Juriſprudentiæ amorem conſervavit ſemper: nam quoties erant aliquæ exercitationes legales, frequens aderat magna voluptate. Neapoli permanſit quadriennium, ut mihi per literas narravit *Joſephus Bermudezius*, vir doctiſsimus, & ſummus amicus meus, qui doctrinam ſuam declarabit propediem in eleganti *Tractatu* Hiſpane ſcripto *De Metatis, & Epidemeticis.* Idem confirmare videtur *Philippus Bulipho*, priſcæ probitatis, ac ſapientiæ vir, & amicus meus ſingularis, qui

ſario præceſsit decimum quintum De eo quod certo loco, *cum ille allegetur in tractatu* 16. De pactis liberatoriis, *cap.* 4, *num.* 19. *&* 29. *Decimus ſextus allegatur in* 17. *cap.* 2. *num.* 13. *Decimus ſeptimus in* 18. *cap.* 5. *num.* 17. *Decimus octavus in* 19. *cap.* 1. *num* 33. *& ult. cap.* 3. *num.* 23. *cap.* 4. *num.* 25. *&* 26. *Decimus nonus in* 20. *cap.* 1. *num.* 16. *cap.* 2. *n.* 7. *&* 32. *cap.* 4. *num.* 5. *&* 9. *Vigeſsimus in* 21. *cap.* 1. *num.* 1. 36. *&* 46. *cap.* 2. *num.* 2. *Neceſſario igitur colligitur tractatum* de rebus eorum *fuiſſe ultimum; nam ut omittam ibi allegari octo præcedentes tractatus, liquido conſtat ex* Procœmio, *dictatum fuiſſe ſexto primariæ Profeſsionis anno, ſive anno* 1. *ſecundi quinquennii, in quo Salmanticenſes Primarii Profeſſores Legibus Academicis ſoluti ſunt, & dictare poſſunt de quolibet argumento, quod elegerint.*

qui mihi ſcripſit, ſe Doctoris inſignia accepiſſe Neapoli anno 1694. præſente eo qui tunc temporis ejus Senatus erat Præſes, *Felix Lancina & Ulloa.* Unde liquet noſtrum illo tempore jam fuiſſe functum officio ſuo. Sed quicquid ſit de tempore quo Neapoli fuit *Puga* noſter, certe ibi vixit, donec *Carolus II.* creavit eum Supremi Caſtellæ Senatus Conſiliarium. Sed ò vanas ſpes, cogitationeſque mortalium! Cum jam rediret in Hiſpaniam, oppreſſus morbo neſcio quo, pie, ut Catholicum decebat, in mari deceſſit, delatuſque (uti audivi olim Salmanticæ) Alicantium, ubi magna frequentia, & dolore ſepultus dicitur. Quanquam Ego cum diligentius id perquiſierim, & mortuorum Catalogos evolvi juſſerim, præter illam antiquam multorum opinionem, nihil certi comperi. Certe cum eſſet morti proximus, familiari cuidam ſua Scripta legavit, qui poſtea quædam incaute commodando, recuperare aliqua non potuit; reliqua vendidit Salmanticenſi cuidam Doctori, hic autem (cum ego eſſem Salmanticæ) Collegio, quod *Archiepiſcopi* ſolent nominare, quia *Divo Jacobo* conſecratum fuit ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo *Alfonſo de Fonſeca & Acevedo.* Si reciſſem Ego Autographa illa (quæ erant circiter decem) vendenda fore, non aureis viginti, ut tunc, ſed majori pretio emiſſet Collegium, me licitante. Sed bonum factum, quòd ibi ſunt aliquot Autographa (nam reliqua, aut perierunt, aut diſtracta ſunt) ubi diligenter cuſtodiuntur.

Supereſt nunc, ut dicamus, quanta diligentia hi *Tractatus* elaborati ſint, & quænam eorum ſit utilitas. Ipſe *Puga* confitetur, ſummos ſe labores impendiſſe hiſce *Tractatibus* ſcribendis. (o) Et vix aliter evenire poterat, cum & utilia ſemper argumenta ſuſciperet, & utiliter pertractaret. Audiamus ipſum. (p) *In ſupervacuis diligen-*

(o) *Tract.* 13. *cap. ult. num. ult. Tract.* 14. *cap.* 3 *n. ult. Tract.* 17. *cap.* 3. *num.* 1. *Tract.* 19. *cap. ult. num. ult. Tract.* 20. *in Procem.* (p) *Tract. ult. in Procem.*

gentiam affectare, seu inter irrita ingenium exercere, & nihil profuturis Disputationibus otium peragere, si turpe cuiquam foret; mihi sane turpissimum, qui nihil antiquius duxi, quam profectum vestrum, sectatores nobilissimi, promovere, & ex eo unice gloriam captare. Et profecto argumentorum quæ pertractavit copia satis arguit, legisse illum diligenter, non solum classicos Interpretes, qui de argumentis illis publicassent aliquid, sed & sedulo excussisse Antecessorum Salmanticensium manuscripta, quorum ipse erat studiosissimus, & maximam habebat copiam, ut ex allegationibus innumeris manifeste colligitur. Qui *Joannis* itaque *Pugæ* habuerit scripta; is animo suo reputet gaudeatque, habere se optima Salmanticensium *Dictata.* Quæ tamen ille non impudenter, ut quamplurimi solent, in *Tractatus* suos transferebat ad literam, sed suo adhibito judicio, novoque ordine. Nimirum ille existimabat (q) *ab aliis recte dicta sine fructu transcribi.* Idcirco ait (r) *quos* (ideſt textus) *ideo exponere supersedeo; scribere enim, non transcribere duxi.* Et alibi: (s) *Ab aliis recte discussa transcribere, nec moris, nec instituti nostri est.* In eandem sententiam ait: (t) *Sed cum scribere, non transcribere moris sit nostri, ut tot a nobis editæ, magnoque supra meritum audientium plausu exceptæ* (*haud ignota loquor*) *novæ Tractationes testantur.* Ubi obiter adnotandum est, *novas Tractationes* appellare *Pugam* argumenta illa, quæ ejus Antecessores ex professo pertractanda non susceperunt. (v) Denique ignavissimos fucos reprehendens, qui aut labores alienos sibi arrogant, aut sola adhibita nova dispositione, ut suos venditant, ait. (x) *Hunc scribendi modum quibusdam gratum non minus quam familiarem, nec Salmantinis Præceptoribus dignum, nec vobis, exceptores nobilissimi, proficuum existimamus.* Cum ille igitur suorum Antecessorum scripta

(q) *Tract.* 14. *cap.* 4. *num. ult.* (r) *Tract.* 11. *num. ult.* (s) *Tract.* 17. *cap.* 1. *num.* 10. *Adde etiam cap.* 2. *num.* 12. (t) *Tract.* 20. *in Procem.* (v) *Tract.* 15. 16. 18. 21. *& 22. in Procemiis.* (x) *Tract.* 21. *in Procem.*

non compilaret, ſed aut ſuum judicium adhibere ſoleret, aut novam ſaltem methodum, prout res exigeret; inde nata ei veluti ſollemnis illa formula: *Sic docet, licet non ita explicet* (exempli gratia) *Cujacius.* Quæ formula, licet arguat quantum ille in ſuis explicationibus adamaret ſe; eodem tempore probat ejuſdem diligentiam: quæ porro tanta erat, tamque moroſa, ut videatur ille in æſtivis vacationibus non potuiſſe finire *Tractatum*, quem anno literario proximo dictaturus eſſet. Alioqui, ſi jam abſolviſſet, cum inciperet dictare, in una eademque Diſputatione non retractaſſet ſe, uti ſæpe fecit. (y) Præterea id manifeſtè colligitur ex *Tract.* 14. *cap.* 3. *num. ult.* cujus poſtrema verba ſunt hæc. *Nec plura jam occurrunt circa juſtos titulos, ex quibus procedit uſucapio. Nec ſi occurrerent, feriæ proſequi ſinerent. Quæ calamum ſiſtere, & intermittere potius, quam omittere tractationem noſtram jure compellunt. Scripta legite Sectatores præclari, dum utilitati veſtræ deſerviens, duo quę ſuperſunt capita parare, & explicare anxius ſtudeo.*

Quicumque attente legerit *Joannis Pugę* Opera, facile animadvertet ſummum ejus erga veritatem amorem. Sane ingenue ac generosè ita ſcripſit. (z) *Nec me pudet, neque pudebit umquam Papiniani exemplo in l. 6. §. 1. cum l. ſeq. de ſerv. export. ſi qui forſan errores exciderint, veritate comperta retractare.* Videtur mihi magnus ille vir *Jacobi Cujacii* ſummi viri vocem exaudiſſe, qui Juris Interpretes ita ſerio, ut tantum virum decuit, admonebat. (a) *Utinam qui hoc tempore Juſtinianum interpretantur, Papinianum imitati, quæ vel falſo, vel inepte aliquando & ſenſerint, & ſcripſerint ingenue retractent; nec in eis contra quam poſtea reſciverint, tam obſtinato, tamque obfirmato animo, uti faciunt, perſeverent.* Quoquo autem modo ſe alii gerant, veritatis amorem ſæpe *Puga* noſter comprobavit *Retractationibus* ſuis; quas hic adnotare operæ pretium eſt.

Quæ

(y) *Tract.* 19. *cap.* 4. *num.* 29. *Tract.* 20. *cap.* 4. *num.* 10. (z) *Tract.* 19. *cap.* 4. *n.* 29. (a) 2. *obſerv. c.* 37.

Quæ ille ſcripſit *Tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 29. retractavit *Tract.* 16. *cap.* 1. *num.* 22. Quæ *in d. Tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 94. retractavit *Tract.* 15. *cap.* 1. *num.* 8. A ſententia quam docuit *Tract.* 13. *cap.* 1. *num.* 10. receſsit, *Tract.* 17. *cap.* 1. *num.* 20. Ab opinione quam propugnavit, *Tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 32. diſceſsit *Tract.* 19. *cap.* 3. *num.* 23. Quæ docuit *Tract.* 19. *cap.* 1. *num.* 33. retractavit eod. *Tract.* *cap.* 4. *num.* 29. Quæ in eodem *cap.* 4. *num.* 19. retractavit *Tract.* 20. *cap.* 2, *num.* 34. Quæ aſſeruit *Tract.* 20. *cap.* 2. *num* 22. indicta voluit *eod. Tract. cap.* 4. *num.* 10.

Neque hæc fuit inconſtantia; ſed conſtantiſsimus veritatis amor. Non poterat *Puga* ſe major eſſe, niſi ſua retractando. *Non eſt levitas* (ajebat Seneca (b) *a cognito & damnato errore diſcedere, & ingenue fatendum eſt, aliud putavi, deceptus ſum. Hæc vero ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt, quod ſemel dixi, qualecumque eſt, fixum ratumque ſit.* Scripſit *Puga* adoleſcens, juvenis, vir, ſenex, quibus ætatibus accreſcente in dies judicio, & eruditione, par ſibi ſemper eſſe non potuit. Nihil proficit qui meliora in dies non diſcit: & licet eadem quis ſemper ſciret, non ſemper ſcriberet eodem modo, animo atque memoria aliter atque aliter affectis.

Qui ſententias ſuas expendebat ita, facile poteſt colligi, quo pacto alienas expenderet. Tamen ingenium ſuum fortaſſe nimis adamabat. Nimirum homo verſatiſsimus in ſtudio, in meditando exercitaſiſsimus, excogitabat multa quæ ſibi videbantur ab aliis indicta eſſe; cumque mentis partus formoſiſsimi omnium apparere ſoleant, mirum in modum in eis placebat ſibi. Hinc adeo ſollemne jucundumque ei fuit verbum illud *Noviter*. Quanquam ego cum venia tanti viri dicam, multa eum ut nova venditaſſe, quæ conſiderare debuerat, adeo veriti eſſe conformia, & literali ſenſui congruentia, ut exiſtimare deberet, a pleriſque ſcripta, atque deſcripta fuiſſe. Quod plurimis exemplis demonſtrare poſſem. Verum ni-

(b) 4. *de benefic. cap.* 38.

nihil eſt frequentius, quam ut ii qui multa legunt, plura eſſe propria putent, quæ ſe legiſſe aliquando, non meminerint. Qua parte *Puga* excuſationem habet. Præterea ille aliqua dixit eſſe nova, quæ licet talia fatear, fuiſſet ſatius docuiſſe vetera. Certe Ego quicquid ille novum appellavit, aut memini me legiſſe alibi, aut ſemper habui ſuſpectum. Quod ideo moneo, ne viri ingenioſi nimis indulgeant ſibi. Idcirco Ego, quoties aliqua interpretatio mihi venit in mentem, quam non memini legiſſe eam, quantum poſſum ad veritatis obruſam exigo, ne forte aurichalcum pro auro vendam turpiter, & rarò audeo dicere, aliquid ab aliis indictum fuiſſe.

Ad teſtimonia Juris quod attinet, magna in iis religione verſabatur noſter prudentiſsimus interpres: potiuſque ingenium exercere in interpretandis legibus, quam in emendandis volebat. Itaque verba faciens de quadam ab *Ant. Fabro* excogitata lectione dixit. (c) *Quæ lectio, licet optimum includat ſenſum, peccat in emendationis vitium, quod, ſi poſsibile eſt, ſemper ut nefas fugiendum eſt.* Ideo etiam ait. (d) *Leviter præter morem ſub Doctorum cenſura emendare audeo Ulpiani fragmentum tit. de ſtatuliberis §. ſtatuliber 2.* Sed cum in *Jacobi Cujacii* viri doctiſsimi libris verſatiſsimus eſſet, animadvertere debuerat, in ejus *Notis poſterioribus ad Ulpiani fragmenta* illam emendationem reperiri; quas ſi ipſe non habebat, cum forte careret *Caroli Hannibalis Fabroti* editione omnium principe, legere ſaltem potuerat librum 13. *obſerv. cap. 16.* ubi textus ille eodem modo emendatus legitur. Sed in his non ſunt poſitæ opes Græciæ. Hanc indiligentiam ejus æquo animo feramus, laudemuſque ejuſdem modeſtiam in antiquorum reliquiis pertractandis. Contra quam faciunt plurimi recentes Scriptores, quibus illud optime quadrat. *Quot emendationes, tot corruptiones.* Non equidem laudo plerorumque Hiſpanorum ſuperſtitionem, qui nullum Juris Civilis textum emendari volunt: ſed mi-

(c) *Tract. 3. cap. 1. n. 6.* (d) *Tract. 14. cap. 4. num. 14.*

minime probare possum multorum audaciam exterorum, qui quæcumque non intelligunt, aut, quæ ut ipsi vellent, scripta non sunt, temere mutant, atque pervertunt. Nimirum sunt quamplurimi qui existimant legum literalem sensum jam esse occupatum, & in legibus interpretandis futura otiosa ingenia sua, quasi levis opera sit, in tanta opinionum varietate optima seligere, aut veteribus scriptis, aliquando ob nimiam brevitatem, aut argumenti subtilitatem, vel ob alias causas, obscurissimis, lucem aliquam afferre, exposito clare genuino sensu. Cum autem Critices campus latissimè pateat, in eo se exercent libentissime, non animadvertentes profecto, critices etiam esse criticen, & emendationum fructum esse plerumque ignorantiæ, & temeritatis opinionem. Neque tamen ideo nego, paucos aliquos egregios viros nostris temporibus aliqua corrupta loca restituisse feliciter. Hoc tantum dico, tutius esse plerumque sequi textum, quam ab eo recedere. Experientia nos docet, *Jacobum Cujacium*, *Franciscum Hotomanum*, *Antonium Fabrum*, triumviros illos Jurisprudentiæ restituendæ, eam alioqui bona ex parte corrupisse, dum sanare tentabant. Quod si tantis viris hoc contigit; quid futurum est ceteris? In eo etiam maxime *Puga* noster laudandus est, quod cum posset ingeniosus videri in aliorum opinationibus refutandis, id quantum potuit, vitavit: quod ipse de se non semel prædicat. (e) In quo inter ceteros imitatus est nostrum *Ant. Goveanum*, qui *initio libri* 1. *de Jurisdictione adversus Eguinarium Baronem* ita scripsit. *Otio te valde abundare, non dicam abuti, intellexi, qui ab Accursio ordiens omnium qui quæstionem hanc, vel explicavimus, vel attigimus, opiniones confutes.* Ego in ea sententia sum, scribentem debere scire, quid alii de proposito argumento, sive vere, sive falso scripserint; atque veritatem ita debere exponere, ut ipsa sua luce, veluti Sol, falsitatis tenebras disipet, dispellat.

Ini-

(e) *Tract.* 13. *c.* 2. *n.* 3. *Tract.* 16. *c.* 2. *n.* 16.

Inimicus erat *Joannes Puga* prolixitatis verboſæ. Idcirco ait. (f) *Luxuriantem & inutilem verborum copiam effugere, nec multis pauca, ſed paucis multa complecti aſſuefactus.* Et alibi (g) *Antonii Fabri* prolixitatem reprehendit. Nec immerito. De *Fabro* ſoleo dicere, eum non ſcripſiſſe tantum, quantum aliqui putant.

In ſcriptis ſuis paſsim oſtendit *Joannes Puga* quantum ipſe veneraretur Anteceſſores ſuos, Claſsicos Interpretes, & Amicos doctos, quorum honorificentiſsimam mentionem, quoties tulit occaſio, fecit, præcipue eorum, a quibus aliquid didicit, judicans cum *Plinio* (h) eſſe *benignum & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris.* Certe ei debemus ſcire, quid ſcripſerint Salmanticenſes quamplurimi, quorum opera æquum eſſet, ne *Eucliones* aliqui occultarent. Ego quidem in animum induxi *Joannis Altamirani* doctiſsimi viri *Commentarios ad Q. Cervidii Scævolæ tredecim priores quæſtionum libros* ubi primum per occupationes meas licebit, publici juris facere.

Eo etiam nomine maxime commendari debet *Joannis Pugæ* modeſtia, quòd ipſe cognoſceret ſe: licet enim optime ſciret, quantum ingenio valeret; tamen conſiderans, ſe eruditionis præſidio deſtitutum, ſuſcepit ſemper argumenta pure legalia, in quibus ingenium ſuum laudabiliter exercere poſſet. Itaque prudentius ſe geſsit, quam multi ſolent, qui ſe putant eruditos, ſi eruditos deſcribant: quaſi *Titiano*, aut *Riberæ* noſtro par eſſe poſsit, quicumque a tabulis eorum imaginem aliquam expingere conetur. Denique, ut abſolvam judicium de his Operibus, eorum ſtilus ſatis elegans eſt: ſcilicet, qualis eſſe poterat viri, qui leviter guſtaverat humaniores literas. Ad hæc, perſpicuus eſt, & populari captui accomodatus. Si quis autem a me quærat, utri meliores *Tractatus*, *Privati* ne, an *Publici*? Sine hæſitatione di-

(f) *Tract. ult. in Proœm.* (g) *Tract. 2. cap. 1. num. 24.* (h) *In Nat. Hiſt. Præf.*

dixerim, *Publicos*, in quibus eſt copia major, & judicium ſubactius. In utriſque tamen ſe diligentiſsimum, doctiſsimumque oſtendit, talemque virum prodidit, ut ſi temporibus heroicis vixiſſet, hic qui revera habuit Juriſperitiſsimum patrem, Juriſprudentiæ, aut Themidis filius fuiſſet habitus.

Quæ cum ita ſint, hi *Tractatus* utiliſsimi ſunt, non ſolum lytis prolytiſque; ſed ſcribentibus etiam. Illis, quia argumenta ſolide, & cum methodo pertracta ſunt; his quia rerum copia multiplex eſt, & Auctoris ingenium penetrantiſsimum. Denique univerſum Opus eſt ejuſmodi, ut ex eo magnum ornamentum Juriſprudentiæ acceſſurum ſit.

Nemo igitur mirabitur, cur *Tractatus* iſtos publici Juris faciam; imo potius mirabitur, cur non antea ſint editi; præſertim cum in omnibus Hiſpaniæ Academiis tanto in pretio habeantur, ut nullum nomen frequentius, quam *Pugæ* laudetur; & magnum aliquem Theſaurum ſe habere credant, qui ejus unum, aut alterum *Tractatum* habent. Dicam tamen unde mihi natum conſilium hujus Operis publicandi, quæque occaſio contigerit per quam id exſequi poſſem.

Quarto decimo Kalendas Novembris anni 1719. Patria mea Oliva profectus fui Salmanticam; quam urbem ingreſſus fui nono Kalendas Novembris. Ibi cum Ego conſilium caperem de ſtudio meo inſtituendo, cum Academias privatas non liberet frequentare, quia Elementa Juris jam didiceram adhibitis *Commentariis Arnoldi Vinnii*, Regulas Juris jam percurreram duce *Jacobo Gothofredo*, Juris Civilis Origines à *Gravina* hauſeram; in Diſputationibus autem publicis me non poteram exercere, quia ſolum triennium Juriſprudentiæ operam impenderam; erat autem neceſſarium quinquennium ad primas Juris Laureolas obtinendas; quibus non acceptis in publicum nemo prodire poteſt; domi me continebam amœniorum literarum dulcedine,

tan-

tanquam Sirenum cantu delinitus. Biennium transiit, neque vir clarissimus *Paschasius Majansius* Pater meus dulcissimus coepit revocare domum. Ego moras nectere, tanquam ille qui mihi conscius essem, inveniendum esse minus habentem, quam vulgaris fama de me Valentię prædicabat. Tum demum statui Bibliothecas excutere, optimos libros emere, illos evolvere, stilum exercere. Sæpissime audieram doctissimos esse *Joannis Pugæ Tractatus*. Id mihi confirmarunt duo viri doctissimi, Valentini ambo, mihique amicissimi *Josephus Borrullius* Primarius legum Antecessor, nunc Senator Granatensis, cujus ego *Commentarium De lege Falcidia* sane quàm doctum, ut sunt ejus omnia, eo dictante e Cathedra, excepi; & *Mathias Chafreonius* Primarius nunc Antecessor Canonum in Salmanticensi Schola. Horum auctoritate permotus, amanuensem conduxi, qui omnium qui Salmanticæ erant, & legere melius, & literas sciret elegantiùs pingere. Quæsivi diligenter quinam *Pugæ Tractatus* genuini essent? Quinam haberent Autographa, quæ inveniri possent? Apud quos essent reliqui *Tractatus* emendatiores? Quorum Dominos adiens ab eorum humanitate impetravi facile, & Amanuensi describendos tradidi. Ita factum est, ut spatio novem mensium, aut paullo minori collegerim omnes. Quo tempore elapso, ecce nuncius advenit quo fui factus certior de prope conclamata vita Matris meæ ac dominæ *Mariæ Siscaris*, quam si vellem vivam videre, scripsit Pater, mihi properandum esse. E vestigio Rhedam conscendi, & advolavi osculatum dilectissimæ matris manus, qua nihil in hac vita mihi charius est, tum ob arctissimum naturæ vinculum, tum quia nihil est quod non debeam ejus in me amori, eximiisque virtutibus, quas prædicare vellem, *materia vires exsuperante meas*. Sed illius vetat admirabilis modestia, quam offendere non audeo. Illa, ubi me vidit (ita Deo optimo maximo visum est) covalescere coepit, brevique tempore recuperavit salutem suam.

In-

Interea ego per quadrimeſtre omnes *Pugæ Tractatus* legi, & ut elaborare aſſueſcerem, aliquos eorum in uſum accomodavi meum, ſingulis in textibus claſsicos conſulens Interpretes, multa ex iis decerpens meo utens judicio, & novam addens diſpoſitionem. Cujus diligentiæ volui poſtea aliquod extare monumentum in iis Diſputationibus quas inſcripſi; alteram *De prohibito concurſu lucrativarum cauſſarum*; alteram *De ſervo pignori dato manumiſſo*. Quas Diſputationes ideo publicavi, ut,collatis iis cum *Pugæ Tractatibus* ad eadem argumenta pertinentibus, animadvertere noſtrates poſſent quid ego in meis præſtitiſſem; nec mihi in argumentis reliquis, de quibus ille nec verbum fecit, fraudi eſſet familiaris illa brevitas, quam Jureconſulti veteres tantopere adamarunt, quæque mihi eſt in deliciis. Verum fabulam narravi ſurdis. Noſtratum enim plerique illud videntur ignorare, magnum librum magnum malum, ſenſuque potius, quam mente judicantes, non alios libros magnifaciunt, niſi qui Bibliothecas onerant, & magnitudine ſua a legendo exterrent. Sed mittamus homines communi ſenſu carentes. Exinde Opera *Joannis Pugæ* mihi placere cœperunt; & eorum publicandorum conſilium cepi. Quod cum aliquibus librariis communicaſſem, nemo auſus fuit publicandi negotium in ſe ſuſcipere. Sed, Deo volente, contigit, ut menſe Decembri anni præteriti 1730. per hanc Urbem tranſiret *Rochus Villæus*, adoleſcens probus, rectique judicii, quem *Nicolaus Villæus* ejus pater in Hiſpaniam miſerat, ſuorum cauſſa negotiorum. Is igitur convenit me, rogavitque ut dicerem, quid exiſtimarem ego edi poſſe, quod e Republica eſſet literaria? Multa inquam. Sed ante omnia *Joannis Pugæ* Opera, quæ tunc ego, quantum potui, prædicavi. Ille vero ſtatim, optata, inquit, loqueris, & ut dici ſolet, currentem incitas: nam nuper Salmanticæ, cum per eam Urbem tranſirem, tanti viri laudibus excitatus doctis quibuſdam viris delegavi, ut Opera iſthæc

colligerent, & diligentiſsime curarent deſcribi meis ſumtibus, ut publici juris facerem. Quare, ſi quod eſt efficiendum, tu perfectum das; in portu navigamus. Ergo nihil cunctatus adoleſcens cupidiſsimus rei literariæ promovendæ in ſe ſuſcepit editionem. Ego in me recepi, *Tractatus* omnes intra quadrimeſtre, aut paullo plus temporis recognoſcere, copioſiſsimos rerum, ac legum Indices conficere, Auctoris vitam conſcribere, & omnia hæc ei dono dare, ea ſola lege, ut publici Juris faceret. Approbavit ille laudavitque maxime conditiones omnes. Ego ſtatim in id animum intendi, ut quanto celerius poſſem, fidem meam liberarem. Dicam tamen ingenue quid mihi contigerit.

Nunquam Ego cogitare potui quantum humeris meis impoſuiſſem onus. Fuit ſine dubio grave, atque moleſtum ſupra quam credi poteſt. Sciunt omnes amanuenſium mores, præſertim eorum qui ſuas operas locant. Ferme ſolent non intelligere quæ legunt; errata omnia tranſcribunt; antiquis adjiciunt nova, vel quia vocabula aliqua neſciunt legere, vel quia literarum affinitate decipiuntur, vel quia per immemoriam ſubjiciunt ſimilis ſoni vocem. Quando vocabulum aliquod intra paucos verſus repetitum eſt, forte non animadvertunt ubi deſierunt legere, & conjicientes oculos in repetitum vocabulum, omnia media prætereunt: idque frequentiſsimè contingit. Præterea Gloſſas marginales contextui adjiciunt, & ut Gloſſas reſpuunt, quæ ad contextum pertinent. In legum numeris labuntur paſsim; notas vix intelligunt; Ortographiam aut ignorant, aut negligunt. Denique (quod omnium eſt peſsimum) etiamſi cognoſcant ſe in aliquibus lapſos, ea nolunt emendare, ne lituris ſcriptura deformetur, & iis animadverſis, ipſorum negligentia reprehendatur. Itaque eorum errata ſero animadverti ſolent, cum res integra non eſt, & fortaſſe jam remedio caret. Amanuenſis meus Medicus erat. Sed in iis deſcribendis, ut ſolet ea gens, carnifi-

cinam exercuit. Superiores illas virtutes, & plures alias, quarum non memini, habebat. Quamobrem, ut hos *Tractatus* emacularem, neceſſe fuit, mille tollere emblemata, todidem omiſſas ſententias ſupplere, immutata corrigere, Ortographiam emendare, & *Pugam Pugæ* reſtituere.

Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo?
Quoties ego *Joannem Pugam* compellans exclamavi?
Quis tam crudeles optavit ſumere pœnas?
Cui tantum de te licuit?

Multi erant *Tractatus*, in quorum ſingulis erant pluſquam quingenta errata. Unde conjectari licebit, quantum mihi laborandum fuerit, ut Opera hæc, quantum fieri poſſet, reſtituerentur ſuo priſtino ſtatui. Emendandis libris magno adjumento eſſe ſolet exemplorum collatio. Valentiæ ſunt rariſsima. Itaque ad conjecturas confugiendum fuit. Denique tantum negotii exhibuit mihi horum Operum recognitio, ut multo minore dictaſſem totidem *Tractatus*. Quod planè confitentur qui quæ feci, viderunt, meque ex tempore dictantem aliquando audivere. Neque tamen audebo dicere nihil inemendatum relictum. Tantum opto ut animadvertatur quid feci, ut mihi diſsimuletur, ſi quid omiſi: quæ ne milleſsima quidem erit pars eorum quæ præſtiti. Adde hæc in horis ſubciſivis facta fuiſſe. Singulis diebus profeſſorio muneri ſatisfacere debui; dictavi e Cathedra Diſputationem annuam; explicavi ex ea duos priores Inſtitutionum libros; domi quatuor integros. Abſentium literæ interpellarunt me pluſquam ſolent. Amicorum officia ſibi multum temporis vindicarunt. Facilem Scholaſticis aditum negavi nunquam. Igitur cum poteram vacare a negotiis meis, hos *Tractatus* legebam. Nec pluries quam ſemel legere potui: qua ſola vice, intentus eſſe debebam tollendis erratis; Rerum ac Legum conficiendis Indicibus; denique adnotandis iis quæ ad ſcribendam vitam *Joannis Pugæ* pertinere poſſent; nam

ob remotam memoriam Viri jam diu defuncti, adeo incerta & confusa narrabantur, ut literis ea mandari non deberent, & ab ipsius scriptis hæ qualescumque notitiæ excerpendæ fuerunt, & in unum colligendæ. Quæ hoc saltem habebunt, ut mereantur fidem. Si cum Salmanticæ fui, cogitassem de his Operibus aliquando edendis, proculdubio nunc addidissem multa. Sed hoc me consolor, quod tanti Viri memoriæ nulla ex parte defui. Quod si aliqua omisi, a te, mi Lector, & a quocumque admonitus; quæ cum judicio animadverteris, repetita editione libenter addam, si mihi Deus otium fecerit. Vellem sane ut ita res contigissent, ut Valentiæ hæc editio curari posset. Sic me erga *Joannem Pugam* gessissem, uti *Carolus Hannibal Fabrotus* in *Jac. Cujacium*. Spero tamen *Nicolaum Villæum*, & *Lud. Chalmettum* eam diligentiam adhibituros, ut mea in opere accurando minime desideretur, & a me præstita hactenus tibi grata sit.

Quod attinet ad Titulum horum Operum, *Joannes Puga* pro arbitrio singulis *Tractatibus* diversum ab aliis titulum præfigere solebat. Nam, ut plures alias inscriptiones omittam, has ego frequentiores adnotavi. *Methodicus Commentarius. Observatio Academica. Apparatus Academicus. Expositio. Tractatus Academicus.* Unus Titulus ex iis deligendus fuit. Elegi postremum, sequutus exemplum judiciumque eruditissimi Viri *Arnoldi Vinnii*. Quanquam enim *Joannes Puga* hos omnes *Tractatus* in *Academia* non dictaverit; tamen omnes scripsit *Academico more*.

Illud admonendum puto, me solum intendisse Amanuensis errata tollere, & ab eo omissa supplere; non vero adnotare *Joannis Pugæ* lapsus: quod facili negotio potuissem. Sed cogitare debui, me ejus Operum editorem, non auctorem esse. Et plurimi essent qui persuaderent sibi, me mei potius caussa, quam illius hæc scripta edere. Minime dubito, quin ille,

Si

Si foret hoc noſtrum fato delatus in ævum,
Detereret ſibi multa; recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur.

Sed quoniam Deo optimo maximo aliter viſum fuit, parcere debes ſepulto.

Quoque magis faveas, non ſunt hæc edita ab illo;
Sed quaſi de domini funere rapta ſui.
Quicquid in his igitur vitii TRACTATUS *habebit,*
Emendaturus, ſi licuiſſet, erat.

Quid dicendum reſtat? Puto nihil, niſi ut cum *Phædro* dicam.

Induxi Te ad legendum: ſincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

XVII. *DON JOSEPHI ANTONII MONTIANI ET Sopelanæ, quondam Divi Zebedæi Majoris Collegii Academiæ Salmanticenſis Alumni, nunc in Regio Auditorio Valentino Senatoris, Cenſura juſſu Regii Caſtellæ Senatus.*

DE *Tractatibus* hiſce *Don Joannis Pugæ & Feijoo* J. C. *& Primarii Anteceſſoris Salmanticenſis*, jubemur cenſere ex animi ſententia, & laudare eſſet magis ex animo. Sed bene eſt, quod non niſi laudando cenſere poſſumus. Nam ſi ſpectes ingenium, acutiſsimum eſt; ſi judicium, acerrimum; ſi copiam, uberrima; ſi diſpoſitionem, ordinatiſsima; ſi ſtilum, inafectatus, apertus, elegans. Accedit argumentorum varietas, qua legentium animi mire ſolent recreari: &, quod eſt mirabilius, in tanta varietate unus idemque tenor, & æquabilitas ſumma. Auſim dejerare, nullum hoc noſtro ſeculo prodiiſſe opus, quod ad Juriſprudentiam illuſtrandam æque conducat. Tam ſingulare munus debemus *Don Gregorio Majanſio* Anteceſſori Valentino, homini nato ad promovendas literas, qui non contentus poſteritati mandare ſua

Scrip-

Scripta æternum victura, aliena etiam ſapientiſsimorum virorum ab oblivionis tenebris extrahit, & luce publica donat. Quare gratulor Manibus Juriſconſultiſsimi Viri, cujus præclariſsima Opera, non jam ab uno aut altero legentur, deſcribentium vitiis depravata, ſed in omnium oculis verſabuntur diligentiſsime recognita, & ad faciliorem uſum locupletiſsimis Indicibus adaucta. Gratulor Salmanticenſi Academiæ quæ Virum protulit, cujus immortalia Opera Literariæ Reipublicæ erunt ornamento ſempiterno. Gratulor cupidæ legum Juventuti, quæ puriſsimam doctrinam ab his hauriet *Tractatibus*. Tibi denique gratulor, Potentiſsime Senatus, qui ſi præclariſsimum illum Anteceſſorem Neapolitani Senatus Præſidem, deſignatumque jam ut ad veſtrum Ordinem veniret; vitæ ſocietate non potuiſti complecti, quoniam in mari deceſsit ab Italia rediens; ſaltem gaudebis, digniſsimum fuiſſe, qui juſſu *Caroli II.* accerſitus, inter Vos ſederet. Quare cenſeo æquiſsimum eſſe, ut quem hilares (ſi diutius vixiſſet) accepiſſetis Vos, Sapientiſsimi Patres, eidem vita defuncto concedatis, ut vigiliarum ſuarum fructu non careat; imo Vobis faventibus proſit omnibus: præſertim cum illius doctrina ſit ſaniſsima, & accomodatiſsima ad illuſtrandum non modo Jus Commune, ſed Hiſpanicum etiam. Ita cenſebam Valentiæ in Edetanis, Kal. Septemb. An. MDCCXXXI.

D. Joſephus Antonius de Montiano & Sopelana.

XVIII. *MARTINUS MAJANSIO SUO S.D.*

VEllem omnino, *Majanſi* mi, ut ſemper ob oculos gereres ſenarium illum:

Hygeìa kai noys eſthla tô biô dyo.

Quorſum enim ingenii acumen & ſolertia, ſi infirma valetudo, ſi vires corporis imbecillae? Video te identi-

dem

dem infestari febricula, & incolumitati tuae parum consulere. Cùm enim aër ille patrius gravis habeatur, & saluti oppido infensus; tu tamen nihil tam habes in deliciis, quàm illo itare, cumque discesseris, denuò iturire. Quaenam haec insania, salutem tuam minoris pendere, quàm infestas illas glebas; & anniversarias sectari querqueras? Quare, si sapis. Nihil enim tam interest tua, quam tute.

Fuisse nuper Valentiae Romanum quendam bibliopegum, nunciavit quidam. Si adhuc isthic degit, bene est. Romani enim *bibliopegias* elegantia Gallos aequant, operis diuturnitate superant. Mittam unà tomum primnm Romae compactum, ut sit illi exemplo. Vale animi mi. Alonae pridie Eidus Septembreis. An. MDCCXXIV.

XIX. *GREG. MAYANSIUS EMMANUELI MARTINO, Decano Alonensi. S. D.*

MIhi quidem, *Emmanuel* charisime, non à patrio solo, sed a memet ipso cavendum est. Patria mihi salutaris, quandiu ego solum delectabar veterum Poëtarum ac Historicorum lectione, aut scientiarum, etiam gravissimarum mediocri studio. Sed ex quo hanc Cathedram ascendi, de salutis statu dejectus sum. Ita tamen, ut si mihi velim consulere, ipso Antæo validior surgam. Fractus ego labore sum. Sed, si verum illud (ut sane est.)

..... Vires instillat, alitque
Tempestiva quies: major post otia virtus.

Ubi primum quievero, fortis ero atque robustus, volente Deo. Statueram ego vix videre libros his æstivis feriis; atque ideo paucos meum attuli Olivam: sed ubi me sensi valentiorem, in laborem maximum me detrusi, ipsa librorum paucitate me ad suscipiendum eum invitante. Jurisconsultorum omnium dispositi seriem secundum

dum Chronologiam, adhibitis probationibus ex ipso jure. Eorundem Tractatus ordine alphabetico distribui: opus adhuc intentatum, & mihi saltem utilissimum, ut in quolibet argumento sciam cujus Jureconsulti fragmentis uti debeam; & quot ex eis scripserunt ea de re, ut primum omnium eos tanquam fontes adeam. Omitto alia. Nunc hæ querceræ anniversariæ alios mores postulant, vitam aliam. Crastina die me conferam in oppidulum vulgo *Pavias*, cujus Curio est *Josephus Marinus* olim meus institutor domesticus, priscæ probitatis vir, meique amantissimus. Ibi libris omnibus valere jussis, salubres saltus peragrabo, aquam purissimam bibam, perdices in catino, subtilissimas auras in illis montibus captabo. Morabor ibi usque ad Lucalia. Interea, si vis, Divi *Joannis Chrysostomi* mittito libros. Licet enim puer ille Romanus bibliopegus qui Liguri cuidam locabat operas, Mantuam novam abierit, non deerit alius, qui firmius & elegantius adornet libros. Solum deerit nobis limpidissima illa membrana qua bibliopegi Batavi uti solent. Frater meus *Vincentius* hic manebit. Si miseris libros, curabit compingi. Vale, summum decus literarum, & ama me. Valentiæ in Edetanis. Sexto decimo Kal. Novembreis. MDCCXXIV.

XX. *GREG. MAJANSIUS ANT. BORDAZARIO suo S. D.*

MEarum Epistolarum fasciculos diligenter evolvi, & elegi eas, quas cum his accipies, ut tuorum typorum beneficio luce publica fruantur. Quoniam autem permolestum esset omnes describere, ipsa Autographa mitto; singulisque eorum appositi suum numerum, ut scias quo ordine excudi debeant. Præterea interdum adnotavi ad marginem ea quæ omitti volo. Aliter enim soli cum fido amico; aliter coram omnibus solemus debemusque loqui: semper tamen honesti memo-

mo-

mores. Si cares typis Græcis, ſubſtitue Latinos: non ſine exemplo eruditiſsimorum virorum. Nam, ut alios præteream, ita facere coactus fuit *Tanaquillus Faber* Græcis literis inſigniter excultus, in editione Horatiana, quam adornavit Salmurii. Et ut Epiſtolici ſcriptoris exemplo hoc ipſum tibi confirmem, Latinis etiam characteribus ad Græcas voces ſcribendas uſus fuit *Hieronymus Boſsius* J. C. Ticinenſis, & non incelebris philologus. Ad Orthographiam quod attinet, ea ſolet eſſe diſtincta pro diverſitate ſcribentium. Mihi placet ſimplex & inaffectata ſcribendi ratio. Hanc adamarunt veteres omnes Scriptores. Hanc imitati ſunt aliqui recentiores eruditiſsimi, vix utentes apicibus, niſi ad orationis ambiguitatem evitandam. Ne tamen aliorum opinioni quicquam detraham, Orthographiam ſervato, qua ſinguli illi qui ad me dederunt literas, uſi ſunt, niſi ea fuerit manifeſte prava. Denique omnia diligentiæ ac fidei tuæ committo. Si quæ reſtant, quæ exponere debeam, coram agemus. Operas tuas quantum poſsis, urge. Cura ut valeas; & crede neminem eſſe amantiorem tui, quam ego ſum. E Bibliotheca, Duodecimo Kal. Novembreis, Anni MDCCXXXI.

XXI. *GREG. MAJANSIUS JOAN. BAPT. SOUCHÆO Regiæ humanarum literarum Academiæ Socio S. D.*

LIteris tuis Gallica Lingua conſcriptis, & pridie Eidus Novembreis ad me datis, Latine reſcribam, ut minus barbarus videar. Incredibilem illæ voluptatem attulerunt mihi; tum propterea quod intellexi Cl. Virum *Franc. Dionyſium Camuſatum* mei eſſe memorem, cum ad me juſſerit tranſmitti *Alphonſi Ciacconii Bibliothecam* Obſervationibus illuſtratam ſuis, quam impatienter præſtolor, & percupio legere; tum quia nuncius

tam jucundus mihi venit abs te, cujus eruditio orbi literario notiſsima eſt, & mihi famæ beneficio etiam cognita, etiamſi degam in hoc veluti terrarum angulo. Quoniam igitur perhumaniter fidem tuam ac benevolentiam polliceris mihi; ipſe viciſsim repromitto tibi quicquid officiorum a me proficiſci poterit. Ne vero expectes quæ ſint ſupra vires meas, ubi primum ego in lucem miſero ſex Epiſtolarum libros qui ſub prælo ſunt, jubebo ſtatim ad te perferri. Ex quibus facillime cognoſces quouſque ſolum progredi poſsit ingenii mei imbecillitas. Sic nunquam fallam opinionem tuam. Ex ſapientiſsimorum autem virorum reſponſionibus ad me datis, facili conjectura aſſequere, quot & quanti viri ſint hodie in Hiſpania eruditionis laudibus præſtantes, quibus ſolum deeſt, ut eos præmium alat foveatque. O vos felices, quibus in medio ſtadio ſunt locata præmia! Nos hic fruſtra ſudamus, omni ſpe deſtituti, ſola literarum dulcedine, tanquam Sirenum cantu deliniti detentique, glorioſæ navigationis impedito curſu. Sed mittamus inanes ac nihil profuturas querelas. Cura diligenter non modo rem literariam, ſed valetudinem tuam, & me tibi putato addictiſsimum. Valentiæ in Edetanis pridie Nonas Novembris. Anni MDCCXXXI.

Hæc ſcribebam, cum ecce nuncius de prope conclamata ſalute matris meæ, ne aliqua voluptas ſolida ſit. Itaque ſtatim Olivam ibo, itinere, quantum potero, maximo.

XXII. *GREG. MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, Decano Alonenſi, S. D.*

TAm acerbo dolore ſum oppreſſus, ut ei reſiſtere non poſſem, niſi qui vulnus inflixit Deus Opt.max. idem ipſe ſanaret. Pridie Nonas Decembreis triſtiſsimum accepi nuncium de ſuaviſsimæ Matris meæ valetudine tenui

aut

aut nulla. Statim Olivam advolavi. Sed eodem tempore quo ego ab hac urbe proficiſcebar, ipſa Creatori ſuo redebat animam. Itaque inveni defunctam. Sed niſi in feretro depoſitam vidiſſem, exiſtimaſſem vivam. Inveni enim qualem ſolebam, modeſtiſsime ſubridentem, eadem oris dignitate, imo venuſtiore. Mors enim priſtina oris lineamenta non immutavit, & pallidulo colore infuſo, quaſi ſpecioſiſsimo pigmento decoravit eam. Ejus igitur aſpectus, quem mihi peracerbum exiſtimabam futurum; mihi jucundiſsimus fuit: multoque poſtea jucundior, cum genus mortis audivi. Pridie Kalendas Novembreis ſacris adfuit. Ut rediit domum, ſterni lectum juſsit, decubuitque acerbiſsimo ventris dolore infeſtata. Nimirum corpuſculum vigiliis ac inedia debilitatum, naturalibus facultatibus non valebat uti. Acciti Medici, quibus, poſtquam experta fuiſſet, inutiliter tentari omnia artis remedia, *Fruſtra*, inquit, *eſtis. Nam medicamentorum vis accelerabit mortem. Quanquam autem eorundem omiſſio ad evitandam eam minime proficiet; ſatius erit me perexiguum tempus quod ſupereſt, animæ ſaluti impendere.* Statim juſsit accerſi Sacerdotem, cui ſuam aperuit conſcientiam. Deinde enixe orabat, ſibi deferri Sacrum *Jeſu Chriſti Corpus*. Cum autem atra bilis per ejus os redunderet, fluitaretque, hoc ſolatium ei denegatum fuit. Quæ tunc ejus oratio? Mortis anguſtias oblita eſt præ illius nuncii acerbitate. Sacram igitur Unctionem ſibi deferri juſsit: & ut decentius eam acciperet, oculorum, aurium, narium, manuum, præcipueque pedum abſtergi ſordes, ſi quæ eſſent, præcepit. Chriſtiano ritu ad omnia attentiſsime, & alacritate ſumma reſpondit. Sacro Oleo perunctа, cum *Sancto Spiritu* novos ſpiritus ſumſit, tanquam athleta ſtrenuiſsimus adverſarii deſpiciens imbecillitatem, victoriæque aſſuetus. Mirifice in fide, ſpe, & charitate confirmata fuit. Adeo divina dixit, ut cœleſti ſpiritu afflata videretur loqui. Læto animo Domini adventum expectabat; parataque erat depoſitum ſuum

quandocumque illud a ſe repetere vellet, libenter reddere. Marito ſuo, propinquis, domeſticis omnibus vale dixit ſumma animi conſtantia, nullo mortis metu. *Emmanueli* filio, qui ex nobis ſolus aderat, benedixit, & mihi quoque, & *Antonino* abſentibus. Coram ſe poni juſſit mortualia veſtimenta, quæ cadaveri veſtiendo ante multos annos præparaverat, interulam, thoraculum, velamen, tibialia, ligulas, calceos, funiculum funebri veſti adſtringendæ, filum bombycinum coloris ſubcinericii ad tunicæ ſinus conſuendos, vittam ad manus colligandas, crucem complicatis manibus inſerendam, candelam ceream quam in manibus eſſet habitura, cum Chriſtiano ritu ejus anima Deo commendanda eſſet. Et, quod eſt mirabilius, cuſtodiebat eundem illum cereum, quem ejus proavia, & avia, cum ab hac vita diſcederent, manibus ſuis tenuerunt. Afferri juſſit *Divi Franciſci* habitum, quem voluit detritum eſſe, ſed mundum. Hunc ut vidit, manibus ſuis tenens oſculanſque, orationem habuit ad *D. Franciſcum*, qua filia a Patre clementiſsimo (erat enim ſodalitii prima ſoror) opem auxiliumque imploravit, omnibus qui aderant illacrymantibus. Deinde ſupra ſuum corpus ſterni juſſit. Præterea ſibi dari voluit Servatorem affixum cruci, manuque tenens, ſingulas plagas ſalutans oſculanſque a capite ad pedes, dixit diviniſsima. Quid verbis opus eſt? Tantus erat mentis animique fervor, ut viri pii qui aderant, coacti fuerint eam admonere, ut quieſceret, ne ſibi mortem acceleraret. Quibus illa. *Imo nunc maxime laborandum, ut vitam conſequar.* Urgebant ut dormiret. *Imo*, inquit, *nunc præcipue vigilandum. Vos apud Deum adjuvate me obſecrationibus veſtris, & mihi verba præite.* Nullum ab ejus ore verbum excidit, quod non videretur incidendum auro, vel potius cordibus. Cum ita ſe præpararet ad æternum iter, pervenit ad meridiem diei ante Nonas Decembreis, conſecrati *D. Barbaræ*, cui tota vita devotiſsima fuit, habuitque ſemper illius effi-

giem

giem ad lecti caput; cumque sciret jam esse prandendi tempus; *Accumbite*, inquit, *ne quid humanitus accidat, quod id probibeat.* Obtemperatum est. Cumque perveniſſet ad horam primam pomeridianam, arteriam ipsa exploravit suam; debilem invenit. *Et ego*, inquit, *morior. Animam meam cito cito commendate Deo.* Quod cum præsentes facerent innixi genibus, gemebundi, & illacrymantes, ipsa clara & constantisima voce Symbolum fidei recitavit; deinde dixit summa animi dulcedine, voce adhuc sonora, sed remisiore, *Salve Regina.* Quam orationem cum finiſſet, conticuit; pectori suo *Jesum Christum* admovit, eum arctisime complexa fuit, & hilaris subridensque eidem animam reddidit hora prima & quadrante post meridiem. Statim omnes domestici, propinqui, amici, in lacrymas effusi. Omnes narrare ejus probitatem, religionem, charitatem, humanitatem, ac virtutes omnes heroina dignas. In tanto ceterorum luctu, quid ego faciam quem acerbius urit hic casus? Nihil juvat nisi flere, partim dolore, partim gaudio; dolore quod caream tali Matre; gaudio quod habuerim talem. Utinam illa quam in morte subeunda fortitudinem, obtinuit, mihi a Deo impetret, ut eandem feram & tolerem animo, qui Christianum decet. Te oro & obtestor, optime vir & amice egregie, ut idem a Deo petas, & ut valetudini tuæ diligentisime servias. Valentiæ Edetanorum xv. Kal. Januar. An. MDDCXXXII.

XXIII. *MARTINUS MAJANSIO SUO HILARITATEM.*

NOvisimae tuae literae xv. Kal. Januarii ad me datae nuntium mihi attulere tristisimum. Matrem nempe tuam rebus humanis defunctam. Eòque te in maximo jacere luctu atque mœrore. Quem ego funestisimum casum quum animo meo reputo, nullum invenio par dolori tuo solamen. Amisisti enim optimam paren-

rentem, foeminam lectiſsimam, tuique amantiſsimam. Denique morum ſanctitate inſignem. Amiſiſti filius optimus, pietate adverſus parentes eximius, probitate conſpicuus, mitiſsimo ingenio, vitae innocentia, morumque integritate ſpectandus, totque naturae ac literarum ornamentis clarus. Tamen id cogites velim, naturae congruentius reputari, fatique ordini, ſi parentum funera, liberorum praecedant, ipſique filii eorum oculos claudant, eoſque efferant. Porrò de matre diuturna valetudine confecta, imbecillo corpore, ac viribus penè exhauſta, quid ultra ſperare liceret, nullus video. At deceſsit. Fateor. Sed naturae lex eſt. Ea conditione in lucem prodimus. Quid mirum obiiſſe hominem, meram umbram? Quandoquidem ſuperba aedificia, potentiſſima regna, urbeſque maximae, intereunt? nec ullum deprehenditur priſtinae majeſtatis veſtigium. Reliquit tibi ſuperſtites, patrem ſanctiſsimum, fratreſque minores egregia indole, atque eximia ſpe adoleſcentes. Reliquit praeterea (ſi quid ad rem attinet) amplum patrimonium. Per igitur ſalutem tuam, per funeſtae domus genium ac fortunas, te oro atque obteſtor, ut memor humanae ſortis tibi conſulas, quantum pietas faſque ſinunt, moerori parcas, neve acerbiſsimo dolori nimium indulgeas. Quodque ad me attinet, doleo quidem dolorem tuum, & (ut priſca illa formula utar) VELLEM QUAE VELLES. Opera rebuſque noſtris utere, abutere. Et cura nihil aliud niſi ut valeas. Alona XII. kal. Januari. An. MDCCXXXI. Ipſo die Brumae.

XXIV. *GRFG. MAJANSIUS PHILIPPO BULIPHONI, optimo ſuaviſsimoque amico, S. D.*

SI ſanctiſsimæ Matris meæ obitu animum meum commotum negem, non modo verum non dicam, ſed nec ipſa Philoſophia id, puto, probabit. Matrem enim ami-

amisi , cujus actiones omnes præclarissimarum virtutum exercitamenta erant. Adeo ut ipsa , non virtutibus prædita , sed ipsa virtus videretur esse. Quod cum ego considero (desiderii autem vehementia considerare cogit assidue) non minus gaudeo ob partam illi beatitudinem, quam doleo ob amissum exemplum heroicarum virtutum. Communicabo tibi mei gaudii causas , ut iis cognitis , Dei misericoricordiam celebres , ei gratias agas, & ab eodem impetres , ut dolorem meum , quoniam solus potest , ipse minuat , levetque.

Undecimo Kalendas Decembreis Olivam accitus fui jussu Matris meæ. Vigiliis & inedia debilitatam inveni. Extra lectum tamen , imo stantem , ut me advenientem exceperit. Scilicet maritum,& filios celare semper assueverat morborum vim , quibus assidue vexabatur ; & ad quoscumque labores perferendos erat animi invicti: adeo ut per annos viginti quinque assiduo molestissimoque capitis dolore laboraverit , & non nisi raro questa sit , cum illam videlicet acerbissime torqueret doloris vehementia. Biduum Olivæ mansi , ab ejus ore pendens , ejus enim verba ut oracula audiebam. Discedenti mihi , posteaquam eam amplexus , manusque ambas osculatus fui ; *Iterum* , ait , *me amplectere* ; *non enim amplius licebit.* Dixeris lancea meum cor transfixum. Adeo insolita illa verba meum cor vulnerarunt. Ex illa hora nihil nisi triste cogitavi. Aliquantulum tamen me recreabant literæ , quas illa peramanter subscribere consueverat. Sciebam præterea sacris adesse. Cum vero his interesset pridie Kalendas Decembreis , dolore quem vocant *eilion* pene cœpit disrumpi. Domum reversa decubuit. Medicis accitis , & frustra adhibitis medicamentis , eos humaniter dimisit , animæque medicum , sollicita solum æternæ salutis , acciri jussit ; cui suam aperuit conscientiam. Deinde enixe oravit , ut sineret se participem fieri Sacræ Communionis ; quæ cum ei denegaretur , quoniam bilioſus vomitus accesserat , magis

af-

afflictata fuit illo dolore, quam lethalibus anguſtiis. Interea dolor vehementior erat. Illa vero *Jeſum, Mariam,* & *Joſephum* inclamare, opem divinumque auxilium implorare. Admonita de teſtamento faciendo, acciri juſsit tabellionem, rogarique teſtes, quibus præſentibus ad virum converſa. *Dic mihi*, inquit, *quid me diſponere jubes, & illud ipſum ego conteſtabor.* Cumque Pater meus reſpondiſſet, *ſibi omnino placiturum quicquid ipſa vellet*; tum illa clara voce ſupremam ſuam voluntatem hanc eſſe voluit. *Immortali Deo per Jeſum Chriſtum Servatorem, ac Mediatorem noſtrum, cujus Religionem Catholicam ſemper profeſſa fui, & eo favente, profitebor conſtantiſsime, animam meam reſtituo ſub præſidio beatiſsimæ Virginis Dei Matris, quam ſemper, præcipueque in meæ mortis momento adjutricem opto, ſicut Michaelem Archangelum, Angelum meum Cuſtodem, Divoſque omnes, & Divas. In meum funus octingenti denarii impenduntor. Divi Franciſci Aſsiſsii induta habitu more majorum ſepeliri volo. Franciſcani fratres cadaver efferunto. In majorum meorum conditorio quieſcere volo. Tres filii mei Gregorius Majanſius, Emmanuel Majanſius, & Joannes Antonius Majanſius heredes mei ſunto. Gregorio præterea tertiam & quintam bonorum meorum partem do lego. Voluntatis meæ exſecutores ſunto, Cl. Paſchaſius Majanſius, maritus meus chariſsimus, Gregorius Majanſius filius meus, & Doctor Joan. Bapt. Hermanus, Eccleſiæ majoris Olivenſis Curio Vicarius.* Hæc illa ita diſpoſuit perſpicuitate ſumma. Cumque maritus urgeret, *ut juberet impendi in funus majorem ſummam. Habemus*, inquit, *communes liberos, quibus proſpicere debemus. Te & illos confido mei memores fore, & preces veſtras pro me apud Deum effuſuros.* Teſtamento rite confecto, dixit, *ſe velle vale dicere univerſæ familiæ.* Juſsit igitur ad ſe famulas accedere. Quantum eas amaſſet, in earum memoriam revocavit. Subjunxit, *Expectare ſe remunerationem quam poſſent, ſibique facillimam, obedientiam in dominos, & memoriam ſui co-*

ram

ram Deo. Deinde, ut in mandatis fuerat ſemper exactiſſima, uni ex pediſſequis, dixit. *Tu, cum in feretro locata fuero, & propinquæ, amicæque more ad corpus vigilaverint, muliebri operimento nigro cooperta ingredieris identidem, & emunges cereos*: & ad eos qui aderant, converſa, inquit. *Hos, donec corpus meum efferatur, unius fili, non multiplicium eſſe volo, ne fumus, & halitus incluſus vigilantibus noceat. Et, ſi opus fuerit, etiamſi moris non eſt, feneſtram aperies. Nec enim mortui vivos necare debent.* Cubiculariæ natu majori dixit. *Accipe duo linteola. Altero, cum in tumulo fuero, ſi per os humor redundaverit, abſtergito faciem. Altero, publicis obſecrationibus eccleſiaſtico ritu peractis, cum cadaver erit cooperiendum, ut in conditorium immittatur, obnubito faciem.* Præterea veteri pediſſequæ dixit. *Tu triduo poſteaquam ſepulta fuero, diſſue culcitas, in quibus ego jaceo, lanam inſola, atque iterum conſue: neque enim hic morbus contagioſus eſt.* Deinde juſsit accedere *Emmanuelem* filium, cui poſteaquam benedictionem impertiviſſet; *Impertior etiam*, dixit, *abſentibus filiis meis, Gregorio, & Joanni Antonio, non enim eos videbo.* Denique a marito ſuo, quocum individuam vitam per triginta ſeptem annos ſine jurgio tranſegerat, imploravit veniam, ſi forte in aliquibus ei minus morigeram ſe geſsiſſet. Hæc omnia peragebat ſumma animi tranquillitate, ea ſcilicet qua olim corpore ſano, ac mente vegeta ire in viciniam ſolebat. Cum vero vis doloris acrius eam urgeret, & venter pectuſque magis intumeſcerent, ſecundo nonas Novembreis hora ſexta veſpertina Extremam Unctionem poſtulavit, quæ dum afferretur, ut eam acciperet decentius, juſsit ſibi lavari pedes, ipſaque humido ſudariolo oculos, nares, aures, manuſque ſuas abſterſit. Statim adfuit Vicarius Curionis cum Sacro oleo. Cumque illam admonuiſſet de fide, conſtantia, & de ſe ipſa conformanda ad voluntatem divinam, vitæ præſentis contemtu, & peccatorum dolore; ad omnia reſpondit

ſumma pietate, ac devotione: Sacroque oleo peruncta, interrogata de præcipuis fidei capitulis, adeo ſapienter reſpondit, ut facile manifeſtaverit, quantum illa in omni vita meditata fuerit legem Domini. Ut vero audiit exhortationem ad prodendos crebros actus fidei, ſpei, & charitatis, tam intenſo cordis affectu eos prodidit, ut Theologi qui adeſſent uno ore faterentur, tam profundam Theologiam non ab alio pectore proficiſci potuiſſe, niſi ab eo quod eſſet Dei gratia pleniſsimum. Quid verbis opus eſt? Tantus erat animi æſtus, ut præſentes omnes rogarent eam, ne ſe fatigaret: Deum intimos animi ſenſus penitus introſpicere, iiſque eſſe contentum. At ipſa minime deſiſtebat: & converſa ad *Ludovicam Majanſiam*, filiam *Ludovici* conſobrini ſui, nobilium olim Sevirorum in hac Urbe Principis, ita præcepit. *Aperi illam arcam, ibi parata habeo mortualia veſtimenta: ſupra menſam apponito. Inter ea invenies bombycinum filum ad conſuendos ſinus veſtis funebris. Nunc, quoniam ocioſa es, illud glomera, & acum præpara.* Tunc juſsit ſibi afferri tunicam Franciſcani ſodalitii, detritam quidem, ſed mundam, erat enim amantiſsima munditiei. Ubi ea allata fuit, in manus accepit. *Et ſub tuo* (inquit) *Patrocinio, Dive Franciſce, ſemper fuit hæc domus. Ecce ego, licet indigna, e tuo ſum ſodalitio; tua inſignia geſto. Tuam ego me profiteor filiam. Agnoſce talem; laborantique ſuccurre.* Hæc, & plurima alia adeo pie illa dicebat, ut omnes qui aderant, continere lacrymas nequirent. Deinde ſupra corpus ſuum veſtem illam extendi juſsit. Sibi in manus dari Servatorem cruci fixum voluit: quem, ubi accepit, ſacra vulnera ſingillatim ſalutare, & per eorum dolorem meritumque æternam depoſcere ſalutem. Quæ vero tunc dixit, adeo divina fuerunt, ut oratione complecti negotium ſit ſupra vires meas. Scilicet quæ ſingulis vitæ ſuæ diebus, antequam iret cubitum, coram *Jeſu Chriſto* cruci fixo fundere preces conſueverat, extremis illis horis egregie peroravit. Inter pias haſce exercita-

citationes, quas rogatu adſtantium nunquam voluit intermittere, pervenit ad diem ante Nonas Decembreis, *Divæ Barbaræ* ſacrum, cujus cultui ſemper addictiſsima fuit: adeoque ejus effigiem ad lecti caput habebat. Cum jam illuceſceret, uni ex pediſſequis ait. *Quoniam ſunt quamplurimi qui tota nocte vigilarunt, antequam abeant in domos ſuas, vas æreum maximum potioni Indicæ conficiendæ abſterge calida infuſa, nam forte erit rubiginoſum. Poſtea iterum infunde aquam, eamque guſtato; & ſi nullus inerit ſapor, injice maſſam Indicam, nec ſinito abire quenquam quin prius ea potione ſtomachum refecerit.* O mentem providentiſsimam, & in ſummo ſupremoque humanæ vitæ decurſu, immotam tranquillamque! Poſtea cum meridiem eſſe cognoviſſet, *Tempus*, inquit, *prandendi eſt. Accumbite, ne quid humanitus accidat quod id prohibeat.* Sicut juſſerat, ita factum eſt: cumque jam eſſet proxima hora prima pomeridiana, ſenſit pectus magis magiſque turgere, arteriæque motum admodum eſſe debilem. *Et ego*, inquit, *morior. Animam meam cito cito commendate Deo.* Unus ex viris Religioſis qui aderant ex candelabro cereum extrahere cœpit. Cui illa. *Deſine iſtum. Habeo enim præparatum, quem proavia & avia mea ab hac vita diſcedentes manibus ſuis geſtarunt.* Cœperunt igitur viri pii animam illius commendare Deo, lacrymis per omnium ora manantibus, gemitibuſque erumpentibus. Ipſa vero interrita, animoque mirum in modum tranquillo, Fidei Symbolum clara conſtantique voce profeſſa eſt. Deinde recitavit, *Salve Regina*, voce remiſsiori, ſed dulciſsima. Qua oratione finita,

Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

Quievit, inquam, nam *Jeſu* cruci fixo admoto pectori, eumque arctiſsime complexa, in ejus complexu jucundiſsimo requievit, animam ei reſtituens pridie Nonas Decembreis hora prima & quadrante poſt meridiem, cum vixiſſet quinquaginta quatuor annos decem menſes & quinque dies: nata enim fuerat quarto Kal. Febru-

bruar. anni 1677. Ita factum est ut decesserit die, quem cæca Gentilitas consecravit *Marti*: quem diem cum infaustum, & obscœnissimi ominis esse aliquando inaudisset, ut erat superstitionis inimica, dicere solebat, prospera omnia sibi contigisse eo die, & libentissime eodem se morituram.

Ejus statura fuit brevis, capilli nigri, frons speciosa, oculi subnigri, hilares ac veluti scintillantes, nasus acutulus, facies aliquantulum oblonga, vultus mirifice conformatus, & placidissimus, gravissimusque, corpusculum tenuissimum: totius corporis habitudo egregia, quæque omnium oculos ac reverentiam in se converteret. Incessus diligens, gravis, honestus, omnes ejus actiones modestissimæ. Ejus oris vultusque dignitatem non modo mors non fœdavit, sed venustiorem reddidit, infuso pallidulo colore, qui mirifice illam decoravit. Expiravit, permansitque vultu hilari subridenti simili, eodem scilicet, quo omnium amorem, & venerationem sibi dum viveret, conciliavit: ut omnino illi convenerit illa fortis mulieris egregia laus. *Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.* Certe ego sæpissime audivi Patrem meum prædicantem, non sibi visam illam pulchriorem ipso nuptiarum die. Et ego adeo formosam inveni, ut semel iterumque osculatus fuerim genas, manusque ambas, cum alias cadavera nec inspicere soleam; & post viginti sex horas, quibus in feretro jacuit omnium oculis exposita, nullum tetrum odorem e suo corpore misit. Statim ac animam efflavit, rumor per universum populum fuit diditus; concurrere omnes, lamentari, ingemiscere, collacrymari, conqueri, deesse pauperibus opem, miseris solatium, omnibus denique præclarissimarum virtutum vivam imaginem. Unusquisque narrare quantum ei debuisset. Scilicet illa fuit prædita charitate prope incomparabili. Nam egregiam habuit pietatem in Deum, summum obsequium in maritum, singularem amorem in filios, liberalitatem in pauperes

pe-

pene incredibilem, admirabilem in omnes humanitatem. Sacris aderat quotidie, nisi magnum negotium impediret, veluti sua, aut domestici alicujus parum firma valetudo. Conscientiam suam frequentissime repurgabat. Cum universa familia Angelicarum salutationum decades recitabat quotidie, ipsa ac marito suo chorum ducentibus. Tanta vero dulcedine pias preces effundebat, ut mirificam in audientibus excitaret pietatem. Omnibus diebus festis accendi lampadem jubebat in memoriam Conceptionis Sanctissimæ Virginis. Statis sollemnibusque diebus sacra peragi quotannis jubebat in aliquorum sanctorum sanctarumque honorem. Anniversaria item sacra celebrari satagebat ad sublevandas pœnas defunctorum: quibus ut suffragium afferret, singulis annis Pontificiarum veniarum aliquot tesseras accipiebat. Marito suo adeo morigera fuit, ut sine ejus venia nunquam e domo pedem extulerit. Quin & filios suos antequam e domo exiret, interrogabat semper, *Ecquid vellent*? Et famulas ipsas admonebat se abire, ut custodirent domum. Easque nunquam domi relinquebat solas; nam aut jubebat se subsequi, aut senioris mulieris custodiæ diligenter commendabat. Nullus unquam pauper ab ea petiit stipem, quin aliquid auferret. Ego certe non memini, eam unquam aliquem non sublevatum dimisisse. Huic dabat nummulum, illi panem, alteri fruges, nudo vestem, unicuique id quo maxime indigeret, quodque ipsa posset præstare. Etiam cum aliquid faciendum locabat, quæri jubebat pauperes in eo artificio peritos, ut merces ipsa esset egestatis levamen. In propinquorum, amicarumque suarum ægrotationibus prima aderat. Poterat dicere cum *D. Paullo. Quis infirmatur, & ego non infirmor*? Si quis vel pauperrimus obiret ad consolandas superstites accurrebat. Alioqui non invisebat nisi propinquas, amicasque paucas. Sed neque ab omnibus visitari se permittebat. Quicumque tamen invisebat eam, ejus prudentiam, gravitatem, affabilitatem mirum in

modum celebrabat. In ipſa Regia nata & educata videbatur. Ut urbanitatis & civilis prudentiæ oraculum conſuli poterat. Præterea prædita erat modeſtia pene incomparabili. Coram ea nemo unquam auſus fuit proferre verbulum, quod prætextato ſimile videri poſſet. Pediſſequas cum pueris confabulari nolebat. Noctu habebat incluſas in cubiculo proximo, ut ad obſequium promtas haberet; interiori tamen, unde non niſi per ſuum egredi poſſent. Oſtii domûs clavim ſupra menſam intra ſuum conclave deponi jubebat, ne quis ex pueris intempeſta nocte egrederetur domo. Quid de domeſtica dicam œconomia? Noctu præparari prandium jubebat operis ruſticis. Mane ſurgens, univerſam familiam jejunia ſolvere jubebat. Coram ſe jubebat edulia diſtribui ad prandendum & cœnandum. Ipſa potionem Indicam accipere nolebat, niſi marito ac filiis præſentibus, ſibique, niſi forte adeſſent extranei, poſtremo jubebat miniſtrari. Unamquamque famulam miniſterio ſuo delegabat. Unam culinæ, alteram rebus domeſticis. Denique ſingulas volebat ſuo muneri intentas. Ipſa interea minime ocioſa erat. Nihil eſt quod mulierem liberaliter inſtitutam deceat, quod illa non egregie faceret, cum opus eſſet. Si forte aliquis eam inviſeret, & familiaritas ſineret, continuabat aliquod tibiale, ut ita recenti nomine rem appellem recentem. Ajebat enim *acum longam neque linguæ neque oculorum liberum uſum impedire.* Remotis arbitris utebatur acu breviori: & aut aliquid conſuebat, aut reficiebat. Colo ac fuſo rariſsime utebatur. Ajebat, *hoc eſſe munus parum valentium oculis.* Frequenter ſuum penſum intermittebat, explorabatque quid famulæ facerent. Diligentiſsime monebat eas, *ut unamquamque rem in loco ſuo collocarent, ne, cum opus eſſet, conſumeretur tempus in rebus fruſtra requirendis.* In omnibus erat accuratiſsima. Itaque, cum aliqua mandata dabat, ſolebat quærere a mandataria, *ut repeteret, quid ipſa præcepiſſet*, ad explorandum num recte intel-

le-

lexiſſet. Inertiæ atque pigritiæ inimiciſsima erat. Dimittendi formula hæc ei erat ſollemnis. *I*, *curre*, *advola*. Itaque habebat omnes domeſticos obſequentiſsimos vel ad nutum. Et nemini libentius alacriuſque quam ei parebant omnes. Tanta ſuavitas inerat ejus imperio. Cum inciperent noctes longiores eſſe, omnes famulas armari colo jubebat, & lucerna ſupra menſam poſita, ſecum perficere penſum: ac præmium erat diligentiori, laus; pigriori pœna, ſilentium. Interea vero aut Sanctorum vitas legi jubebat; aut ſermones gratiſsimos ſerebat; familiariter cum eis jocans, ſervata tamen gravitate, cujus ſemper fuit retinentiſsima: nam ſummæ lenitati ſeveritatem incredibilem adjunxit: non quæ horrorem incuteret, ſed venerationem ſibi conciliaret. Itaque coram extraneis familiares ſuas non niſi interrogatas loqui ſinebat. Diebus feſtis, aut in Eccleſia vacabat divinis audiendis, piiſve precibus; aut domi legebat Sanctorum vitas, vel cœleſtium rerum meditationi (idque erat crebrius) adjiciebat animum, remotis arbitris. Adeo ut nec coram filiis legere vellet: nam ſimul ac aliquem videbat, grate atque jucunde confabulari. Et quàm faceti ſuaveſque erant omnes ejus ſermones! Non eſt mel æque dulce. Eloquentiorem mulierem vidi nullam. Cum domeſticis, & amicis ſuis plerumque loquebatur vernacule. Tanta vero ſermonis proprietate, & elegantia, ut mihi ſæpiſsime in mentem veniret, non potuiſſe loqui eloquentius *Corneliam* illam *Gracchorum* matrem, a *Cicerone* tantopere laudatam. Scilicet nata, educata, & inſtituta fuit apud Cl. virum *Joannem Siſcarem*, judicio atque doctrina præſtantiſsimum virum, & in gremio ſuæ matris *Felicianæ Paſchaſiæ*, lectiſsimæ prudentiſsimæque feminæ. Fratres præterea nacta fuit *Petrum* & *Paullum*, natu majores, illum optimæ indolis adoleſcentem, egregieque cordatum; hunc præſtantiſsimo præditum ingenio, doctrinaque, non adoleſcente, ſed dignâ viro. Deinde ſeptendecim nata annos, ingreſſa fuit domum ſo-

ſoceri ſui, Cl. viri *Joannis Antonii Majanſii*, viri priſca probitate, & ſanctimonia, ſocrumque habuit *Eugeniam Pujadeſiam* omnibus naturæ dotibus ornatiſsimam feminam. Quibus in omnibus adeo morigera fuit, ut dum ii vixerunt, voluntate propria pene caruerit. Et ut illius prudentiam magis admirere, cum octo mariti ſui fratribus ac ſororibus in una domo vixit, & conſtantiſſime cum illis retinuit concordiam vere fraternam.

Et quid ego dicam de dotibus ejus naturalibus? Memoriam habebat tantam, quantam in nullo viderim. Quicquid audierat, aut legerat, referebat ad verbum. Hinc, cum veritatis eſſet amantiſsima, ſi quando domeſtici (ut fere fit) immutatis verbis narrabant aliquid, ſtatim ipſa occurrebat, & ad verbum enarrabat. Sin extranei adeſſent, diſsimulabat. Ingenio fuit promtiſsimo. Adeo ut nec fulmen eſſet ocyus. Spatium ad deliberandum nunquam ſumebat. Mihi illud demiranti ſolebat aliquando dicere, *ſibi præter id quod repente excogitaret, vix aliquid in mentem venturum.* Si tamen ſibi proponeretur aliquid quod maritus decernere deberet, etiamſi ſtatim perſpiceret quid faciendum eſſet, nihil ſtatuebat. Hinc colligere potes quanta animi ſollertia polleret. Nullus caſus eam inveniebat improvidam. Omnia ejus conſilia prudentiſsima, e mentis quadam inflexibili rectitudine profecta, expediendis negotiis aptiſsima, ad quietem & tranquillitatem animi tendentia. Uno verbo. Mulier fuit ſine multa lectione doctiſsima, & ſine ſtudio ſapientiſsima. Hinc magnus ille Theologus *Gaſpar Fuſterius*, Præpoſitus olim Valentinus, Preſbyter Congregationis *D. Philippi Nerii*, & Epiſcopus Saſſaritanus, dicere ſolebat, ſe ſtudium non intermittere, quoties inviſeret *Mariam Siſcarem* (per ſeptennium autem inviſit eam quotidie, niſi graviſsimo negotio impediente) Adeo prudentes ſapienteſque ejus ſermones erant. Et quis eam videbat, quæ modeſtiam non diſceret? Veſtis erat lanea (ſic enim voverat *D. Philippo*

Ne-

Nerio) tenuissima tamen, & mundissima. Corona virginea ei erat monile: armillis raro utebatur, etsi pretiosissimas haberet: fuci & cerussæ inimicissima fuit. Ajebat *aquam maculas omnes abstergere.* Cum non ita pridem a me quæsiisset, an vultus suus macilentus esset; respondi ei, *an se vidisset in speculo?* &, *jam septennium*, inquit, *non consului speculum.* Innumerabilia ejusmodi tibi narrare possem. Sed quid ego commemorare pergam, cum nec singula enumerando, referre possim? Vis tibi eam describam uno versiculo? *Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* Considera igitur, prudentissime *Philippe Bulipho*, quanta mihi dolendi caussa sit, tali matre amissa: quantus mœror animum meum incesserit in tam irreparabili jactura. Quanquam in tanto vulnere Dei misericordiam agnosco, qui hoc meum incommodum cum summa meæ matris felicitate, uti pie credo, conjunxit. Quod si illa meam salutem præferebat suæ, ut sæpissime sum expertus, æquissimum est, ut ejus a qua vitam & summa accepi beneficia, beatitudinem æternam, meis commoditatibus anteferam. Quanquam ego nihil æque doleo, quam ereptam mihi virtutum omnium vivam imaginem, cujus e disciplina ego plus didicisse fateor, quam a philosophis omnibus, quos legi. Utinam ego thesauros illos veræ sapientiæ minime posthac prodigam quemadmodum feci ad hunc diem. Neque Deus sinat, ut quæ nunc, ut confido, pro me orat in cœlis, in die judicii me accuset, ut mei officii immemorem. Te veneror, *Jesu Christe* optime maxime, per ineffabile meritum felicissimi Natalis tui, quem hodie colimus, vulnere hoc (nammque tu percutiendo sanare soles) sana me. Tuque, *Philippe Bulipho*, charissimum mihi caput, idem ab eo precare, ac diu cum tua *Linaria*, salvus, incolumis, ac vere felix sis. Valentiæ Edetanorum. Anno MDCCXXXI.

XXV. *PH. BULIPHO GREGORIO MAJANSIO, AMICO optatiſsimo S.*

EGo verò, mi ſuaviſsime *Majanſi*, jam ad te literas dederam, licet ægrotus, alienâ manu exaratas ſcilicet, atque ad tabellarii officinam tranſmiſeram, cum ecce tibi *Martinus* noſter mecum communicavit quas nuper à te acceperat, in quibus de acerbiſsimo caſu, quem equidem jam animo prævideram, dulciſsimæ nempe matris tuæ obitu, illum certiorem feciſti. Quod cum ego intellexiſſem, initio quidem perculſus fui tam triſti nuntio, ac dolui profectò dolorem tuum. Animo enim reputabam quantam jacturam feciſſes, amiſsâ jocundiſſima parente, lectiſsima illa ac prudentiſsima femina, à qua tanta in te profecta eſſent amoris & mutuæ charitatis officia, ac, quod caput eſt, quæ te tam ſanctè ac piè educaverat, ac verbis & exemplo ad Chriſtianæ ſapientiæ agnitionem, atque amorem, feliciter eduxerat. Sed enim verò non ita tamen indulgendum eſſe mœrori tuo exiſtimavi, ut ei modum minimè adhibendum putaverim: præſertim cum tot haberes cauſas atque argumenta, quæ vel in maximo luctu præſentiſsimum tibi ſolatium, ac doloris levamenta ſuppeditarent. Hæc igitur dum ipſe mecum cogitarem, accepi interim uberrimam epiſtolam, quam ad me in ipſo Servatoris noſtri natali die dediſti, quâ optimæ matri piiſsimus æque atque amantiſsimus filius, veluti oratione quadam funebri, in grati animi monumentum egregiè parentaſti. Quam ut vidi, atque avidè perlegi, adeo ſum animo confirmatus, ut omnem prorſus triſtitiam mœroremque deponendum judicaverim. Atque id tibi quoque faciendum cenſeo. Enim verò æquum fortaſſe ſit ut doleant Ili ſuorum mortem, qui omnem felicitatem in perbrevi hujus lucis uſura poſitam putant, quique hanc ſibi præripi in maximi detrimenti loco ponunt. Nos autem, qui Chriſtianæ philoſophiæ ſanctiſsimis præceptis imbuti,

ſpem

ſpem futuræ vitæ habemus: quibuſque mors nihil aliud eſt, niſi exitus è tenebroſo carcere, atque initium æternæ ac feliciſsimæ ævitatis; noſtram potius vicem doleamus oportet, qui inter hujuſce vitæ ærumnas ac pericula relinquimur, quàm eorum, qui poſt bene actam vitam, optimo mortis genere ex hoc exſilio ad cœleſtem patriam revolarunt. Quandoquidem illud in comperto habemus, vitæ hujus ſpatium, qualecunque id ſit, à ſupremo rerum omnium latore unicuique præfiniri, ut eo utatur ad ſummi veri cognitionem adipiſcendam, ſcilicet ut per ejus amorem, atque aſsiduam mortis cogitationem, ac æternæ vitæ deſiderium, ipſius afflante Spiritu, qui pro ſua bonitate ſuamet dona in nobis ornat & munerat, ad eum perfruendum, & ad veram ſalutem perveniamus. Quamobrem non qui diu, aut hilariter, & in voluptate vixit, ſed qui bene vixit, ac vitæ hujuſce curriculum emenſus bonam mortem aſſecutus eſt, ei optimè omnia ac præclarè obtigiſſe credimus. Quæ cum ita ſint, quid ſit dolendum in funere matris tuæ non video. Non enim illam amiſiſti, ſi, ut pium ac prudentem filium decet, in eo illam amaſti, quem nemo amittit, niſi qui à ſe dimittit; in immortali Deo videlicet, apud quem, uti ſperare fas eſt, nunc illa feliciter adſtat, & tibi ac tuis ſuiſque fauſta omnia ac proſpera precatur. Id ut ſperem faciunt præclaræ illæ virtutes, quibus ad miraculum uſque prædita fuit ſancta ac verè Chriſtiana mulier, quas tu mihi ſingillatim enarraſti. Facit & ipſum mortis genus, quo vitam clauſit, ac quo omnino manifeſtavit pretioſam eam fuiſſe mortem in conſpectu Domini ſui. Quid enim aliud immota illa ac conſtantiſsima animi tranquillitas, qua ad mortis ſpeciem non expalluit, non trepidavit, quid quæſo nobis ſignificat, niſi totam vitam ita ſe illam comparaſſe, atque ad mortis meditationem exercuiſſe, ut nullum jam ſibi metum incuteret, quæ fortiſsimos alioqui, ac ſanctos viros perterrefacere conſuevit? Quid

verò exactiſsima illa rerum omnium, vel minutiſsimarum, providentia, quam tu mihi mirificè depinxiſti, quâque ſollertiſsima matrona in poſtremo vitæ ſuæ decurſu, ſummâ animi præſentiâ omnia ad amuſsim diſpoſuit, ordinavit, peregit: quid, inquam, hæc demonſtrant, niſi illam per anteactos vitæ annos penè id ſolum cogitaſſe, atque eò vim omnem ingenii atque exercitationis intendiſſe, ut benè mori diſceret, ac parata eſſet Domino ſuo pulſanti confeſtim oſtium aperire? Hæc igitur recogitantes, quid eſt quod lugere poſsimus? Invideamus potius, mi jocundiſsime *Majanſi*, invideamus profectò illius morti: ac Deum O. M. totis viribus exorare contendamus, ut cum noſtrum curſum peregerimus, ſimili mortis genere vitam finiamus. Id certe omnibus eſt connitendum, ſed mihi potiſsimùm, qui licet ætate adhuc penè integrâ, tamen adversâ prorſus utor valetudine, atque hiſce præſertim diebus, quibus ad veterem & infenſiſsimam podagram acceſſerunt dolores colici ac nephritici, qui me malè vexaverunt, quibuſque ſeriò mortem cogitare cogar, vel invitus. Itaque hæc pauca vix ad te ſcribere potui, quando jam meliuſculè mihi eſſe cœpit, etſi manu ob reliquias chiragræ adhùc rigente ac parum firmâ, ut ad longiorem & humaniſsimam epiſtolam tuam, pro meo in te amore atque obſervantia, aliquatenus reſponderem. Tu igitur, mi *Majanſi*, hiſce aliiſque cogitationibus, quæ tibi e Chriſtianæ pietatis ſenſu, magis quàm ab humanæ philoſophiæ garrula & inani jactantia, abundè ſuppetent, animum tuum recrea ac confirma, omnemque prorſus mœrorem excute, ut & valetudini tuæ conſulas, quæ præ nimia triſtitia aliquid fortaſſe detrimenti pateretur. Sed & me amabis viciſsim, ut facis, ac ſalvebis plurimùm a mea *Linaria*. Vale. Dat. Alonæ prid. Non. Januarias MDCCXXXII.

VI. GREG. MAYANSIUS JOSEPHO BERMUDEZIO *in Regio Senatu Epidemetico Fisci Patrono integerrimo, & amico suo incomparabili, S. D.*

NIhil mihi gratius potuisti facere, quam misisse aliquot Epistolas, & ut pretium accederet, autographas, eruditissimi viri *Nicolai Antonii*. Si Latinæ fuissent, libentissime cum meis publicarem. Spero tamen me alilibentissime cum meis publicarem. Spero tamen me aliquando collecturum Epistolas aliquot Hispanas; & tunc hæ aliæque plures videbunt lucem. Illud ego vellem ut diligentissime perquireres, num alicubi extet *Bibliotheca Rabinico-Hispana*, quæ frustra diu quæsita, Madridii demum post excusam *Veterem* reperta fuit apud *Hadrianum Koningium Antonii* hæredem, ut anno 25. mihi scripsit *Emmanuel Martinus* Decanus Alonensis. Præterea scito ipsum *Nicolaum Antonium lib.* 1. *de exilio cap.* 3. *n.* 10. meminisse *Liberti* sui, seu, *De Libertis Tractatus, qui* (verba sunt ejusdem) *jacet in schedis mss. forsan aliquando in libertatem publici usus asserendus.* Denique in sua *Bibliotheca Nova* se ipsum recensens, spem fecit edendi *Trophæum Historico-Ecclesiasticum Deo Veritati erectum ex manubiis Pseudo-Historicorum, qui Flavii Lucii Dextri, M. Maximi, Helecæ, Braulionis, Luitprandi, & Juliani nomine circunferuntur: hoc est, Vindicias veræ atque dudum notæ Hispanarum rerum Historiæ, germanarum nostræ gentis laudum, non ex Germano-Fuldensibus Chronicis emendicatarum in libertatem & puritatem plenam assertionem.* Si quis ex his, aut cujusvis argumenti liber qui illum habeat autorem, forte supereſt, magnum operæ pretium feceris, si quolibet pretio redemeris, miserisque, ut Hispanæ Historiæ veritati pro virili consulamus. Ut vellem ego isthic esse, & privatas omnes bibliothecas, quas possem, excutere! A cogitationibus literariis ad alias transeamus.

De me eximendo ab hoc pistrino noli laborare. Optime scio me mea vestigia recalcare, semper iter agere,

ac

ac nunquam peragere. Sed quid faciam ? Forum odi ſemper : Togas exhorreo : amo vitam tranquillam & quietam, curis ac ſollicitudinibus vacuam,

Et me noctturnis juvat impalleſcere chartis.

Forte aliquo diſpendio ſalutis, proculdubio rei familiaris jactura, aliqua nominis noſtri propagatione. An & cum ſtudioſæ juventutis fructu ? Id quidem optamus, id contendimus. Circumire homines ſuperbos, prenſare dextras, ſuppliciter rogare, noſtri ingenii non eſt, nec puto eſſe dignum homine ingenuo. Placet mihi *L.* ille *Craſſus*, qui conſulatum petens, cum omnium candidatorum more circum forum ſupplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit. Notiſsima ſunt mea in Rempublicam Literariam merita. Jam ſexdecim annos Juriſprudentiæ operam do : tranſierunt octo ex quo eandem profiteor. Tria certamina literaria ſuſtinui : viginti & octo præfui, propugnans ſemper dictata mea. Præfui etiam triginta diſcipulis meis cum doctores eſſent creandi: quorum ſeptem renunciati fuerunt nullo interpoſito die ad quieſcendum a quotidianis diverſarum theſium propugnationibus. Recitationes Extemporales pluſquam quadraginta dictavi. Domi meæ aperui Academias publicas, & ſtudioſæ juventutis ineptias aſsiduas, moleſtiaſque maximas ſeptennium pertuli patientiſsime. Idque feci nullo privato, aut publico ſtipendio, imo magno rei familiaris diſpendio. Publicavi decem aut duodecim opera. Et tamen mala res, ſpes multo aſperior, cum in prima petitione (quæ ſane & ultima erit) poſt tot labores exantlatos repulſam tulerim, vel te & omnibus Hiſpaniæ Viris primariis petitioni meæ faventibus. Quonam igitur me convertam ? Quod ego cupio, obtinere deſpero : adeoque nihil tento. Opto penſionem aliquam, ut & Bibliothecam meam augere, & ſimul vigilias meas publicare poſsim. Verum in tanto literarum neglectu id conſequi vanum eſt, optare otioſum. Vides igitur quam mala ſit mea cauſſa, adeo ut neque agente te diſertiſsimo

viro, mihique amiciſsimo, bona fieri poſsit. At Deus viam aperiet, monſtrabitque quam arripere debeam. Ego in occaſione mihi non deero. Sed neque extra eam quicquam tentabo fruſtra. Tua tamen erga me voluntas mihi jucundiſsima erit,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Vale togatorum decus & amice ſuaviſsime, ac me amare perge. Cujus rei mihi dabis indicium gratiſsimum, ſi opera mea uti volueris. Valentiæ. Poſtridie Kal. Januar. An. MDCCXXXII.

XXVII. *D. JOSEPHUS PARDO DE FIGUEROA V. CL. D. Gregorio Majanſio Siſcario J. C. præſtantiſsimo, atque in Academia Valentina publico Juris Interpreti,*

S. D.

EN habes promiſſum opus, Vir Clariſsime, quàm ſponte benevolentiæ in me tuæ donatum, tam jure tuo in litteras humaniores ſtudio debitum: *Jacobi* ſcilicet *Vanierii* Poëtarum hujus ætatis elegantiſsimi *Prædium Ruſticum*, ſeu potius *Hortum Urbanum*: adeo urbana totum elegantia conſitum & excultum. Quid multa! Omnes hujus veneres, ubi legeris, pro ſingulari tuo acumine plane intelliges, noſtraſque laudes de hoc Poemate minimè poëticas eſſe judicabis. Cum vacare Muſis per *Themidem* licuerit, id legas pervelim; quin & ad legendum ſuadeam aliquid otii *Themidi* ſuffureris, niſi te ab hujuſmodi furto, Juriſconſultum licet integerrimum, non omnino alienum eſſe noverim; at illud ea exerces induſtria, ut ſi quid amœnioribus diſciplinis indulges, nihil detrahas ſeverioribus; immo ſplendoris addas plurimum, atque honeſtum furtum honeſtiori fœnore compenſes; horridulum enim Juriſprudentiæ campum tum Rhetorices, tum Poeſeos, variæque eruditionis floribus pictum jubes ornatius enitescere. Quapropter

Va-

Vanierii lectionem tibi pergratam fore confido, quippe qui ingenio tuo bellè consentiat; leges tradit, idemque legum austeritatem, more tuo, jucundissimis lepôrum omnium coloribus exhilarat.

Neque verò te cupio ferendi disciplinæ mentem solum, sed etiam manus adhibere. Accedunt ad enucleatum rei rusticæ opus *Chirimoyæ* nuclei a Peruviano Regno nuper allati. Est illud inter Orbis Novi poma nobilissimum, Orbi veteri novum prorsus; tribus unum sensibus mirificè blandum. Specie oculos, odore nares, sapore palatum quam suavissimo demulcet. Hujus nucleos tuis hortis vel animi, vel experimenti causa conserendos placuit mittere. Nulla enim tota Hispania visa est Regio nostræ, id est Peruvianæ cognatior, feracior nulla, quam Valentina. Ejus ingenium soli, ut hominum mitte, omnis culturæ patiens, frugum omnium capax, nec *Pomonæ* minus utile, quam *Minervæ*. Ibi adolescent, credo, feliciſsime; nec te præsertim, æque callido plantarum, ac literarum cultore, natale solum, vel cœlum desiderabunt. Præclarè autem mecum actum putem, si tuæ perinde diligentiæ, ac votis meis respondeant, cumque cultoris industriam & ubertatem soli, tum nostram utriusque amicitiam non omnino sterilem fructu suo demonstrent. Sed a rusticis ad Civilia stylo tandem conversо; a Patre *Benedicto Feijoo* litteras nuper accepi, in quibus ille multa de te, ut solet, officioſe & ornate: se tibi rescripturum brevi, teque jubet salvere plurimum. Vale. Matriti Idibus februarii, Anni MDCCXXXII.

XXVIII. *GREG. MAJANSIUS JOSEPHO PARDO, NObilissimo, & eruditissimo viro, S. D.*

JAcobi Vanierii Prædium Rusticum ad quod invitasti me, vidi perlustravique. Mirifice me oblectavit tam amœna ambulatio: ex qua hunc fructum percepi, ut se-

ſerio intelligam, rem ruſticam ſine dubitatione proximam & quaſi conſanguineam ſapientiæ eſſe. Præterea ratio qua eam perſequitur eruditus Jeſuita, docuit me veriſsimum eſſe, quod diſertiſsimus ille ac minime ruſticus Rei ruſticæ ſcriptor *Columella* noſter conſignavit literis, *eum qui ſe in hac ſcientia perfectum volet profiteri, eſſe oportere rerum naturæ ſagaciſsimum.* Nec ſine cauſſa legimus ſapientiſsimos mortalium huic arti deditos. Quæ cauſſa fuit, ut Poëtæ dixerint, priſcam mortalium gentem tranſegiſſe in agris ætatem auream.

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Poëta cecinit. Magnas itaque tibi gratias ago propterea quod & libellum hunc miſiſti mihi, ut excitarem mentem ad naturæ contemplationem, & Chirimojæ oſſicula largitus es, ut ea ſeram in viridario aliquo, ut, quantum poſsim in urbe, innocentiſsima illa voluptate fruar, qua olim maximi viri, agriculturæ dediti, *Azarias* qui & *Ozias*, *Cyrus*, *Aſſuerus* ſive *Artaxerxes Mnemon*, *Hiero Syracuſanus*, *Maſſaniſſa*, *Ptolomeus Philometor*, *Attalus* Rex Aſiæ, *Archelaus*, aliique Regia poteſtate functi, delectati ſunt: ut omittam eos, qui rei forte familiaris inopia adacti huic exercitio dediderunt ſe, uti *L. Quintius Cincinnatus*, *P. Scipio Africanus*, aliique: inter quos forte numerandi, qui, ut quiſque aliquod optime genus ſereret, ita cognomen adepti ſunt, ut *Fabii* a *faba*, *Cicerone* a *cicere*, *Lentuli* a *lente*, *Piſones* a *piſis*, & *Serrani* ita cognominati ab *Atilio* illo triumphali viro peritiſsimoque *ſatore*. Quibus addendi etiam *Lactucini* a *lactucis*, quod eas egregie colerent, & a *ſtolone* dicti *Stolones* quod fruticationem inutilem peritiſsime amputarent: denique *Virgilii* a *virgulis*, hoc eſt ramis arborum. Quoniam igitur vis, ut ex homine umbratico repente *Hortenſius* evadam (utinam etiam in eloquentia ut *Quintus*) Chirimojæ oſsicula miſi *Emmanueli* fratri meo, qui animi gratia ea ſevit Olivæ (cujus ſolum humidum, temperatum, ac fertiliſsimum eſt)

in hortulo domeſtico, ſeretque iterum inclinante hieme, ut primo vere naſcantur, & æſtate autumnoque creſcant, ut reſiſtere queant proximæ hiemis inclementiæ, quam ſi recentes arbuſculæ evaſerint, in tuto erunt, cum nimis delicatæ non ſint. Cum vero ejuſmodi arbores, fructum emittere non ſoleant, niſi poſt triennium, tempus hoc impatientiſsime præſtolabor, donec videre contingat Novi Orbis celeberrima poma, quibuſcum nulla Europæa conferri poſſunt, neque figuræ pulchritudine, neque odoris & guſtus ſuavitate, adeo ut Chirimoja ſit Pomorum regina. Præterea propinquis amiciſque meis quamplurima oſſula diſtribui, ut varia multorum diligentia experiamur, an res ſuccedat. Quod ſi votis exitus reſponderit, Chirimojæ deinceps dare nomen debebis. Nam ſi *Chiron Centaurus* dedit *Centaureæ*, ſive *Chironio*, *Achilles Achillææ*, *Thelephus Thelephio*, *Artemiſia Artemiſiæ*, *Lyſimachus Lyſimachiæ*, *Eupator Eupatoriæ*; cur non & Pardus *Chirimojæ*, ut *Pardina* vocetur, cum tuo beneficio e Novo Orbe in noſtrum allata ſit? In manu ſcripta Narratione Limenſium rerum, quam anno 1721. Limæ conſcripſit *Frater Joſephus Antonius Mira*, legi, Chirimojam figura ſimilem eſſe noſtris nucibus pineis, corticem ejus ſemper viridem, tenuiſsimumque, oſſula nigella & firma, qualia mihi miſiſti. Et quoniam nucis Pineæ mentionem feci, in memorata Narratione legi, Limæ eſſe nuces, etiam vocitatas *Pineas*, figura noſtris perſimiles, paullo tamen grandiores, aliquibus in plagis multo majores, pondo ſcilicet decem librarum, ubique ſolidas eſſe, quæque nunquam fatiſcant, contra quam evenit zamiis. Addit corticem delicatum eſſe, emundari ut pira, poma illa ſuos habere nucleolos ut noſtræ pineæ, nucleum eſſe pallidum, & totum comedi, odorem eſſe ſuaviſsimum, ſaporem exquiſitiſſimum, acrem dulcemque ſimul: Plantam poma illa producentem eſſe veluti carduos unde naſcuntur, quos a voce Arabica *Kurxupha*, nos vocamus *Alcachofas*. Sed

quid

quid ego hæc ad te? Nimirum ut intelligas me magni-facere tuum donum, & vehementer optare, ut per te fruamur ſimilibus fructibus. Itaque magnam a me gratiam inires, ſi aliquot ſemina incognitorum fructuum e Novo Orbe curares mihi, ut Europæi videre, & guſtare poſsimus *Guanavanam* illam, acrem dulcemque ſimul, cordis figuram imitantem; *Annonam* exquiſitiſsimi ſaporis, & Chirimojæ proximam; *Granatulum* (vulgo *Granadilla*) cucumeribus Indicis perſimile, in quibus latet liquor fragrantiſsimus, geliduſque, permixtus granulis ſimilibus granatis. Videre etiam vellem *Tumbos* Granatulis aliquanto majores; *Papajas* mediocribus melopeponibus æquales, quas producit arbor palmæ ſimilis. Noli mihi difficultates prætexere. Quemadmodum enim ea quæ nominavi, & plurima alia aliquando in eum Orbem (ut credere poſſumus) allata ſunt, ita in noſtrum remitti poſſunt. Ad propiora nobis accedamus.

A doctiſsimo *Benedicto Feijoone* literas accepi humaniſsimas, quæ ejus in me benevolentiam teſtantur. De conſtanti tua erga me voluntate nunquam dubitavi etiamſi aliqui, quibus opto mentem meliorem, tecum tentarint me committere. Fruſtra. Herculeo nodo me tibi devinxiſti, quod neque quiſquam ſolvere, neque ſecare poterit. Obligaſti me, inquam, eruditione tua minime vulgari, humanitate ſumma, amoris conſtantia immutabili. Jam volebam calamum deponere, cum in mentem meam venerunt egregiæ laudes, quas tibi tribuit *Vanierius*. Maxime gaviſſus ſum ejuſmodi teſtimonium ab extero homine eruditioni tuæ datum eſſe. Vel ob hoc ſolum mihi fuiſſet gratiſsimum *Prædium Ruſticum*. Vale, & *Bermudetium* noſtrum Togatorum noſtri temporis diſertiſsimum meo nomine ſaluta. Jubeo etiam ſalvere Cl. eruditiſsimumque virum *Hieronymum Pardum* Conſiliarium Regium. Valentiæ Edetanorum, quinto Eidus Januar. Anni MDCCXXXII.

XXIX. *EMINENTISSIMO VIRO D. D. ANDREÆ Herculi Fleury, S. R. E. Cardinali Sapientiſsimo, & Chriſtianiſsimi Regis Adminiſtro Principi, integerrimo, vigilantiſsimoque Greg. Mayans Generoſus Valentinus, S. P. D.*

QUamquam nec eruditione, nec eloquentia, nec ulla ejuſmodi virtute præditus ſim, quæ me ad te ſcribentem, Eminentiſsime Vir, a temeritatis nota excuſare poſsit; tanta me tamen dignitatis, ſplendoris, gloriæque tuæ, tantaque laudum tuarum per omnium ora volitantium perculit admiratio, ut temperare mihi non poſsim, quin tibi per literas animum meum teſter, amorem declarem, gratias denique agam ob tua illuſtriſsima merita in Orbem Chriſtianum. Tantum enim invigilas conſuliſque communi omnium ſaluti, ut tibi non ſolum debeamus pacis & concordiæ publicæ conſilia; ſed per te etiam fruamur feliciſsimo otio & tranquillitate ſumma. Per te omnis Gallia opulentiſsima eſt, & in ea creſcunt artes, florent ſtudia, regnant virtutes, vera Religio triumphat. Per te Reges & Reſpublicæ amicitiam tenent, in tota Europa commercium viget, ſaluſque publica veluti adamantino clavo defixa eſt. Idcirco te omnes gentes, præſertim Europææ, ſuſpiciunt, venerantur, prædicant, pro tua incolumitate vota faciunt. Te Hiſtorici celebrant, Oratores laudant, Poëtæ canunt. Et in tanta tot tamque diverſarum linguarum celebritate ſola Hiſpania taceat? Hiſpania quæ propius quam ceteræ Nationes ſpectat tua egregia facinora, &, te Sequeſtro, pace fruitur publica? Non feram, non patiar, non ſinam. Meum de te ſenſum; licet ruditer, exprimam. Equidem ego, quoties (ut fieri ſolet) de noſtri ſeculi Principibus Viris verba facio, ſoleo dicere, idque libenter crebris uſurpare ſermonibus, neminem mi-

mihi venire in mentem, cui concedere debeas in Reipublicæ adminiſtrandæ ſcientia. Idque ego abunde comprobari poſſe exiſtimo, vel ſola felicitate Gallici Regni, quam Nationes omnes admirantur, & talem optant ſibi. Vellem dicere quæ ſentio. Sed neque per hujus ſeculi invidiam libere loqui licet : neque modeſtia tua permitteret a me digna dici virtutibus tuis. Verum hoc me conſolor recreorque, quod ſciunt omnes quid ego ſentiam de tuis virtutibus præclariſsimis. Videlicet illud ipſum quod de illis ſentiunt omnes ii, quibus aliquid cordis natura dedit. Omnium enim mentibus occurris laudandus, ut nemo magis hoc ſeculo; in ſingulis imitandus, ut qui maxime. Tu Chriſtianis omnibus obverſaris ut probitatis & integritatis exemplar; Viris doctis, ut ſapientiſsimus; Epiſcopis vigilantiſsimus; Cardinalibus, ut religioſiſsimus Apoſtolicæ Sedis Propugnator; Regum Conſiliariis, ut Canon Chriſtianæ Politices. In te unuſquiſque intuetur, non quod imitetur ſolum, ſed heroicas quaſdam virtutes, omnium admiratione digniſsimas, liberalitatem egregiam, excelſiſsimam animi magnitudinem. Cum hæc omnia cogitatione volverem, cupiditate ardebam incredibili animi mei teſtificandi tibi. Incitabat me ſingularis plane ac prope divina humanitas tua. Retrahebat dignitas. Contemplabar te publicis intentum negotiis. De privatis agere videbatur alienum. Animum faciebat conſiderare, te Magni *Mœcenatis* exemplo literas, & literatos amare: Virum utique exquiſitiſsimæ doctrinæ ſucco, non leviter modo tinctum, ſed penitus imbutum. Sed animum illum minuebat conſcia mens imbecillitatis ingenioli mei. Videbar parum verecunde acturus, ſi ſolam voluntatem manifeſtarem tibi, cum in te quilibet propenſam habeat. Quid præterea præſtarem tanto viro dignum non occurrebat. Denique quærenti mihi diu, quid ad te potiſsimum mitterem, non modo certa res ulla, ſed ne genus quidem veniebat in mentem. Verum occaſio, ſeu Divina potius Providentia

mi-

mihi facultatem dedit, quam consilii inopia denegabat. Cum enim ego recensuissem Opera omnia Posthuma *Joannis Pugæ* Antecessoris Salmanticensis præclarissimi, Regii Neapolitani Senatus quondam Præsidis ; cumque hæc in Gallia, Lugduni scilicet, publicanda essent, existimavi extra eam non esse quærendum Patronum, neque alium deligendum, quam te, qui quam utiles futuri sint ad Jurisprudentiam illustrandam, Libri quos tibi dedico inscriboque, pro tua eruditione & sapientia facile cognosces. Quod si hæc Opera doctissima, & ingeniosissima, quibus nihil aliud deest, præter amœnitatem illam eruditionis, quam nostri seculi fastidiosa crisis desiderabit forsan, benignitate qua soles, tu acceperis, magnus animus accedet mihi, ut quamprimum aliqua Opuscula tibi offeram ex nostra paupertina penu : & inter cetera Epistolarum Libros sex, quorum quartus formis Typographicis jam excuditur. Quod munusculum aliqua saltem ex parte tibi fore gratum confido, cum Epistolas plurimas contineat ad me datas ab hujus seculi viris eruditissimis. Interea vero accipe levissimam animi erga te mei testificationem. Accipe me quoque in clientelam tuam, ut felix sim. Tu vero fac ut tui similis sis. Nam in altissimo dignitatis, prudentiæ, sapientiæ, prosperitatisque gradu collocatus ; quid ulterius possis desiderare, plane non video, nisi ut perpetuus sit tuæ felicitatis cursus, quacum est conjuncta, & veluti trabali clavo defixa totius Europæ salus & tranquillitas. Te igitur Deus Opt. Max. servet, sospitet. In quo voto felicique omine desino cum illis omnibus qui bene sentiunt cupiuntque. Valentiæ Edetanorum xv. Kal. Januarias anni MDCCXXXII.

***

EMI-

XXX. *EMINENTISSIMO DOMINO DON ANDREÆ Herculi Florido S. R. E. Cardinali, & Ludovici XV. Consiliario Principi Gregorius Majansius, Generosus Valentinus, gaudere & bene rem gerere.*

SÆpe conantem me aliquid literarum ad te dare, ut de virtutum tuarum perpetua constantia gratularer tibi, meumque simul in te amorem & observantiam testificarer, deterruit semper tuarum occupationum reverentia, quas conari interpellare, videbatur mihi hominis esse parum prudentis, & ambitionem privatam publicæ saluti anteponentis. Nam te Gallicas res administrantem felicissime, & totius Europæ gravissima negotia pertractantem, nisi de rebus publicis adiri, aut magni saltem momenti, nefas esse existimabam. Sed casu quodam felici contigit, ut si non de belli pacisve negotiis, a quibus umbratici homines longe absumus; de communibus saltem, pertinentibus scilicet ad Reipublicæ literariæ utilitatem, quam tu mirifice foves promovesque, aliquid ad te possem scribere. Nimirum initio superioris anni recensui *Jo. Pugæ* Jurisconsulti & Antecessoris Salmanticensis *Tractatus Academicos*, quos, cum aliquot ab hinc annis essem Salmanticæ, diligentissime conquisivi, e dominorum avaris manibus extorsi, mihique describi jussi. Eos ego innumeris locis depravatos amanuensium inscitia, quantum potui, emendavi, locupletissimis Indicibus ornavi, & Autoris Vitam præmisi, literariam potius, quam civilem, criticorum more. Quæ ubi absolvi, *Tractatus* illos doctissimos, quibus Jus Civile Romanorum mirum in modum illustratur, *Nicolao Villæo* & *Ludovico Chalmetto* Typographis Lugdunensibus mense Majo superioris anni dono misi, ea sola conditione, ut publici juris facerent, distributis *Tractatibus* in duo justa volumina. Cum vero illi mihi mense Decembri scripsissent, rem eo rediisse, ut jam mittere deberem

De-

Dedicationem, eam incunctanter inſcripſi tibi, ad eos miſi, eiſque mandavi, ut opere perfecto aliquot exemplaria tibi tradant decenter compacta. At nunc intellexi, Typographos conſilio præpoſtero miſiſſe tibi, & *Pugæ Tractatus* manuſcriptos mille lituris deformatos, & Dedicationem meam, quam ego volebam non niſi formis typographicis excuſam tibi tradi; nam ad bene merendum de te exiſtimavi opus non eſſe venia aliqua, cum in hoc ſatisfaciam officio meo. Verum illi arbitrati ſunt ſe hoc pacto impetraturos facilius excudendi privilegium. Quamobrem ad voluntatem meam tibi præpropere declarandam uſi ſunt diligentia & autoritate eruditi viri *Jo. Bapt. Souchæi*, qui eximio ſtudio benemerendi de te, proculdubio mihi navavit egregiam operam. Certe ita confido. Quare, cum illorum conſilio (quod improbare non audeo) factum ſit, ut Dedicatio mea antequam ego deſtinaveram, tibi tradita ſit; minime debes mirari tibi oſtenſam fuiſſe, aut in charta mea deletitia, aut forte deſcriptam aliena manu, ut tibi decentius redderetur. Ut ut eſt (neque enim niſi divinando loqui poſſum) vide quantus ſit animi mei candor, quantamque ego fiduciam habeam in tua humanitate & ſapientia, cum apud animum meum ſtatuerim non uti deprecatore aliquo (ut certe poteram non difficulter) quo facilius probes conſilium meum benemerendi de te. Valeant hæc apud noſtrates, quibus, vel ut obſequium præſtes, opus eſt plerumque aliquo magno adjutore, qui promitat, ſe

Tentaturum aditus & quæ molliſsima fandi
Tempora.

At ego a plurimis accepi non ita vivi apud te, apud quem, ut de *Mœcenate* ſuo teſtatus eſt *Horatius*, *eſt locus unicuique ſuus*, & quanta eſt uniuſcujuſque virtus, tantum obtinet. Jubebis igitur libellos noſtros, quandocumque ad te perferentur, eum in tua Bibliotheca habere locum, qui tibi commodior videbitur. Satis gloriæ

mi-

mihi partum erit, si vel in angulo aliquo eos sinas delitescere. Optime vero nosti, sapientissime Vir, quam facile Typographi moras nectere soleant, præsertim absentibus scriptoribus. Quid mirum? Cum & præsentibus etiam adeo segnes sint: quod ego experior in editione mearum Epistolarum, quas jam menses quatuor sub prælo habeo, & ex libellis sex, unus adhuc excudendus supereſt. Indignor certe; nam avide cupio meam erga te voluntatem declarare, non uno solum, sed multis testimoniis publicis, ut intelligas meum qualecumque obsequium proficisci a constantissimo amore virtutum tuarum. Interea me omnino esse tuum, privatim quidem, sed ex animo profiteor prisco illo applicationis jure. Me igitur tanquam susceptum & clientem tuum in tua fide habeto. Vale Gallicarum *Grande decus columenque rerum.* Valentiæ Edetanorum XI. Kal. Martias Anni MDCCXXXII.

Cum jam epistolam obsignare vellem, mihi venit in mentem egregia tua erga Sanctissimam *Dei Matrem* devotio, cui ob argumenti pietatem confido, non ingratam futuram istam oratiunculam. Subiit etiam in mentem superioribus diebus, cum cogitarem de imponendo colophone Epistolis meis, ne finis ab initio discreparet, id est, ut liber qui sub tuo Patrocinio incœpit, sub eodem desinat; me veluti œstro correptum panxisse aliquos versiculos, licet alioqui Epistolæ oratione soluta scriptæ sint, & ego,

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repente sic Poeta prodirem.

Illos igitur versiculos his literis subjunxi, ut

Animum relaxes, otium des corpori
Ut adsuetam fortius præstes vicem.

His meis, ineptiis ignoscito, Cardinalis amplissime.

Parce, precor, secli decus indelebile nostri.

GREG. MAJANSIUS AD SUUM EPISTOLARUM Volumen.

Bibliopolarum mavis habitare tabernas,
Quam, Liber, incluſus tutior eſſe domi.
Odiſti claves: ideo diſcedere geſtis.
Tempus erit forſan cum latuiſſe voles.
Scilicet incipies manibus ſordeſcere vulgi,
Atque tui quivis cenſor acerbus erit.
Non ita nutritus, non hos conſcriptus in uſus.
Contrectavit adhuc non niſi amica manus.
Nempe hæ Literulæ charis peramanter amicis
Tranſmiſſæ, acceptæ ſunt peramanter eis.
Atque fuit pretium non res, ſelectaque verba,
Sed qui jucundas res facit unus amor.
Qui tibi ſenſus erit dirus cum læſerit unguis,
Hoc tantum doctus res lacerare bonas?
Paſcere tunc malles tineas taciturnus inertes,
Quam non fanda pati, ſuppliciumque ferum.
O qui clamores! O grata ſigilla! gemiſces.
Quo fugies? Reditus jam tibi nullus erit.
Implorabis opem docti celebriſque Decani,
Atque Feneſtellæ, tum, Miniana, tuam.
Incaſſum. Se quiſque teget, magnumque triumphum
Ducet, diſcedat ſi latere incolumi.
Me ſimilis fortuna manet, nam incommoda tangent
Me tua: utrumque rates una eademque vehit.
Si te tempeſtas demergit, mergar & ipſe;
Suavis & aura tibi, ſuavis & ipſa mihi.
Scire volet Lector quid agam? Tu noſcere debes
Quæ mens illius, num bona, numve mala?
Si forſan fuerit ſinceræ frontis, aperte
Promere tu poteris quicquid ago, ac meditor.
Mens corpuſque valent, victus contingit abunde,
Ad ſumtus modicos eſtque crumena ſatis.

Nil

Nil ait esse prius sceleris quam nescia vita,
Nil nisi quod dignum sit sapiente probat.
Cum Sol exoritur, consurgit, & Indicus illi
Porrigitur potus; scriptitat, atque legit.
It sacras Ædes, & blandos quærit amicos:
Quid verum atque decens curat, & omnis in hoc.
Major ut accedat selectis copia libris
Quæritat; hinc charus, Bibliopola, tibi.
Hæc agit, bæc curat, nam cetera non facit bilum
Grata quies illi non pariens otium.
Quod si Lector erit tetricus, mentisque malignæ;
(Nec minima istorum pars, ut opinor, erit)
Tu cave ne dicas quod lædere possit utrumque,
Si quid agam quærat, cautior bæcce refer.
Immoritur studiis, formidat naribus uti:
Illum non reddit palma negata macrum.
Dente Theonino cum circumroditur, optat,
Ne in sese rursus turba maligna ruat.
Non abigit scutica, posset cum fortiter uti;
Sed sinit offendat livor iners solido.
Nec lamentatur non apparere labores:
Olim scit meritis præmia digna fore.
Plura cave referas, nam quicquid dixeris, aures
Innumeræ accipient, innumerisque modis.
At tu si exoptas te ut judex æstimet æquus,
Scriptaque cum venia qualiacumque legat;
Trans Pyrenæos, iterumque iterumque monebo,
Te longe referas. Si sapis, eja fuge.
Curre ubi conspicitur pulcris Lutetia tectis.
Est ætate gravis Vir, gravior meritis.
Cura ejus meritum floret, sua præmia virtus
Obtinet, est doctis conspicuusque locus.
FLORIDUS *est illic quo non præstantior alter*
Ad res præclaras ære ciere viros.
Hic res Gallorum, Europæque negotia summa
Expedit, atque suo temperat arbitrio.

Huic vellem placeas, hujus ſuffragia ferre
Te optarem, (fateor) me hæc tenet ambitio.
Poplite ſubmiſſo manibus fige oſcula ſacris:
Hæcque illi noſtro nomine dicta refer.
Urbe ab Edetana miſit Majanſius ad Te,
Ut me, ſeque ſcias tempus in omne tuos.
Plura cave dicas: in publica commoda pecces,
Si imprudens illi tu remoram facias.
Vade, vale, titubare cave, mandataque ſerva.
Sit tibi cura tui, ſic erit atque mei.

Jeſu Chriſto gloria & nunc,
& in diem æternitatis.
Amen.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
memorabilium.

NUMERUS ROMANUS DESIGNAT
Paginas Epiſtolæ ad Lectorem,
Barbaricus Libri.

A

ACademici honores, ſive Gradus, 288.
Accreſcendi jus, 288.
Accurſius. Franciſcus, 14. 113. 255. 259.
Acilius Fontanus, 148.
Acilius M. 145.
Acroſtichides quædam, 323.
Achillæa, 386.
Achilles, 386,
Acta eruditorum Lipſienſium, 308. 309. 312.
Actio in rem. 262.
Actiones concurrentes, 288.
Adagiorũ collectores, & uſus, III.
Addictio in diem, 339.
Adhortatio VII. 9. 237.
Adjectus ſolutionis gratia, 291.
Advocatio, 202. 203.
Ædilitium Edictum, 264.
Ægidius. Hæreticus, 120.
Ægidius. Sanctus, 294.
Ælius. Sex. 293.
Æmilius. Paullus, 147.
Ærodius. Petrus, 277.
Æſchines, 18.
Æſchylus, 244. 247.
Affectatio, III.
Africanus. P. Cornelius Scipio, 160.
Agamemnon Æſchyli, 244.
Agricola. Rodulphus, XII.
Agriculturæ ſtudium, 384. & ſeq.
Ajala Balthaſar, 268.
Ajala. Frater Jo. Innterian de, 106. & ſeq. 143. 299. 303.
Alamannorum Lex, 259.
Albiñana. Ven. Joſepha Maria a S. Agnete, 70.
Albiniana (Albiñana) Vincentius, 125.
Albucius. Aurelius, 260.
Alcachofas, 386.
Alcalæi Ducis Ædes, 53.
Alciatus. Andreas, 14. 34. 113. 228. 260. 296.
Aleatores, 279.
Alexander ab Alexandro, 266.
Alienæ rei pignus, 339.
Allegationum abuſus, 68. 173.
Almoxich, 49.
Altamiranus. Joannes, 237. 178. 350.
Amadiſii Gaulæ Autor, 324.
Amalphis, 289.

Amanuenſium vitia, 354.
Ambroſius. Sanctus, X.
Amfoſſy de Filſ. 244. 250.
Amicitia literaria, 244. 245. 252.
Amphiteatrum Italicenſe, 52. 53.
Amuſquibar. Joſephus, 118.
Anadon. Dominicus, 121.
Angliorum Lex, 259.
Annianus, 200. 256.
Annius Viterbienſis. Joannes, 56.
Annona, 387.
Antiquarius. Jacobus, XII.
Antonia, L.F. 146.
Antoninus Pius, 195. 203.
Antonius, 149.
Antonius. L. 147.
Antonius. Nicolaus, XIV. 215. 222 237. 251. 284. 285. 381.
Apaſteroſis Emmanuelis Martini, 40. 44. 99. 100. 107. 185. 302.
Aper. M. 18.
Apollinaris Sidonius. C. Sollius, XI. 299.
Aporetici, 127.
Apoſtolius. Michael, III.
Aqua pluvia arcenda, 198.
Aquarum menſura, 334.
Aquillia lex, 282.
Aquillius Gallus. C. 261. 293.
Aragonius. Paſchaſius, 339.
Arana. Franciſcus, 288.
Arca Emmanuelis Martini, 42. 44. 302.
Arcadius. Imper. 281.
Archaiſmi, III. 25.
Archelaus, 385.
Archiepiſcopi Collegium Salmanticenſe, 344.
Architæ crepitaculum, 21.
Arcus vulgo de Barà, 153. 154. 155.
Ardices Corinthius, 17.
Arechaga. Joannes, 110. 285.
Aretinus. Leonardus Brunus, XII.
Argumentorum inutilitas, XVIII.
Ariſtarchus, 6. 62. 79. 80. 99. 192.
Ariſtius. Fuſcus, 28.
Ariſto. T. 193.
Ariſtotelis Epiſtolæ, II. Ei emancipati, 73.
Arithmetica demonſtrata, 333.
Arrepſia, 128.
Ars ingenii, 393.
Artaxerxes Mnemon, 385.
Artemiſia, Regina, & herba, 986.
Artemon, II.
Atelius Verecundus. P. 49. 51.
Atinia lex, 284.
Athletica res, 270.
Attalus Rex Aſiæ, 385.
Atticæ leges, 259. 283.
Atticus. T. Pomponius, V. 18.
Attilius 324.
Attilius Serranus. C. 160. 385.
Aubertus Hiſpalenſis, 157.
Auguſtinus. Antonius, XIV. 13. 64. 95. 113. 115. 131. 154. 155. 197. 199. 206. 209. 212. 243. 247. 256. 260. 261. 262. 269. 271. 280. 286. 289. 301. 302. 324.
Auguſtinus. S. Aurelius, X.
Auguſtinianarum Reformatio Valentina, 121.
Aula Dei, 223.
Aurea, 198.
Aurelianus, 147.
Aurelius Arcadius Chariſius an fuerit Chriſtianus, 188. 191. 212. 219.
Aurelius. Clarinus M. 148.
Auſonius. D. Magnus, 244. 247.
Auſtriacorũ fœderatorumque ingreſ-

greſſus in Regnum Valentinum 144.
Averanius. Joſephus, 85.113.290.
Azarias, 385.
Azo, 113.259.

B.

BAchovius. Reinhardus, 267.
Bæbia lex, 146.
Bæbius, 147.Gn. 147.P. 145.146.
Bætica, 55.
Baivariorum lex, 259.
Balbus M. 147.
Balduinus.Franc. 259.265. 266. 282.
Baldus de Ubaldis, 34.113.296.
Balnearius (Baños) Simon, 115.
Barbara. Diva, 364. 371.
Barbari Interpretes, 295. 296.
Barbaries, 28.
Barbarus. Hermolaus, XII.
Barbeyracius, 250. 298.
Barclajus. Guil. 273.
Bargæus. Petrus Angelus, XIV.
Barlæus. Gaſpar, XVII.
Baro. Eguinarius, 189. 263. 349.
Bartolus de Saxoferrato, 113.160.
Baſilicòn. Ecloga, 258. Interpretes, 282.
Baſilicorum libri, 64.
Baſſus. Angelus Politianus, XII.
Batonius Marcellus, 149.
Baudius. Dominicus, XVI.
Bazterra. Auguſtinus, 118.
Bellica jura & officia, 268.279.
Bellicæ res, 257.
Belliſonus (Belliſon) Ant. 88.
Belluga.Ludovicus.Card. 138.
Bembus. Petrus, XIII. XIX.XX. 16. 24.
Benedictus XIII. Pont.Max. 120.
Benifares, 49.
Bermudetius (Bermudez) Joſephus, 292. 321. 325. 343.381. 387.
Bernard. Joh. Frider. 250.
Bernaud. 251.
Bertrandus. D. Ludov. 122. 124.
Beſt. Guil. 289.
Bibliotheca Alphonſi Ciacconii, 243.247. 361. Marchionis Villenenſis, 136. Comitis Cervellionis, 317. 320. Sequanorum, aut Mandubiorum, 210. Rabinico-Hiſpana, 381. Juris Civilis, 280. Majanſiana, 248. 251. 252. & ſeq. 382. 395. Juridica ejuſdem, 255.
Bibliothecales Leges, 60.
Bignonius. Hier. XV.
Blanquetus. Franc. 130. & ſeq. 172. 174. 176. 183. 186. 220. 223. 224.
Boetius. Anic. Manl. Severin. 71.
Bonarrota, 58.
Bonorum poſſeſsio contra tabulas, 284.
Bordazar. Ant. 138.150.157.160. 293. 360.
Borgia. Ludov. 128.
Borromæus.D.Carolus, 124.
Borrullius. Joſephus, 1. 3. & ſeq. 6. 290. 352. Petrus, 4.
Bractearii libros optimos conſumunt, 247.
Braulio Cæſarauguſtanus Epiſcop. 381.
Brenckmannus. Henr. 113. 289.
Breviarium Mixtarabum, 143.
Brevitatis utilitates, 68. 69.
Brœus. Franc. 277.
Briſſonius. Barnabas, 10. 30. 173. 212. 271. 286.
Brularius. Nicol. 275.

Bru-

Frutus. Jo. Michael, XIV.
Brutus. M. XIV.XIX.18.21.
Budæus.Guil. XIII. 10. 260.
Bulipho. Cæsar Laurent. 44. 99. 100. 303. Carolus, 105. 106. Philippus, 32.36.37.40.44. 90. & seq.141.302.366.
Bunellus. Petrus, XV.
Burgundiorum lex, 259.
Burmannus. Petrus, 286.
Busbequius. Augerius Gislenus, XVI.
Bustantius. (Bustanzo) Josephus Octavius,134. & seq.
Bynkershoek. Corn.Van.290.327.

C

CAcozelia, XVI. 19.
Cæcilius. Q. 149.
Cæcilius Optatus, L.143.
Cæcina. A. XIX.
Cæcitatis & Sapientiæ cognatio, 275.
Cæsar. C.Julius XIX. 15. 18.21. 314.
Cajus, sive Gajus, J. G. 195. an Christianus fuerit, 88. 191.219.
Calaber. Petrus, XII.
Calliditas, 18.
Calpurnius Armonicus. F.149.
Calpurnius Supercus. M. 145.
Calvus. C. Licinius, 18.
Camargo. Jo. 292.
Camers. Janus, 50.
Campanus J. C. 65. 66. 67. 291.
Camusatus. Franc. Dionys. 145. 150.242. & seq. 311. 361.
Cantabri, 55.
Capitis exuviæ, 281.
Capitulare Karoli M.259.
Caprarius (Cabrera) Jo.Bap.133.
Capuccinarum Cœnobium Valentinum, 121.
Capuccinorum Provincia Valentina, 121.
Carbones continentur sub penoris legato, 65.
Cardosus. Hieron. XXIII.
Caroli M. Capitulare, 259.
Cartilius, J.C.293.
Casaubonus. Isaacus,XVI.XIX.
Castelvinius. Jo.Basilius,152.333. & seq. 320. Josephus, 152.314. 318.
Cassiodorus.M. Aurelius, XI.
Cassius Longinus. C. 191. & seq. Lucius 191. Ater *L.* Cassius, 192.
Castrenses, Juris Interpretes, 113. Paulus Castrensis, 296.
Catalogus librorum Majansii,243. 352. & seq. Juridicorum singillatim, 255. & seq.
Catalogus eorum qui scripserunt suove nomine dederunt hujus Voluminis Epistolas XXIII. & seq.
Catilina. L. 88.
Cato. M. J.C. 293. Alter M. Cato, 18. 20. 25. 261.
Catullus. Q. Valerius, X.141.143.
Caussarum lucrativarum concursus prohibitus, 340.
Causidici, 10. 43. 102. 103.
Celaja. Jo. 58.
Celtiberia Inscriptionibus abundat, 55.
Centaurea, 386.
Centaurus, 386.
Centigneus (Cienfuegos) Alvar. Card. 138.
Cerealis, 148.
Cervantes Saavedra. Michael,321. 324.

Cer-

Cervarienſis Academia, 239.
Cervellio. Vide Caſtelvinium.
Ceſsio legatorum, 342.
Chærephon, 25.
Chafreon. Mathias, 7.8.10. 16.21. 26.45.
Chalmettus. Ludov. 356. 391.
Charlataneria eruditorum, 307. 309. 312.
Cheſius. Bartholomæus, 284.
Chirimoja, 384. 385.
Chiron, 386.
Chironium, 386.
Communio, 281.
Choartius major, 275.
Choragia, 167.
Chriſti Paſsio, 276.
Chriſtianorum cum Gentilibus interdicta Communio, 281.
Chriſtenius. Joannes, 267.
D. Chriſtophori Sacellum Olivenſe, 229.
Chronicon Hiſtoricũ Cod. Theodoſ. 257.
Chronologia Cod. Theod. 257. Juris, 269. 277. Juriſconſultorum veterum, 359,
Chumacero. Jo. 274.
Ciacconius. Alfonſus, 243. 247. 361.
Cicero. M. Tullius, IV. X. XV. XVII. XVIII. XIX. 14. 18. 19.23.314. Quintus, XIX.
Cicerones unde dicti, 385.
Cinius. Q. 149.
Cinna, J. C. 291.
Circenſes ludi, 270.
Circus Saguntinus, 319. Tarraconenſis, 155.
Claudii Triphonini, J. C. Notæ libris Reſponſorum, & Digeſtorum Q. Cervidii Scævolæ præfixæ, 283.
Claudius, 146. 147.
Clemens VIII. Pont. Max. 124. XII. Pont. Max. 239. 289.
Clericus. Jo. XVIII.
Coccius Sabellicus. M. Ant. XII.
Codex Hermogenianus, 206. Juſtinianeus, 262. 265. 267. 275. 277. 280. Legum antiquarum, 259. Theodoſianus 256. 257.
Cœcus. Ventura, 266.
Cœlius. M. XIX. Sabinus, 196. 273. Sedulius Presbyter. 207.
Cœnobium D. Mariæ Pineæ, 58.
Chœphori Æſchyli, 244.
Collationes bonorum, 29. 30. 37. 38. 40. 95. 96. 278. 340. Legum Moſaicarum, & Romanarum, 210. 256.
Collegium Corporis Chriſti Valentinum, 121. 122. & ſeq.
Colombet. Claudius, 285.
Colomeſius. Claud. XVI. XVIII.
Columella. L. Junius Moderatus, X. 385.
Comes Cervellionis. Vide Caſtelvinium. Oropeſanus, 136.
Commendatio, VI. 7. 120. & ſeqq.
Commiſſoria Lex, 339.
Conceptio, 297. 373.
Conciliatio VII. 1. 6. 32. 90. 91. 106. 107. 111. 116. 117. 119. & ſeqq. 128. 171. 142. 307. 313. 314.
Concitatio, VI.
Conditiones Inſtitutionum, 342.
Conformatio propriæ voluntatis cum divina, 233. 235.
Congregatio Oratorii D. Philippi Nerii, 156. 376.
Conringius. Hermannus, 269.
Conſobrinorum nuptiæ, 281.

Conſolatio, VII. 81. 109. & ſeq. 234. 333. 378.
Conſtantinus. Hæreticus quidam, 120.
Cõſtitutiones Græco-Latinæ 258. Principum, 273.
Contelorius. Felix, 282.
Contractus incerti, 283. Contractuum, 19. idea 287.
Coraccianus. Jo. Bap. 331. 333.
Coraſius. Jo. 263. 268.
Cornelia, 375. L. F. 148.
Cornelius Maximus. Q. Cornelius J. C. 65. 66. 67. 291.
Cornificius, X.
Corporis Chriſti devotio, 122. 123.
Corpus Juris Civilis, 255. & ſeq.
Corradus. Q. Marius, XV.
Correctores, 287.
Coſcæ. S. Stanislai Apotheoſis, 133.
Coſta. Emmanuel, 269. 337. Janus, 216. 271. 272.
Cottidianæ res, 199.
Covarrubias. Didacus, 113. 117. 337.
Craſſus. L. 382. ejus Serviliana 23. M. Craſſus cognomento Dives, 27.
Creditæ res, 273.
Critices abuſus, 349.
Criticus Magnus, ſive Criticon Gratiani, 322. & ſeqq.
Cuba, 142.
Cujacius. Jac. XV. 10. 14. 30. 88. 113. 131. 188. 190. 211. 214. 237. 256. 258. 262. 263. 264. 271. 272. 276. 280. 290. 296. 297. 303. 346. 348. 349. 356.
Cunina, 141.
Curtius. Jac. 215. 257. 258. Q. 169.
Cuſpidii. L. teſtamentum, 286.
Cyprianus. S. X.
Cyriacus Anconitanus, 56.
Cyrus, 227. 385.

D

DÆdalus, 17.
Dago, 52.
Damnum infectum, 198.
Debiti legatum, 339.
Deciſsiones Juſtiniani, 276.
Dehortatio. VII. 358. & ſeq.
Delectus malus rerum. XX.
Demetrius Phalereus II.
Democritus, 74.
Demonſtrationes falſæ, 339.
Demoſthenes, 18. 19. 25.
Deprecatio. VIII.
Dertuſenſes Inſcriptiones, 155. 156.
Deſmares. Franc. 256.
Dexter. Flavius Lucius, 57. 381.
Diagus (Diago) Franc. 49.
Dialectica, 72. 328.
Dialogi ſtilus II. Dialogus de Oratoribus, 18.
Diana, 148. & in Dedicat.
Dictionaria Hiſpana, XIX. 100.
Dies certus contractibus adjectus, 340.
Digeſtorum libri, 255. 256. 265. 280. 288.
Dignitatum utriuſque imperii Notitia, 257.
Diodorus Siculus, 243. 247. 248.
Diogenianus, III.
Diſertus Gratiani, 323.
Diſputationes inutiles, 72. 74.
Doctoris virtutes, 3.
Dodonæum æs, 21.
Dolabella. P. Cornelius, XIX.
Domatius (Domat) Jo. 98.

Do-

Donationes, 284.
Donatus. Ælius, XI.
Donellus. Hugo, 113. 264. 278. 282.
Dotalition liber, 200.
Draconis Leges, 63.
Druſilla, 192.
Doujatius (Doujat) Jo. 216. 222. 258.
Duarenus. Franc. 113. 262. 263. 296.
Duckerus. Alexander, 251.
Duplæ ſtipulatio, 264.

E

ECcleſiaſticæ loquution. XIV.
Edictum Perpetuum, 206. 207. 280. Provinciale, 196. Quod cum eo, 340. Urbicum, ſive Prætoris Urbani, 197. 200.
Eduſa, 141.
Egual. Michael, 320. & ſeqq.
Eidus Martiæ, 21.
Elca, 49.
Elegia Emmanuelis Martini, 41. & ſeqq. 100. 107. 185. 302.
Elegiæ Gregorii Majanſii, 41. 42. 44. 107. 108. 394.
Emendandi ſtudium, 68. 348.
Emmanuel Ferdinandi Pacciecus (Fernandez Pacheco) Joannes, 136. 304.
Empiricus. Sextus, 128.
Ennius. Q. 151. 234.
Ennodius. Magnus Felix, II. XI. 299.
Enuſa, 146.
Epicharmi ſententia, 33.
Epigramma Emmanuelis Martini, 105. Elegantiſsimum cujuſdam Acilii Fontani, 148. Greg. Majanſii, 104. 106. 293.
Ephectici, 127.
Epimethei vas, 73.
Epiſtolarum inventio, XVIII. difficultas, & ratio ejus vincendæ, I. gratia, III. pulchritudo ingenua, IX. laudes unde peti debent, XX. ſtilus, I. & ſeqq. 20.
Epo. Boetius, 160.
Eraſmus. Deſiderius, III. XIII. XIX. XX. 8.
Eruditio conducit ad Juris cognitionem, 13.
Eruditorum Charlataneria, 307. 309. 312.
Etymologicon Em. Martini, 100.
Eumenides Eſchyli, 244.
Eumenius, Rhetor, 266.
Eupator, 386.
Eupatoria, 386.
Eurematica, 289.
Euſtachius, 64.
Euſtathius, 128.
Evictio, 164.
Excuneati, 162.
Excuſationes a tutela, 261. vulgares 28.
Exea & Deſcartin. Joſephus, 284.
Exercitatio ſtili, 20. 21. 25.
Exilium, 285.
Expoſtulatio, VIII.
Exprobratio, VIII.
Exulum conditio, 285.

F

FAber. Ant. 113. 263. 272. 296. 349. 350.
Faber. Petrus, 10. 34. 113. 263. 270.
Faber Tanaquillus, XVII. 361.
Fabia Fabulla L. F. 144.
Fabii unde dicti, 385.
Fabius Ceminus. Q. 146. 147.

Fabrettus. Raphael, 46.
Fabrotus. Car. Hannibal, 10. 214. 216. 222. 258. 264. 282. 348. 356.
Fabulinus, 142.
Facilitas ſtili, 18.
Falcidia Lex, 291.
Falco. Jacobus, 139.
Falſæ demonſtrationes, 339.
Familia ruſtica, & urbana, 275.
Familiaris ſtilus, 20.
Famoſi libelli, 266.
Faſcinus, 142.
Fauſtilla, 148.
Feijoo. Benedictus, 384. 387. Feijoonum origo, 375.
Ferdinandi (Fernandez) de Heneſtroſa. Jo. 336. 338.
Fernandez de Avellaneda. Alphonſus, 324.
Ferrarius. Jo. 265.
Ferreras. Jo. 303.
Ferretus. Æmilius, 262.
Fichardus. Jo. 261.
Ficinus. Marſilius, XII.
Fideicommiſſa, 200. 206. 288. tacita, 201.
Fides inſtrumentorum, 265.
Fineſtreſius (Fineſtres) Franc. 238.
Fineſtreſius. Jac. 171. 172.
Fineſtreſius. Joſephus, 130. & ſeqq. 152. 153. 171. & ſeqq. ejuſdem Epicedion, 136. repulſa, 188. laudes, 130. & ſeqq. 152. & ſeqq. 17 . & ſeqq. 238. 394. ſcripta, 178. 179. 181. 237. renunciatur AnteceſſorCervarienſis, 225. 238.
Fineſtreſius. Marianus, 171. 172.
Fineſtreſius. Petrus Jo. 238.
Fineſtreſii Fratres, 171. 172. 174. 176. 181. 183. 186. 187. 190. 215. 220. 222. 224. 226. 229.
Flaccus. Granius, 291.
Flavius Soſipater Chariſius, 212.
Floridus (Fleury) Andreas Hercules, 244. 299. 388. uſque ad finem libri. Adde Dedicationem.
Floridus. (Fleury) Claudius, 137. 299.
Floridus. Julianus, 244.
Fonſeca & Acevedo. Alfonſus de, 344.
Fontanus. Ant. 260.
Formulæ, 259. 267. 271.
Fornerius. Rodolphus, 272.
Fortunæ Sejæ templum, 56.
Fragmenta quinque Jureconſultorum, & in ea Greg. Majanſii Commentarii, 62. & ſeqq. uſque ad 69. 182. & ſeqq. 187.
Franciſcus Aſiſius. S. 364. 368. 370.
Franciſcus de Paula. S. 334.
Freymonius. Uvolf. 269.
Friſiorum lex, 259.
Fronto, 169.
Fulden ſia Chronica, 381.
Fulgoſius uterque, 296.
Funus priſcum, 275.
Fuſterius (Fuſter) Gaſpar, 376.

G

GAjanus Fluvius, 115.
Gajus. Vide Cajum,
Gallæcia, 55.
Gallia, 388.
Gallica lingua, 98. 99.
Galtier. Daniel, 215. 218. 221. 285.
Galvanus. M. Aurelius, 287.
Garcia. Vincentius, 143.

Gaſſendus. Petrus, XVII.
Gelida. Jo. XXIII. & in Dedicat.
Gemina Phebas, 148.
Genius Bæbius Filades, 147.
Gentilis. Scipio, 265.273.
Gentium jus, 279.
Gerardi. Gerardus, XIII.
Germanicarum rerum Scriptores, 309.
Gerundenſis Eccleſia, 239.
Giphanius. Hubertus, 272.
Glareanus. Henr. 286.
Glicia lex an fuerit? 201.
Gloſſæ veteres quæ in Baſilicis reperiuntur, 258.
Gloſſarium nomicum, 257. Vocum difficiliorum & obſcuriorum, 259.
Goffredus Salagniacus, 337.
Gomezius. Ant. 214. 289. 290.
Gonzagæ. S. Lud. Apotheoſis, 133.
Gothofredus. Dionyſius, 209. 215. 258.
Gothofredus. Jac. 13. 30. 33. 113. 199. 206. 207. 208. 211. 257. 280. 281. 289. 290. 351.
Goveanus (Govea) Andreas, 262.
Goveanus. Ant. 14. 30. 113. 115. 262. & ſeqq. 349.
Gracchorum mater, 375.
Græcarum dictionum Nomenclator, 258.
Græcæ Literæ, 10. 14. 20. 44. 98.
Græci libri, 246.
Græcorum typorum defectus, 32. 221. 361.
Granadilla, 387.
Granius Flaccus, 291.
Gratianus (Gracian) Balthaſar, an Laurentius? 320. & ſeqq. ejus ſcripta, 323.
Gratias agendi ratio, V. 11. 94. 227. 239. 245. 330. 357.
Gratius, X.
Grattia Myrſis, 149.
Grattios. G. 148.
Grattius. G. 149.
Gratulatio, VI. 30. 104. 105. & ſeq. 151. 225. 238. 390.
Gravina. Jan. Vinc. 10. 12. & ſeqq. 63. 219. 222. 289. 351.
Gravitas, 18.
Gregorius Nazianzenus, III. IV. IX.
Gregorius. Petrus, 174.
Grotius. Hugo, XVIII. 147. 279.
Gruterus. Janus, 46. 47 56. 57. 64.
Guanavana, 387.
Gueravius (Guerau) Thomas, 85.
Guevara. Ant. 145.
Gutherius. Jac. 10. 275.
Gymnici ludi, 270.
Gyraldus. Lilius Greg. XIII. XX.

H

HAdrianus Imp. 197. 203. 206. Ejus Edictum Perpetuum, 261.
Hali. A. 52.
Halys, 149.
Harmenopulus. Conſtantinus, 258.
Heemſterhuys. Tiberius, 251.
Heinectius. Jo. Gottl. 290.
Heleca, 57. 381.
Helenæ pictura, 20.
Helica, 49. 58.
Helpis, 105.
Hevia Bolaños. Juan, 272.
Hldovici M. capitulare, 259.
Hendecaſyllabi Em. Martini, 140. 141. 305.
Heracliti obſcuritas, 69.
Hercules, 22. ejus columnæ, 143. 152.

Herenius. Q. 156.
Hermanus. Jo. Bapt. 368.
Hermogenes, 208.
Hermogenianus Codex, 206.
Hermogenianus. Eugenius, 208.
Hermogenianus J. C. an Christianus fuerit? 189. 191. 206. 209. 220. 222. Commentariis illustratus a Josepho Finestresio, 237.
Heros, 323.
Hidrometria fluyente, 334.
Hiero Syracusanus, 385.
Hieronymiani Sodalitii Historia, 324.
Hieronymus. S. XI.
Hilliger. Osualdus, 278. 282.
Hirtius. A. X. XIX.
Hispana numismata incognita, 323.
Hispania, 52. 310. 312. Hispaniæ laus, XXI. Historia de rebus Hispaniæ, 57. 144. 150. 157. 158. & seqq. 242. 311. 325. 381.
Historia conjungenda cum Jurisprudentia, 265.
Historia Civilis, 269. Juris Civilis, 280.
Hollandorum navigationes, 279.
Homullus, 49. 51.
Hondtius, Petrus, 150. 157. 250. 300. 311. 316. 325. & seqq.
Hopperus. Georgius, 269.
Hopperus. Joachimus, 268.
Horatius Flaccus. Q. III. X. 243. 319.
Horatius. M. 236.
Hortensii unde dicti, 385.
Hortensius. Q. 385.
Hospitalia, 166.
Hotomanus. Franc. 14. 113. 216. 266. 267. 349.
Huberus. Ulricus, 288.
Huetius. Petrus Daniel, XVIII.
Hydrometria fluens, 334.
Hygia, 148.
Hyperides, 18.
Hypotheca, 264.
Hypothecariæ liber, 200.

I

Ildefonsus. Sanctus, 294.
Imagines, 291. Sacræ, 299.
Imitandum ne? quid, & quomodo possit, 18. 22. 23.
Imperatores, 269.
Imperium, 272. Romanum, 289. Ejus Typus, 257.
Imaginariorum equitum origo in Hispania, 324.
Immunitas Protectorum & Præpositorum, 277.
Inofficiosum testamentum, 284.
Impensæ in res dotales factæ, 338.
Imperatores Christiani num Pontificatum maximum aliquando gesserint? 281.
Incerta persona & in eam collata dispositio, 339.
Index Librorum Majansii, 243. 248. 251. & seqq. Juridicorum singillatim, 255. & seqq. ille qui Pandectis præfixus est non habuit autorem Tribonianum, 201. Indices Juris, 269. Scriptorum utriusque Juris, 261.
Indicta viduitas, 291.
Ingenii ars, 323.
Inscriptiones agri Carcaxentii, 143. 144. Dertussenses, 155. & seq. Olivenses, 49. 50. Saguntinæ, 143. 145. 150. Valentinæ, 156. Tarraconenses in Hispaniam & Galliam advectæ, 55.

Hiſpaniæ, 46. 47. 48. 50. falſæ, 56.
Inſcriptio l. non eſt 4. de inof. teſt. 202. l. nam quod 14. ad S. C. Trob. 206.
Inſtituendi modi, 340. Inſtitutionum conditiones, 342.
Inſtitutiones Cai. 200. Juſtiniani, 265. 266. 271. 274. 277. 278. 288. Ex his illuſtratur §. eſt autem 3. de rer. div. 85. 293. §. *Item* 2. de emt. & vend. p. 192.
Inſtitutiones ad uſum fori accomodatæ, 267.
Inſtrumentorum fides, 265. Inſtrumentum vineæ quid contineat, 65.
Interceſsio, VII. 120. & ſeqq.
Interdicti & relegati, 289.
Invectiva, VII. 85. 305.
Iſabella Regina Hiſpaniæ, 319.
Iſocrates, 18. 19. 330.
Italiæ laus, 168.
Italicenſe Amphitheatrum, 52. & ſeq.
Itinerarium Valentinum, 157.
Itterus. Jo. Chriſtianus, 288.

J

JAſon, 296.
Javolenus Priſcus, 193.
Joannes Gloſſator, 113. 259.
Joverius (Jover) Blaſius, 150. 170. 316. 325. 327. 328. Hyacinthus, 150. 170. 316. 326. 328.
Jucunditas ſtili, 19.
Judicata res, 198.
Judicia Scriptorum, 114. 115. 322. 357.
Julia & Papia, Leges, 197. 277. 280.
Julia Miſcella. Lex, 291.
Julia Nereis, 149.
Julia Theatralis. Lex, 160.
Julianus Anteceſſor, 256. Hieron. 133. Pſeudo-Hiſtoricus, 181. Salvius, 193. 197. 299.
Julius Æticus, 148.
Julius Aquila J. C. 291.
Jus, 270. Belli & pacis, 279. gentium, 279. Manium, 275. Juris origo, 270. Promtuarium, 258. Juris Civilis Corpus, 255. & ſeq. Chronologia, 227. Hiſtoria & Bibliotheca, 280. Interpretes, 113. 269. Ars, 268. Juris ſtudii tempus prorogandum, 276.
Jureconſultus Greg. Majanſii, 113. 182. 184. 294.
Jureconſultorum Chronologia, 360. Formulæ, 267. Latinitas, 251. Vitæ, 161. 267. 269.
Juridici libri Greg. Majanſii, 255.
Juriſprudentia, 268. Cauſidicorum, 10. 43. 46. Conjungenda cum Hiſtoria, 265. Juriſprudentiæ laudes, 9. 11. 12. 205. 328.
Jus jurandum, 273.
Juſtinianus Imp. 64. 265. imitatus eſt Gajum in titulorum numero, 198. 200. Ejus Conſtitutiones Græcæ, 256. Deciſsiones, 276.
Juſtitia, 270.

K

KOningius. Hadrianus, 381.
Kurxupha, 386.

L

LAbbæus. Carolus, 258.
Labittus. Jac. 269.

Lac-

Lactucini unde dicti, 385.
Lælius. C. 150. 314.
Lælius Decimus, 295.
Lætus. Julius Pomponius, XII. 286.
Lambinus. Dionys. XIV.
Lamentatio, VI. 45. 80. 108. & seq. 229. 331.
Lancina & Ulloa. Felix, 344.
Langlæus. Janus, 276.
Languetus. Hubertus, XVII.
Lastanosa. Jo. Vincent. 323.
Latina lingua retinenda, XV. ejus Magistri, X. optimus autor, XV. perfectio, XIX. corruptionis caussæ & remedia, 329.
Latinitas veterum Jurisconsultorum, 251.
Latinus Pacatus, 266.
Latrones Famosi, 281.
Lauretani (Loredano) Jo. Franc. Declamationes, 320. 321.
Laus, V. XXII. 12. & seq. 71. & seqq. 91. & seqq. 114. 115. 117. 119. 168. & seqq. 172. 215. & seqq. 218. 313. 329. 388. & seqq.
Lazarillo de Tormes, 324.
Lectio, 25.
Legata, 198. præstanda, sive tit. deleg. præst. 284. Legatorum cessio, 342. legatum debiti, 339. penoris, item vineæ instrumenti quid contineat, 65.
Lentuli unde dicti, 385.
Leonicenus. Nic. XII.
Lepida, 192.
Lepidus Gn. 145.
Levana, 141.
Lex Commissoria, 339. Regia, 64.
Leges ad Bibliothecam pertinentes, 160. 140. Atticæ, 259. Draconis & Solonis, 63. duodecim tabularum, 13. 63. 199. 280. Nauticæ, 64. Romanæ, 262. 267. 273.
Leges Digestorum seu Pandectarum, quæ hic, aut alibi illustrantur, vel emendantur.
Lex 2. de orig. jur. 266. 270.
L. Barbarius Philippus 3. de offic. Proc. 281.
L. non est 4. de inof. test. 201.
L. numismata 28. de usufr. 329.
L. 2. de reb. cred. 281.
L. Axiôsis de lege Rhodia de jactu, 281.
L. quæ sub conditione 8. de cond. inst. 333.
L. Antistius 62. de adq her. 335.
L. sed si 7. test. quemad. aper. 197.
L. cum filius 76. §. servus 4. deleg. 2. 341.
L. si fuerit 5. deleg. 3. 291.
L. fidei meæ 28. deleg. 3. 339.
L. qui penum 3. §. ligna 9. de pen. leg. 271.
L. nam quod ad S.C. treb. 206.
L. apud hostes 9. de captiv. 206.
Leges, XIV. ex Basilicis suppletæ, 282.
Leges Codicis Justinianei.
L. pacto C. de pactis, 266.
L. omnes dies 7. C. de feriis, 271.
L. celebrandis 19. C. de nupt. 281.
L. cum furiosus 7. C. de cur. fur. 204.
L. filio 2. C. de rep. bon. poss. 291.
L. casus majoris 8. C. de test. 281.
L. si Barsatoum 13. C. de fidej. & mandat. 281.
L. quisquis 5. ad L. Jul. maj. 281.
L. 2. C. de excus. mun. 277.
L. 2. C. de vet. num. potest, 281.
L. un. C. de pal & dom. 284.

L.

L. Dominico Cod. Theod. de ſpectac. 271.
Legum ſententiæ quot ſint, 296.
Moſaicarum & Romanarum Collatio, 210. 256.
Leunclavius. Jo. 258.
Liberalis cauſſa, 198.
Liberalis. Evangelus, 293.
Libelli Famoſi, 266.
Libertus, ſive de libertis Tractatus, 181.
Librorum conſervatio, 60. 140.
Majanſianorum Index, 243. 248. 251. & ſeq. Juridicorum, 246.
Licinius Licinianus, 144.
Licinius Marinus. C. 147.
Licinius Sura. L. 154.
Licinius Rufinus J. C. an fuerit Chriſtianus, 188. 191. 219. 209.
Ligna continentur ſub penoris legato, 65.
Ligones in vineæ inſtrumento cõtinentur, 65.
Linara, ſive Linaria (Llinares) Vincentia, 104. 105. 141.
Lindenbrogius. Frid. 259.
Liperius. Ant. 322.
Lipſienſia Acta, 308. 309. 312.
Lipſius. Juſtus, XVI. XIX. XX.
Litoris finitio, 293. & ſeq.
Livius. T. X. 15. 17. 153. 169.
Lobeira. Vaſcus, 324.
Lojola. S. Ignatius, XIII.
Lollius. Petrus, 40. 42. 45.
Longinus. C. Caſsius, 195.
Longobardorum lex, 259.
Longolius. Chriſtophorus, XIII. 16. 24.
Longovalius, 260.
Longus. Joſephus, 322.
Loon Uvilhelmus, 288.
Lopetius Pacciecus (Lopez Pacheco) Mercurius, 304.
Lorga. Joſephus Joachimus, 329.
Loy. Michael de, 287.
Luccejus. L. XIX.
Lucianus Samoſatenſis, 251.
Lucilius, 246.
Lucillus, 149.
Lucina, 141.
Lucrativarum cauſſarum concurſus prohibetur, 359.
Lucretius Carus. T. X.
Lucullus. L. 27.
Ludi veterum, 270.
Ludovicus I. Aſturum Princeps, 137. 303. 304.
Luitprandus, 57. 381.
Lullius. Raimundus, 274.
Lupus Pacciecus (Lopez Pacheco) Mercurius, 136.

M

MAcrobius. Aurelius Theodoſius, 169.
Maffeus. Petrus Joannes, XIII.
Maffeus. Scipio, 46. 49. 50. 51. 58.
Magiſter Saliorum, 148.
Magiſtratus Populi Romani, 260. 267. 270. Municipales, 202.
Magiſtratus incapacis ſeu inhabilis per errorem facta electio, 281.
Majanſia (Mayans) Ludovica, 370.
Majanſius. Emmanuel, 120. 222. 224. 226. 364. 366. 368. 369. 385.
Majanſius. Greg. Ejus Parentes, Patria, ſtudiorum initia, mores, 33. 293. & ſeq. 394. XXII.

Salmanticam proficiſcitur, 351. orationem habet in illa Academia, 351. ibidem ſuſcipit primas utriuſque Juris Laureolas, 294. ſupremas Juris Civilis Valentiæ obtinet, 291. 294. Tuncque habet recitationem extemporalem, 291. Utriuſque Juris laureolas in Academia Gandienſi accipit, 294. Juſtinianei Codicis Cathedram petit, & obtinet, 291. qua occaſione Theſes propugnat, 291. Ejus Epigrammata, 104. 106. 133. Elegiæ, 107. 108, 394. Librorum Index, 243. 298. 251. & ſeqq. Juridicorum ſingillatim, 255. Cogitationes, XXI. 60. 67. 138. 187. 248. 278. 293. 281. Latet ſub nomine Juſti Vindicii, 84. & ſeqq. Ejus ſymbolum, 293. Omiſsio, 212. 213. 271. Obtrectatores, 182. 183. Epiſtolæ, 301. 316. 319. 343. 360. 362. Jo. Pugæ Tractatus recenſet & illius Vitam ſcribit, 335. & ſeqq. præcipue, 353. 357. Ejus ſcripta, XXI. 26. 27. 28. 29. 30. 33. 35. 37. 38. 40. 44. 62. & ſeqq. 84. & ſeqq. 95. 96. 101. 107. 108. 112. 113. 135. 136. & ſeqq. 158. 191. 172. 173. 176. 179. 180. 182. 183. 184. 189. 212. 222. 239. 241. 250. 285. 286. 291. & ſeqq. 297. 300. 308. 335. 353. 359. Scribendi ratio, 67. 113. 114. 115. 116. Merita, 181. 382. In Præpoſituræ Legalis petitione Theſes propugnat, diſputat, & prælegit ex tempore, 83. 136. 139. repulſam fert minime ſordidam, 119. 291. 382. 395. & in *Dedicat.* Heres à Matre ſua ſimul cum fratribus inſtituitur, 368.

Majanſius. Jo. Ant. Avus Greg. 378.

Majanſius. Jo. Ant. frater Greg. 180. 222. 224. 226. 364. 366. 368. 369.

Majanſius. Ludovicus, 370.

Majanſius. Paſchaſius, 51. 80. 82. 103. 109. 134. 231. 335. 336. 368.

Majanſius. Vincentius, 158. 222. 224. 226. 229. & ſeqq. 301. 330. & ſeqq.

Majus. Michael, 260.

Mandubiorum Bibliotheca, 210.

Manerus. Petrus, 205.

Manilius J. C. 293. 399.

Manium Jus, 275.

Manlia. Gn. F. 145.

Manumiſsio ſervorum, 288. Servi pignori dati, 339. 353. Manumiſsiones, 200.

Manutius, ſive Manuccius, Aldus, XV. Paullus, XV. XIX. XX. 24. 269. 286.

Manſueta, 146.

Maranus. Guil. 280.

Marcilius. Theodorus, 171.

Marculphus, 259.

Mare liberum, 279. Maris imperium, 281.

Mariana. Jo. 168. & ſeqq. 300. 311. 316. 319. 322. 325. 327. & ſeq. 360.

Mars. Augu. 147.

Marſolaer. Freder. 279.

Martiæ Eidus, 21.

Martialis, C. Val. 319. 324. XX.

Martinus (Marti) Emmanuel. duo

duo cognomines, Decanique Alonenſes, 302.
Martinus Emmanuel Dec. Alon. vir eruditiſsimus, XXII. & ſeq. 1. & ſeqq. 10. 95. 96. 99. 101. 107. 125. 140. 141. 142. 152. 185. 251. 301. 302. 316. 318. 381. 394. Ejus Satyromaſtix Notæ ſcilicet adverſus Q. Sectani Satyras, 14. Epigramma, 105. Epiſtolæ, XXIII. lib. 1. per totum, 93. 158. 125. 185. 358. 365. Ejuſdem ſcripta, 29. 31. 32. 35. 40. 41. 42. 44. 48. 51. 57. 60. 99. 100. 152. 185. 302. Bibliothecam vendit, 304. Scripta quædam ab ſe elucubrata comburit, libros deteſtatur, otium amplectitur, 305.
Martinus. Joſephus, XXII. 2. 7. 8. 10. 16. 25. 36. 39. 41. 43. 44. 46. 51. 58.
Maſſaniſſa, 385.
Matalones. Garcia de, 322.
Mater familias, 366. & ſeqq.
Matheſis ſacra, 334.
Matthæus. Ant. 273.
Mauruſii ab Hiſpania pulſi, 120. 124.
Maximus. L. 145.
Maximus. M. 57. 381.
Maximus, Q. Cornelius, J.C. 65. 67. 291.
Maximus Rutilius J.C. 65. 67. 291.
Mecurius (ſic ſcriptum) Aug. 147.
Mela. Pomponius, X.
Melachim, 200.
Meleager, 56.
Menagius. Ægidius, 206. 285.
Menckenius. Jo. Burch. 145. 150. 294. 307. & ſeqq.
Menckenius. Luderus, 288.
Mendo. Andreas, 335.
Meneſſes de Pedroſa. Ferdinandus de, 337.
Menſuræ 260. 333. 335.
Mercator. Ant. 88. 214.
Mercerus. Jo. 258.
Merillius. Emundus, 264. 276.
Merula. P. 279.
Metaphyſica, & ejus abuſus, 72. 73. 74.
Metellus Celer. Q. Q. F. XIX.
Mignana, ſive Miniana (Miñana) Freter Joſephus Emmanuel, 1. 6. 76. & ſeqq. 159. 300. 311. 394. Ejus Hiſtoria de Bello-Ruſtico Valentino, 315. 316. 319. De Rebus Hiſpaniæ, 311. 312. 316. 325. 327. Scripta, 144. 150. 157. 158. 168. Mors, 144.
Militiæ ex caſu, 261.
Millera & Selsè. Vinc. Nic. 314.
Minicia, 50.
Minicius Natalis, 193.
Miniſteria ſervorum, 275.
Mira. Frater Joſephus Ant. 386.
Miſcella Lex, 291.
Miſſalis liber Mixtarabum, 143.
Mixtarabum liber Miſſalis, & Breviarium, 147.
Modeſtinus. Herennius, 212. 261. 289.
Mœcenas, C. 342. 389.
Monetæ Ebreorum, Græcorum, &c. 333.
Monfalconius, Bernardus, 48. 49. 53. 15.
Monitio, VI. 30. & ſeqq. 38. 39. 96. & ſeq.
Montianus. Joſephus Anton. 357.

Montis Ferrati Ducatus, 272.
Morales. Ambrosius, 47. 56.
Mornatius. Ant. 275.
Morus. Thomas, XIII. 134.
Mosaicarum & Romanarum Legum Collatio, 210.
Mulieres Velandæ, 281.
Munerum graviorum vacatio, 65.
Municipales Magistratus, 202. 257.
Municipibus legatus ususfructus, 277.
Munnotius (Muñoz) Otalora, Alfonsus, 323.
Musici Ludi, 270.
Muretus. M. Ant. XV. XVI. 24. 271. 273.
Mutatio nominis. Tit. Cod. de mut. nom. 291.

N

NAturæ jus, 279,
Naufragii colligendi jus, 281.
Nauticæ leges, 64.
Nauticum fœnus, 264.
Navarrus. P. Emmanuel, 10. 16.
Navarrus. Thomas, 182. 184.
Neapolitanæ Constitutiones, 259.
Negligentia an epistolis conveniat? II.
Negotia gesta. Tit. P. & C. de neg. gest. 290.
Nepos. Cornelius, X. 18. Josephus, 333.
Nero, 56.
Nerva, filius, 34.
Nevizanus. Jo. 261.
Nicæus, 64.
Nitor stili, 18.
Nizoliani, 16.
Nomenclator Græcarum dictionum, 258.
Nomicum Glossarium, 257.
Nomina propria Pandectarum, 262.
Nominis mutatio, 291.
Nonnius (Nuñez) Franc. & Jos. Vide *Zamoram.*
Noodtius (Nood) Gerardus, 250. 287.
Nordtkerkius, 250. 298.
Notitia dignitatum, 257. utriusque imperii, 257.
Novellæ Justiniani, 256. 258. 259. Imperatorum Justiniano anteriorum, 257.
Novitas in literis debet esse suspecta, 68. 347.
Nuces pineæ, 386.
Numæ Rituales, 17.
Nummi functio & æqualitas, 281.
Numismata Hispana incognita, 323. quibus pro gemmis uti solent, 329.
Nunnesius (Nuñez) Petrus Jo. 58. & in Dedicat.

O

OBjurgatio, VIII.
Obscuritas Heracliti, 69.
Octavianus Augustus, 55.
Odofredus, 296.
Officia bellica, 268. Civilia & Militaria, 260. Domus Augustæ, 275.
Officium ejus cui mandata est Jurisdictio, 273.
Olivæ solum, 385.
Operis novi nunciatio, 198.
Oratio Greg. Majansii, 2. 3. 6.
Orbis & Larreategui. Andreas, 111. 112. 116. & seqq. 137. & seqq. 140. 292.

Orcheſtra, 159. 160.
Oroſcius. Jo. 265.
Orphitianum S. C. 201.
Ortega. Frater Jo. de, 334.
Ortinus (Orti) Franciſcus, 58. 301.
Ortographia, 361. Hiſpana, 150.
Oſorius. Hierony. XXIII.
Otto. Everardus, 250. 251. 290. 298.
Ovidius Naſo. P. X.
Ovinius Tertullus, 205. 206.
Ozias, 385.

P

PAcis jus, 279.
Pacius. Julius, 276.
Paconius J. C. 293.
Pacta contractibus in continenti adjecta, 283. Liberatoria, 341.
Pactorum idea, 287.
Pactumejus Clemens J. C. 293.
Palatinus (Palacios) Felix, 21. 25.
Pali in vineæ inſtrumento continentur, 65.
Pallium, 122.
Pancirolus, Hercules, 276.
Pancirolus. G. 257.
Pandectæ, 267. 268. Florentinæ, 289.
Pandectarum aliqui tituli. De reb. cred. 336. De eo quod certo loco, 341. De rebus eorum, &c. 342. De imp. in res dot. factis, 338.
Pantoja de Ajala. Petrus, 279.
Papaja, 387.
Papinianus. Æmilius, 195. 237. 290. 298. 299. 346.
Papirius Pætus, I. IV.
Papyrius. Sex. 29.
Pardus (Pardo) Hierony. 387.
Pardus (Pardo de Figueroa) Joſephus, 383. & ſeqq.
Parrhaſius, 17.
Paſchaſia (Paſcual) Feliciana, 375.
Paſchaſius (Paſcual) Franc. 128. Jac. 49. S. Petrus, 303.
Paſſeribus (Paſſara) a Genoa, Nic. 275.
Paſsio Jeſu Chriſti D. N. 276.
Patavinitas, 17.
Paterculus. C. Vellejus, X.
Paternus. Tarruntenus, vel (ut aliqui malunt) Tarruntius, J. C. 65. & ſeqq.
Pathologia, IV.
Pathopœja, V.
Patinius (Patiño) Balthaſar, Comes Caſtellarius, 292.
Parriæ amor, 113.
Patrium jus, 277.
Paullus. Divus, 279. ejus locus ad Corinthios, XI. VI. pag. 281.
Paullus. Julius J. C. 195. 261. 276.
Paullus V. Pont. Max. 124.
Paventia, 142.
Pavias, Oppidulum, 360.
Payen, Petrus, 269.
Peculium Caſtrenſe, 202.
Pekius. Petrus, 64.
Penelope, 105.
Penoris legatum, 65.
Perenna, 142.
Perezius (Perez) Andreas, 324.
Perezius (Perez) Ant. XVI.
Pericles, 7.
Perpinianus (Perpiña) Petrus Jo. 24.
Perſius, 295.

Perticæ in vineæ instrumento continentur, 65.
Petavius. Dionys. XX.
Petitio, VII. 123. & seqq.
Petitus. Samuel, 10.63. 259.
Petrarca. Franc. XI.
Petrejus. Jo. 323.
Petrus Martyr. Sanctus, 334.
Picara Justina, 324.
Piccinorum ædes, 56.
Pichardo. Ant. 274.
Pictor Christianus, 299.
Picus Mirandulanus, Jo. XII.
Pignorius. Laur. 275.
Pignus, 264. rei alienæ, 399. pignori datus servus manumissus, 339. 353.
Phædrus, X.
Pheggite, 56.
Philelphus, Franciscus, XII.
Philippus II. Hispaniarum Rex, 278. 319. III. 120. 325. IV. 324.
Philo, 173.
Philosophia vera, 73. naturalis, 75. moralis, 100.
Phormio, in *Dedicat.*
Pineæ nuces, 386.
Pisones unde dicti, 385.
Pithœus. Franc. 256. Petrus. 188. 210. 256.
Pius II. Pont. Max. XII. Pius V. Pont. Max. 222. 224.
Plantæ, 31.
Plato, XII. 19. 173.
Plautia de Vi, lex, 284.
Plautus. M. Accius, III. 20. 25. 27. 28. 62. 170. 326.
Plinius Cæcilius Secundus. C. X.
Plinius Secundus. C. 55.
Poggius. Jo. Fr. XII.
Politianus. Angelus, XII.
Politicus, 323.
Pollux, Julius, 251.
Polyantus, 148.
Pompejus Batonius, 149.
Pomponius Atticus, T. V. 18.
Pomponius Lætus, XII. 286.
Pomponius. Sex. J. C. 195. 203.
Ponce de Leon. Consalvus, 270.
Pondera, 260. 337.
Pons de Ferreras, 155. Montanus (de Serranos) 58. Segovianus, 152. 155.
Pontanus. Jo. Jovianus, 24.
Pontificatum maximũ num Christiani Impp. aliquando gesserint, 281.
Pontius Icartius (Pons de Icart) Ludov. 153.
Popilia Rectina, 147.
Popilius Cupitus. C. 145.
Popma. T. 274.
Postia Melete, 148.
Possessio adquirenda vel amittenda, sive Tit. Pand. de adq. vel amit. poss. 341.
Potua, 141.
Præcedentiæ jus, 282.
Præcinctio, 160.
Prædiatores, 198.
Prædium Rusticum, 383. 387.
Præfectus Urbis, 282.
Præfectus Prætorio, 207.
Præmiorum defectus, 362.
Præpositorum Immunitas, 277.
Primogenita Hispaniæ, 266.
Principis Institutio, 268.
Probationes, 265.
Proconsul, 196.
Prolixitas, 330.
Promtuarium juris, 258.
Proscenium, 165.
Prosopographia Cod. Theod. 257.

Pro-

Propertius. Sex. X.
Proctectorum immunitas, 277.
Protogenes, 17.
Proverbiorum collectores, & usus, III.
Prudentius. Aurelius, 299.
Pseudo-Historici, 381.
Ptolomeus Philometor, 385.
Publicani, 97. 200.
Publicius Philodamus, M. 146.
Puga. Franc. 335. 336.
Puga & Feijoo. Jo. 210. 254. 285. 311. 316. 319. 327. Ejus Vita & Scripta, 335. usque ad 358. 390. 391.
Pugarum origo, 335.
Pujadesia. (Pujades) Eugenia, 376.
Pujadesius (Pujades) Hierony. 153. 154.
Pulpitum, 165.
Pupillaris substitutio, 202.
Puteolanus. J. C. 293.
Pyrrhonii, 127.
Pythagoræ autoritas, 87.
Pythagorei, 39.

Q

QUintius Cincinnatus. L. 385.
Quinctilianus. M. Fabius, 169.
Qui potiores in pignore habeantur, Tit. Pand. & Cod. 291.
Quixoti (Quijote de la Mancha) confictor, 321. 324.

R

RÆvardus. Jac. 267.
Ramirez de Prado. Laur. 276
Ramos del Manzano. Franc. 34. 17. 209. 277. 337
Rastri in vineæ instrumento continentur, 65.
Regia lex, 64.
Regiæ leges, 63.
Regulæ Juris, 270. 281. 337.
Rhetoricæ cujusdam Castellanæ anonymæ autor, 321. 323.
Rhodiorum Jus navale, 64.
Rhodamanus. Laur. 247.
Rhua. Petrus, 144.
Reinesius. Thomas, XVII. 46.
Relegati, 283.
Repulsa Greg. Majansii, 292. 382. 395. & in Dedicat. Josephi Finestresii, 188.
Resendius. Andreas, 47. 56
Responsa Prudentum, 273.
Retesius (Retes) Jos. 278. 283. 284. 336. 337. 338. 341.
Retractationes, 346.
Ribera. Jo. 120. usque ad 125. Josephus, 350. Petrus Afanius (Perafan) 121.
Ripuariorum lex, 259.
Rinuccinus. Carolus, 50. 58.
Rittershutius. Cunradus, 257. 259.
Rius. Josephus, 215.
Robertus. Anna, 275.
Roconius Romanus, 147.
Rodriguetius (Rodriguez) Frater Josephus, 58. 300.
Roma nova & vetus, 257.
Romanæ antiquitates, 267. 279.
Romani Imperii Typus, 257.
Romanensis primus in Hispania scriptor, 324.
Romuli leges, 17.
Rosbach. Jo. Emeric. 266. 273.
Roscia lex, 160.
Roscius. Ant. 228.
Rubius Eutyches. L. 157.
Rufinus Licinius J. C. an Christianus fuerit, 188. 191. 209. 219.

Ru-

Rumina, 141.
Rupella rupta, 275.
Ruſticatio, 26. 27. 28. 45. 58. 316.
Rutilius. Bernardinus, 261.
Rutilius Gallicus Valens, 212. 220.
Rutilius Maximus J. C. 65. 189. 212. 291.
Rutilius. Palladius Rutilius Taurus Æmilianus, 190. 212.
Rutilius Rufus. P. 65. 66. 67. 189. 212. 220. 27. 291.

S

SAavedra. Didacus, 182. 294. 297. 312. 320.
Sabbatinæ, 89.
Sabinus. Cœlius, J. C. 46.
Sabinus. Maſurius, J. C. 280.
Sadoletus. Jac. XIV.
Saguntinæ Inſcriptiones, 143. 145. 150. Saguntinorum decretum, 53. Saguntinus ager abundat Inſcriptis lapidibus, 55. Circus, 319. Senatus & Populus, 147. Saguntinum Theatrum, 48. 49. 52. 152. Ejus deſcriptio, 158. & ſeqq. 319.
Salaja. Vide *Celajam.*
Salaſtano quis, 323.
Salarium, 282.
Salica lex, 259.
Salinas. Michael de, 323.
Saliorum Magiſter, 148.
Sallievius, 244. 247.
Salluſtius. C. Criſpus, X. 15. 17. 169. Felix. M. 156.
Salmanticenſis Academia, 102. 336.
Salmaſius. Claud. XVII. XIX. XX. 283.
Sambucus. Jo. 258.
Sanctius (Sanchez de las Brozas) Franc. 14.
Sanctius (Sancho) Terzon & Mola, ſub hoc nomine latet Laurentius Matheu & Sanz, 321.
Sanctius (Sans) Frater Stephanus, 322.
Sanguinis miſsio, 230. 332.
Santolaria. Joſephus, 283.
Santos de San Pedro. Laur. 210.
Sapientiæ & Cæcitatis cognatio, 275.
Sarisburienſis. Jo. XI.
Saxonicum Jus, 288.
Saxonum Lex, 259.
Scævola. Q. Cervidius, 278. 350. Ejus Quæſtiones publicè tractatæ, 283. Claudii Triphonini Notæ Scævolæ libris Reſponſorum & Digeſtorum præfixæ, 283.
Scævolæ plures, & ingenioſiſsimi, 87.
Scenæ & earum varietas, 166.
Scaliger. Joſephus Juſtus, XVI. XIX. 224.
Scaliger. Julius Cæſar, XIV.
Sceptici, 127.
Schegkius. Jo. 265.
Schombergius. Jo. Bapt. 140. & ſeqq. 242. 243. 245. 249. 250. 307. 308. 309. 310. 311. 313. 316. 327.
Schottus, 47. 56.
Schottus. Andreas, 154.
Sciendi ars, 274. 275.
Schultingius. Ant. 250. 327.
Scioppius. Gaſpar, XVI. XVII. XX.
Scipio Africanus. P. 150. 314. 385.
Scipionum (ut vulgus credit) turris, 252.

Sectæ alicui addicti, 71.
Scribendi libido, 30.31.38.39.
Scribonius Euphemus. L.157.
Scribonius Libo. L. 160.
Scrigius (Escrig) Josephus, 117.
Sedulius Presbyter, 207.209.
Segovianus Pons, 152.155.
Seguntinus. Frater Josephus, 324.
Semestria, 270. 276.
Sempronius,C.C.F. 50.
Senatus, 267.
Senatusconsulta, 262. 267. 273.
Seneca. L. Annæus, II. X. 246.
Seneca. M. Annæus, X.
Sepulveda. Jo. Genesius, XIV. XXIII.
Sequanorum Bibliotheca, 210.
Sergia Peregrina, 148.
Sergilla, 146.
Sergius, 147.
Sergius Crescens, 147.
Sergius Vesto. M. 148.
Sermonis stilus, II.
Serna & Cantoral. Didacus, 338.
Serrani unde dicti, 385.
Serretius. Janus, 125.
Serviliana Crassi, 23.
Servilius, J. C. 293.
Servilius Novianus, 169.
Servitutes, 265. non oppign. 291.
Servius Sulpicius, 91.
Servorum manumissio, 288. Ministeria, 275.
Servus pignori datus man. 339.
Sevinus, 244. 247.
Siculæ Constitutiones, 259.
Siebenius, 250. 298.
Sidonius Apollinaris.C.Sollius,XI
Significatio verborum, 267. 271.
Simancas. Jac. 266.
Siscar. Jo. 336. 337. 341. 375.
Siscar. Maria. 45. 48. 50. 51. 80. 81. 82. 83. 103. 104. 109. 110. 229. 331. 352. 362. & seqq.
Paullus, 375. Siscar. Petrus, 375.
Siscar. Petrus Joannes, 49.
Siurius (Siuri). Marcellinus, 92.
Soarez. Emmanuel, 182. 213.
Socrates, 235.
Sodalitas nominis Dei, 270.
Sollemnia Populi Romani, 271.
Solonis Leges, 63.
Solorzano. Jo. 273.
Sotus. Dominicus, 121.
Souchæus (Souchay) Jo. Bapt. 24. 361. 392.
Spectacula taurorum & cannarum, 319.
Statanus, 142.
Statuæ, 291.
Stella, 260.
Stephanus. Henricus, XX. Robertus, 255.
Stili exercitatio, 20.21.25. Exercendi ratio, 14. & seqq. Stili vitia, & virtutes, XVIII. 18.19. Stilus familiaris, 20. Greg. Majansii, XXI.
Stoici, 100.
Stola Pontificia Judæorum, 194.
Stolones, 385.
Strada, 47. 56.
Straneus. Andreas in Dedicat.
Suaretius (Suarez de Mendoza) Joannes, 82. 337.
Substitutio posthumi, 262. vulgaris & pupillaris, 342.
Subtilitas, 18.
Suffragia, 291.
Sulpicius. Serv. 299.
Suidas, III.
Superior. Jo. 265.
Surita. Hierony. XV.
Sylvius Æneas, XII.

Symmachus. Q. Aurelius, II. XI. 210.
Syrus. P. X. 43.

T

TAcitus. C. Cornelius, 169. 260.
Talelæus, 64.
Tarraconenſis ager inſcriptis lapidibus abundat, 55. 155. Circus & Theatrum. 155.
Tarragona & Fineſtres. Franc. 174. 175.
Tarruntenus, vel, ut aliqui volunt, Tarruntius Paternus, J. C. 65. 66. 67. 291.
Taſsilonis Ducis decretum, 259.
Tatius. M. 271.
Taurellus. Lælius, 261.
Terentius. P. III. X. XV. 20. 25.
Tertullianus, J. C. 293. An fuerit Chriſtianus, 188. 191. 202. 219. Q. Septimius Florens, X. 02.
Tertullianum, S. C. 201. 203. 205. 206. 291.
Teſtamenta, 197. dictare ſolebant Juriſperiti, 287. Teſtamentum in tempore peſtis factum, 281. inofficioſum, 284.
Teſtamentum L. Cuſpidii, 286.
Teſtamentum Mariæ Siſcaris, 368.
Theatri conſtructio, 158. & ſeqq.
Theatrum Saguntinum, 48. 49. 52. 152. Ejus deſcriptio, 158. & ſeqq. 319.
Theatrum Tarraconenſe, 155.
Thelephanes Scicyonius, 17.
Thelephium, 386.
Thelephus, 386.
Theodoſius, 266.
Theodoſianus Codex, 256. 257.
Theodorici Regis Edictum, 255.
Theophilus Anteceſſor, Græcus Inſtitutionum Juſtiniani Paraphraſtes, 257. 258. 282. Renovatus a Daniele Galtier, 215. 218. 219. 221. 285.
Theoninus dens, 79. 395.
Theophraſter hoſpes deprehenſus ab anu Attica, 17.
Thereſia a Jeſu Diva, 124.
Thomaſius. Chriſtianus, 288.
Thraſo Plautinus, 28.
Thucydides, 251.
Tiberius Cæſar, 147.
Tibullus. Albius, X.
Tilius, Jo. 210. 211. 256.
Timantes, 94.
Tireſias, 274.
Titianus, 350.
Tiro Proſper, 299.
Tollieu. Petrus de, 289.
Topographia Cod. Theod. 257.
Toſca. Thomas Vinc. 1. 6. 29. & ſeqq. 69. 70. 71. 72. 77. & ſeqq.
Trajanus, 156.
Tranſactiones, 278.
Tribonianus, 277. Ejus impietas, 64. 209.
Tribûs nota, 51.
Triphoninus. Claudius, J. C. 283.
Trogus, 18.
Tuldenus. Diodorus, 277.
Tumbi, 387.
Tuningius. Gerardus, 276.
Turreſius (Torres) Vinc. 167.
Turris Scipionum, 152.
Typographorum moræ, 393.

V

UBeda. Franc. de, 324.
Vacatio munerum gravio-
rum, 65.
Vagga, 148.

ne. Huc accedit, ſcribere quem plerumque ad amicum, id eſt, ad alterum ſe. Quonam igitur pacto ſimulabit? Vel, ut dicam honeſtius, diſsimulabit? Neque debet, neque vult, neque poteſt. Etiamſi poſſet, in ſcriptione ſubita depromeretur priuſquam ſe componeret; legentiſque oculis ſubjiceretur nudus, nec diſsimulationis velamen poſſet obducere; ſicuti nequivere Nymphæ *Dianam* ſuam contegere, ne videret eam *Actæon*, cum in antro Gargaphio dicitur illa voluiſſe

Virgineos artus liquido perfundere rore.

Protrahit igitur hominem maxime genus hoc ſcriptionis: & ideo calumniantium iniquitati exponit. Nam ſi quis de ſe ſuiſque paullo libere narrat in auriculam amici, vaniſsimus eſt jactanſque ſui. Si de aliis ſcribit eoſque laudat, adulator; ſi vero non laudat, moroſus habetur. Si a blanditiis abſtinet, exiſtimatur ſuperbus; ſi illis utitur, ſcurra, aut, quod multo pejus eſt, laſciviuſculus. Si de ſuis

ſcribit negotiis, faſtidioſus; ſi de alienis, otioſus nimis. Si tractat literaria, Scholaſticus; ſi Politica, *Phormio* alter inexpertus & umbratilis doctor. Ecquid igitur ſcribemus, & quomodo? Scio ſæpiſſime in his tractandis deſiderari prudentiam. Et proculdubio,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

An vero hi excedantur, non eſt cujuſvis diſcernere, neque decernere. Certe an ego exceſſerim, Tu pro tua prudentia ſapientiaque judicabis. Noſti enim optime, quid permitti poſsit amicitiæ: quid indulgendum ſit adoleſcenti honeſtæ laudis cupido: quid condonandum ſtudioſo, qui ob literarum amorem, quas inter paucos ſuos populares colit, Oſtraciſmo aliquibus infami, ſibi vero glorioſiſsimo multatus eſt. Sed, ut ait ille,

Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

Donec, inquam, ſit aliquis qui benigno

vul-

vu'tu me aſpiciat : qui primos poſtremoſque adoleſcentiæ meæ fructus comparet: qui progreſſus literarios (qualeſcumque ſint) nullo neque duce neque auſpice factos , attente obſervet: qui videat animum docilem natum ad ſubeundos ſtudiorum labores , ætatemque integram ad eos perferendos. Quod ſi quis eſt , a quo id ego ſperem , & vero ſpero , &, quæ tua eſt ſagacitas ad alliciendum ac protegendum ſtudioſos viros , etiam confido ; Tu certe unus es. Tu pro tua ſapientia facile conjicies quid ab ingeniolo meo ſperari poſsit , ſi ad bonam frugem excolatur , foveaturque. Denique animadvertes optime, cui uſui eſſe poſsim. Quod ſi in Republica Literaria , nil magna laude dignum præſtare potuero , habebis ſaltem , ut *Alexander* , non dedignatus eſt, tuum *Choerilum* : atque *interſtrepet Anſer Olores*. Utcunque fuerit , tuæ Clientelæ me trado. Opera ac diligentia mea ſic utere, quaſi eſſem ex numero familiarium

rium tuorum. Atque ut priſca loquar formula, hunc Libellum, meque ipſum, *dico dedicoque, uti ſies volens propitius mihi.* Vale, Chriſtianiſsimi Regis Sapientiſsime *Neſtor*, & ut Senem illum laudatiſsimum prudentia vincis, ita annorum ſerie vince etiam. O utinam! utinam! Gallici Regni bono, Europæ quieti, Chriſtiani Orbis felicitati, Divinæ Gloriæ incremento. Chriſte Optime Maxime, cujus triumphum hodie celebramus, ſine Te exorem. Valentiæ Edetanorum Pridie Nonas Aprileis, anni MDCCXXXII.



GRE-

Valentia. Melchior, 275.
Valentia. Urbs, 43. Valentiæ Edetanorum Ichnographia, 70. Valentini Seviri, 58. Decuriones, 119. Valentina Porta vulgo *de la Xerea*, 156.
Valentinæ Inſcriptiones, 156. 157.
Valentinum Itinerarium, 157.
Solum, 384. Bellum Ruſticum Valentinum, 144. Valentinorum Scriptorum Bibliotheca, 250. 300.
Vaillantius. (Vaillant) Joh. 229.
Valerius. L. 148.
Valvæ Regiæ, 166.
Van de Uvater, Jo. 214. 271. 290.
Vanierius. Jac. 383. 387.
Varro. M. Terentius, XIX. 18. 25.
Vaſcones, 55.
Vavaſſor. Franc. XVI. XX.
Vectigalia Populi Romani, 288.
Vegetus, 146.
Vehementia, 18.
Velleja Lex, 261.
Verba juris, 267.
Verborum obligationes, 200.
Verborum ſignificationes, 271.
Veritas quomodo inquirenda, 72. 226. & ſeqq. exponenda, 349.
Verſoza. Jo. XIV.
Veſpaſianus Imp. 156.
Viales Dii, 251.
Viarum tutela, 251.
Victorinus Rhetor, XI.
Victorius. Petrus, XIV.
Vidania. Didacus Laur. 320.
Viduitas indicta, 291.
Vigelius. Nic. 67. 268.
Virgilii unde dicti, 385.
Virgilius Maro. P. X. 319.
Villadiego. Alfonſus, 74.
Villæus Nicolaus, 300. 353. 356. 391. Rochus, 353.
Villegas. Ferdinandus Ruizius, 315. 319.
Vindicius. Juſtus, 84. 85. & ſeqq. Ejus relatio de Diſputatione Greg. Majanſii, 293. 297.
Vineæ iuſtrumentum quid contineat, 65.
Vinetus. Elias, 244.
Vinnius. Arnoldus, 25. 53. 216. 218. 267. 276. 278. 286. 351. 356. Simon, 278. 279.
Ulpianus. Domitius, 203. ei reſtituitur lex nam quod, 14. ad S.C. Treb. 206. Emendatur in frag. tit. de ſtatuliberis §. ſtatuliber 2. p. 348.
Ulyſſes, 313.
Vitellius J. C. 193.
Vives. Jo. Lud. XI. XIII. XIX. 29. & in *Dedicat.*
Voconius Placidus. C. 148.
Voluminis leges Sex, 288.
Vomitoria, 164.
Voſsius. Gerardus Joannes, XVI. XVII. XIX. XX.
Urſejus Ferox J. C. 193.
Urſinus. Fulvius, 63. 262.
Uſuræ, 264.
Uſusfructus, 287. accreſc. 290.
Uſtarrozius (Uſtarroz) Franc. And. 322.
Uſucapio prohibita aliquãdo, 284.
Uſucapiones, 341.
Uvaſeus. Joſephus, 251.
Uverinorum lex, 259.
Uveſembecius. Matthæus, 267.
Vulgaris ſubſtitutio, 344.

X

XEnophon, 227.
Ximenius (Gimenez de Ciſneros

neros) Franc. 153.

Z

Zamora. Ant. 336. Franc. Nonnius (Nuñez) 336. 337. 338. Josephus Nonnius (Nuñez) 337. 338.

Zandedarius. Ant.Felix, 158.
Zasius. Udalrichus, 260.296.
Zeno, 328.
Zenobius, III.
Zetetici, 127.
Zeusis, 20.
Zuerius. Marcus, 279.

ERRATA TYPOGRAPHICA SIG EMENDARI DEBENT.

PAg.VI.lin.3.*caussa*:lege *caussas*.p.X.lin.18.*scripsit*:lege *scripsit*. p.XIII.lin. 9.*Giraldus*:lege *Gyraldus*.p.XV.lin.7.*puriliter*: lege *pueriliter*. pag.1.lin. pen.*excribendas*: lege *exscribendas*.p.10.lin.17.*Fabrottus*:lege *Fabrotus*. p.12. lin.pen.*ista*:lege *illa*. p.28.lin.17.*excribendum*: lege *exscribendum*. p. 25. lin. 30. *Chærophonta*: lege *Chærephonta*. p.29. lin.33.*loge*:lege *longe*. p.42.lin. 27. *retegantur*: lege *revelentur*.p.81.lin.22.*lectissiman*: lege *lectissimam* p. 84. lin. 18.*Fustum*:lege *Justum*. p.155.lin.1.*tuo*: lege *suo*.p.118.lin.28.*Barterra*: lege *Bazterra*.p.119.lin.31.*summe*: lege *summæ*.p.151.lin.7.*Dreidam*: lege *Dresdam*.p.152.lin.11.*qnod*: lege *quam*.p.158.lin.12. *Nartinus*: lege *Martinus*.p. 164.lin.6.*per excavatos*: adde *orbes*.p.166.lin.30.*satyra*: lege *satyrica*.lin.pen. *Satyra*: lege *Satyrica*.p.167.lin.27.*ipsumque*: adde *ab aquarum*. p.176.lin.30. *negoitosum*:lege *negotiosum*.p.201.lin.23.*t ibum*: lege *tribuunt*. p. 210. lin.6. *Casas*:lege *Cassas*.p.214.lin.21.*Fabrottus*:lege *Fabrotus*.p.216. lin.1. *Fabrottus*:lege *Fabrotus*.p.219.lin.7.*sibi*:lege *sibi*.p.222.lin.27.*Fabrotti*:lege *Fabroti*. p.223.lin.4.*Gratissimum*:lege *Gravissimum*.p.229.lin.22.*sermore*:lege *sermone*.p.244.lin.8.*Codice*:lege *Codicem*.p.250.lin.23. *ac*: lege *ad*. p. 255. lin.15. *Antecessori*: lege *Antecessoris*.p.271.lin.14.*lingua*:lege *ligna*.p.284. lin.7. *Josephi*:lege *Josepho*.p.288.lin.pen.*Leiderus*:lege.*Luderus*.p. 292. lin. 19. *Didacus Astorga*:lege *Joannes Camargus*.p.309.lin.12.*sumopere*:lege *summopere*.p.320. lin.22.*mandatum*: lege *mandatam*.p.334.lin.32.*poterit*:lege *potuit*.p.332.lin. 5.*ventis*:lege *ventris*.p.337.lin.32.*simimilibus*:lege *similibus*.p.342.lin.25.*impusuit*:lege *imposuit*.p.353.lin.4.*censulens*: lege *consulens*.p.353.lin.24.*auusus*: leg.*ausus*.p.353.lin.28.*Hispaniam*:lege *in Hispaniam*.p.357. lin. 10. *Phœdro*. lege *Phædro*. De erratis ob typorum Græcorum defectum silere satius præstat, quam tot peccata adnotare.

Este Libro intitulado : *Gregorii Majansii , Generosi & Antecessoris Valentini Epistolarum Libri Sex*,advirtiendo estas erratas , corresponde al que le sirve de original. Madrid a 4. de Abril de 1732.

Lic. Don Manuel Garcia Alessòn,Correct.Gen.por su Mag.

SUMA DE LA LICENCIA.

Tiene facultad Don Gregorio Mayans para hacer imprimir este Libro por una vez , segun certificacion que diò D.Pedro Manuel de Contreras.

SUMA DE LA TASSA.

Tassaron los Señores del Real Consejo este Libro a seis maravedis el pliego. Madrid a 5. de Abril de 1732.